# CODICIS MINIMI
## S. ORDINIS MINIMORVM S. FRANCISCI DE PAVLA,
## STATVTA OMNIA, ETIAM CAPITVLORVM GENERALIVM,
non reuocata, comprehendentis
## PARS ALTERA.
*Adiectis Elucidationibus in quamplurimis casibus, qui aliquas patiuntur difficultates.*

Authore R. P. STEPHANO ISNARDO Tolonensi, eiusdem Ordinis, sacræ Theologiæ Professore.

PIETATI, IVSTITIÆ, CHARITATI, PACI, VERITATI.

*Quicumque hanc Regulam sequuti fuerint, Pax super illos.* Gal. 6.



LVGDVNI,
Ex Typographia CLAVDII CAYNE, in vico Nigro, sub scuto Leonis aurei.

*M. DC. XXXII.*



REVERENDISSIMO P. P.

# FRANCISCO A LONGOBARDIS,

S. ORDINIS MINIMORVM

CORRECTORI GENERALI,

ET

*REVERENDIS ADMODVM PATRIBVS*

IGNATIO A NEAPOLI, IOANNI PINNA

ET IOANNI KERMAREK,

*eiuſdem Generalis Collegis,*

F. STEPHANVS ISNARDVS MINIMVS

& obſequentiſſimus ſubditus,

*Spiritus ſeptiformis ſuperabundantiam, & inamiſſibilem fœlicitatem.*

SI [a] Gentes omnes & vniuerſos populos ad collaudandum Deum adhortatus eſt Vates Regius, vnionem Gentium & Iudæorum in eadem Eccleſia præuidens: quidni & ego videns vniuerſarum noſtri Ordinis

[a] *Pſalm. 116. cui tit.* Alleluia.

 dinis

dinis Prouinciarum in iisdem Sta-
tutis, quæ priùs sub nescientia ex
parte latitabant, dudum deſidera-
tam conuenientiam; quam ab ádmo-
dum RR: vestris Paternitatibus priò-
ris partis huius Codicis benigna suſ-
ceptio, quæ dici potest approbatio,
non promittit, sed exigit? En, priori
illi dicti Codicis parti, nunc secun-
dam adiicio, vt copiosiùs super nos
Dei misericordia confirmetur, quæ
facta est, per Statutorum, quibus in
omnibus dirigimur, in Capitulis va-
riis editionem: quæ etiam procul du-
bio magis ac magis confirmabi-
tur, si pars ista posterior, ab ad-
modum RR. vestris Paternitatibus,
quibus medullitùs, & ex præcor-
diis intimis illam dono dicóque, be-
nignè recipiatur. Sic, in æternum
Domini permanebit veritas: veri-
tas, inquam, bonis admodùm gra-
ta, quæ duntaxat in impiorum ani-
mis

mis odium parit. [a] In multis sanè omnes offendimus, sicut [b] in nobis omnibus per varia virtutis exercitia honorificatur & ipse Deus: ideò Codex iste, & pro omnibus est, & contra omnes. Bonis, virtutes proprias manifestat: defectus, à bonitate deuiantibus. Nec refert si contristentur isti, modò tamen [c] ad pœnitentiam; quod gaudendi amplam mihi copiam subministrabit; cùm huius rei causa, Religio [d] mater mea, dudùm virum rixæ me fecerit. Faxit Deus, vt Codicis huius Statuta, admodum RR. vestrarum Paternitatum authoritate non spernenda firmata, totius Religionis vsu nullibi non recepto, pro semper confirmentur; vt sic à cunctis eiusdem Religionis Gentibus, & populis, vt par est, in perpetuum laudetur Dominus, qui Deus Pater est: Filius, incarnatus

[a] *Iacobi* 3.2.
[b] 1. *Petri* 4.11.
[c] 2. *Cor.* 7.9.
[d] *Ierem.* 15.10.

[a] Lucæ 1. 72. [a] ad faciendam Misericordiam nobis, & cum Patribus nostris: & Spiritus Sanctus, qui [b] Spiritus est Veritatis.

[b] Ioan. 14.17.

*Datum in Conuentu nostro Lugdunensi, tertio Kal. Iun. Die S. Pentecostes, 1632.*

*LECTO*



## *Lectoribus Beneuolis S. S.*

ADIMPLEO quæ deſunt veſtris & meis deſideriis, toties innumeris penè manifeſtatis literis, in corpore Codicis huius Minimi; qui nō mihi ſolùm, ſed vobis & pro vobis datus, nunc prodit conſummatus, vt promiſſiones meas impleam; neque in vacuum ad medium vſque ſtadium currens, vacuos vos & ſine fructu, fortè in imperfecta noſtrorum Statutorum cognitione derelinquam. Poſteriorem hanc ergo partem diſtuli, non abſtuli: cuius dilatio, ſi deſiderium veſtrum acuit, meum accendit: & inſuper, fuſiùs difficultates varias, illáſque maximi momenti, præbuit elucidandi copiam. Si legentibus vobis bonis, quid occurrerit boni, Deo à quo omne datum optimum; ſin minùs, adſcribite mihi; qui tamen omnibus omnia factus, in Codicis huius compilatione, vtilitati omnium cogitaui conſulere. Fœlicis Memoriæ Clementis VIII. Conſtitutiones offendetis in limine ſecundæ huius partis, vtpotè vitæ Religioſæ vt par eſt inſtituendæ perneceſſarias; & quas prædictus Summus Pontifex, inter Statuta collocari, in ipſiſmet præcepit. Reuerendiſſimi P. N. Generalis ad me miſſam epiſtolam ſubiicio, vt illa lecta, quos zelus, ſed non ſecundùm ſcientiam, ad Opus

iſtud condemnandum impulit, vt Religioni minùs vtile, Viri tanti iudicio conuicti, amodo ſaltem, ſi qui fortè ſuperſint, obmuteſcant : & cum cæteris, Statuti ab eodem Reuerendiſſimo dilucidati, notitiam habeant : quam illos ignorare, certò ſcio. Valete, & me charitatiuis & feruentibus veſtris precibus commendatum, dum ad alia pergo, vobis corde addictum, indubiè cogitate.

*Appro*

# *Approbatio Theologorum.*

H*Anc secundam partem Codicis minimi, &c.* per R.P.Stephanum Isnardum Ordinis nostri Concionatorem eximium, S. Theologiæ Professorem, non tenuiori quàm primam Mineruа digestam, ex præscripto R. P. N. Prouincialis inuestigauimus. Opus profectò desideratum, Minimis maximè scitu pervtile, elucidationibus Regulæ, ac Statutorum nostrorum valdè conspicuum, contra Fidem Orthodoxam nullis erroribus fœdatum, boníſque moribus vtique consonum. Ideóque, ne tenebras ponat latibulum suum, typis illud mandari necessarium duximus, in Conuentu nostro Mommerlensi Kalend. Augusti, anno 1632.

F. SEBASTIANVS THOVLOVZE *Corrector Mommerlensis, & Definitor Theologus.*

F. ALEXANDER PERRIN *Minimus, S. Theologiæ Professor, Collega Prouincialis, & Definitor.*

## PERMISSIO.

FACVLTATEM facimus Claudio Cayne imprimẽdi *Codicis huius minimi secundam partem*, cum solitis prohibitionibus Lugduni 15. Iunij, 1632.

LANGLOIS.



# CONSTITVTIONES CLEMENTIS PAPÆ VIII.

*ORDINATIONI, AVERTIMENTI, è ricordi, che si danno della Santità di N. S. Clemente Papa VIII. alli Padri del Capitolo generale di S. Francesco di Paola, radunati in Genoua quest' anno* 1596.

*Electiones.* 1 TVTTE l'elettioni, così nel Capitolo generale, come poi nelli altri Prouinciali, è Cõuentuali, si faccino deposta ogni passione, & affettione, conforme alla dispositione del sacro Concilio di Trẽto. Ne s'intenda per valida, è canonica quell' elettione, nella quale non sarana concorsi più della metà de i voti, non ostante qualsiuoglia vso, ò consuetudine in contrario.

2 Ne possano li Superiori leuare i Frati del Conuento per tre mesi auanti il tempo dell' elettione che quiui s' harà da fare, eccetto se auesse commesso scandalo notorio: è nell' elettioni d' esse che s' haranno da fare, ne i Capitoli conuentuali, non habbino voto quei Frati, che non saranno stati locali in quel Conuento per tre mesi auanti il giorno dell' elettione.

*Decretorum publicatio, & obseruatio.* 3 Il Generale, che sarà eletto, faccia subito publicare i Decreti di N. S. è procuri poi con efficacacia possibile, è con le prouisioni opportune, l' essecutione d' essi.

4 Prin

4 Principalmente auertiſca di fare, che in ogni modo ſia in tutto, è per tutto leuata ogni radice del vitio della proprietà, non ſolo apparentemente nell' eſteriore, mà anco interiormente, con leuare à i Frati tutti l'occaſioni, per le quali poſſi pullulare queſto pernitioſo vitio nelli animi loro; poi che da eſſo procedono ſcandali infiniti, nelle perſone regolari. *Proprietas extirpanda.*

5 E perche il quarto Voto della vita Quadrageſimale, è quello che fa reſplendere l'inſtituto, è la Regola della Religione; però per ouuiare alli abuſi, è fraudi de i Frati pocco zelanti della buona oſſeruanza, ſi rinoui è reſtituiſca intieramente, per oſſeruarſi poi eſattamente, li ordini della Regola, è Correttorio: cioè che ogni Frate, qual ſarà giudicato dal Medico douer mangiar cibi Paſchali, ſia tenuto ſtarſene all' infermaria per tutto quel tempo che magnerà detti cibi, ſenza vſcir mai di Conuento, è ſenza mangiar fuora di detta infermaria, ſoto pena di priuatione di voce attiua è paſſiua, per tre anni ſubſequenti; dalla qual pena, non poſſa eſſere habilitato, ſe non per gratia ſpeciale di queſta ſanta Sede. *Infirmi.*

6 Il Generale ſia tenuto viſitare perſonalmente tutti li Conuenti più principali dell' Ordine; maſſime in Italia, Francia, & Spagna; & portar poi in queſta ſanta Sede tutte le ſua viſite, con lo ſtato de i Conuenti, conforme all' inſtruttione, che è ſtata da i Prelati della reforma: è il tutto debba eſſequire, se non ſarà ritenuto da giuſto impedimento, del quale porti, ò mandi proue legitime, è concludenti, per ſua eſcuſatione: è ſe ſarà poſſibile, che giuſta cauſa non l'impediſca, finite dette *Viſitatio Generalis.*

viſite,

visite, se ne venghi il Generale con esse à Roma, per dar conto della buona essecutione delle commissioni di N. S. & informar la Santità sua di quello, che converrà che s'habbia à fare per seruitio, è buon gouerno della Religione.

*Collega Generalis.* 7 Li tre Compagni del Generale, s'eleggano persone mature, è di gouerno, che non siano attinenti di sangue al Generale istesso, ne notoriamente creature sue, ò da lui dipendenti.

8 Li predetti tre Compagni, vadano personalmente col Generale in visita tutt' il triennio del suo Generalato: & se alcuno mancherà, non hauendo legitimo impedimento, da prouarsi dalla Santità sua, caschi in pena della priuation della voce attiua, è passiua, per cinque anni subsequenti, ipso facto, senz' altra dichiaratione: & nella visita aiutino il Generale, facendo le parti loro, come dispone la Regola, & Correttorio.

*Collega Prouincialis, & Correctoris.* 9 Li tre Compagni de Prouinciali, & Correttori, s'elegghino persone non attinenti, ne dependenti notoriamente dal Prouinciale, ò Correttore, come s'è detto de Compagni del Generale, & faccino l'vfficio loro, come di sopra s' è esplicato.

*Studium.* 10 Li Superiori vsino diligenza per mettere in ogni Prouincia, oue non sono, li studij dell' humanità, Filosophia, Teologia, ò al meno alcune di dette professioni, secondo la capacità de i luoghi, con fare ong' opra, che li Frati attendano à studiare.

*Examen constitutorum in sacris.* 11 Li medesimi Superiori essaminino li Frati cõstituiti in Ordini sacri, & suspendino quelli troueranno ignoranti dalle funtioni delli Ordini, pro

procurando poi ch' imparino, & si faccino sufficienti; ne li rehabilitino, fin tanto che non siano idonei.

12 Li nouitij, etiamdio doppo fatta la professione, stiano sotto la disciplina del Maëstro loro de nouitij, per due ò tre anni appresso, secondo che ricercherà la conditione & natura del sogetto, à iudicio del Correttore. S. Tharuggio Commiss. di S. Spirito. M. A. Massa. *Clericorũ Informator.*

---

*ALIAE CONSTITVTIONES PRO Regularibus, tàm Monachis quàm Mendicantibus, cuiuscumque Ordinis & Instituti:*

VRBANI PAPÆ VIII.

*Iussu, de nouo affixæ & publicatæ ad Valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis & Principis Apostolorum, necnon in acie Campi Floræ, vt moris est: anno 1624. die 26. Octobris.*

CLEMENS PAPA VIII.

1. NVLLVS omninò prætextu cuiuscunque priuilegij, vel superioritatis, etiã Generalatus, à seruitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprij Officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores iis tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare *Exempti à Choro.*

pensare possint; Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animaduertant ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.

*Lectio S. Scripturæ, vel Casuum.*

2 Lectio Sacræ Scripturæ, vel Casuum conscientiæ bis in hebdomada præscriptis diebus in singulis Monasteriis, & Conuentibus habeatur, ad quam Fratres omnes conueniant, eáque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese vtiliter exerceant.

*Paupertatis Votum.*

3 Quo Tridentini Concilij Decreta de paupertatis voto custodiendo fideliùs obseruentur, præcipitur, vt nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, census, eleemosynas, siue ex concionibus, siue ex lectionibus, aut pro Missis, tàm in propria Ecclesia, quàm vbicunque celebrandis, alióve ipsorum iusto labore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere possit: sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac prouentibus confundantur, quò communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

4 Neque Superioribus, quicunque illi sint, vllo pacto liceat eiusdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad vsumfructum, vel vsum, admi

administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.

5 Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat, vt proprium, neque vt proprio vtatur.

6 Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum â Concilio Tridentino præscriptas; sed alias quoque multo grauiores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

7 Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quo minus culpæ, & pœnæ ab eiusdem Concilij Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxij sint, etiamsi Superiores asseuerent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

8 Fratrum vestitus, & supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino vniformis sit Fratrum, & quorumcunque Superiorum, statuíque paupertatis, quam professi sunt, conueniat: ita vt nihil superflui admittatur; nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur. *Vestitus, & supellex.*

9 Quæcunque Fratrum vestes, siue laneæ, siue lineæ, omnísque alia supellex in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibíque ab vno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, vt inde Superioris arbitrio, provt vnicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.

10 Omnes etiam Superiores, quicunque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, siue eadem (vt aiunt) pitantia, in communi mensa *Victus.*

prima,

prima,vel ſecunda,niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint,veſcantur,neque ſingulare aliquid,quo priuatim quiſque in cibum vtatur, vllo modo afferri poſſit, ſi quis in ea re peccauerit, nihil ea die alimenti percipiat,niſi panem,& aquam.

*Superiorum prouiſiones.*

11 Superiores omnes,etiam Generalis,qui redditus,aut præſtationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expenſa in libro diſtincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios vſus, quàm ratione officij ſui neceſſarios,quicquam expendant.Cùm verò contigerit ipſos in aliquo Conuentu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua ſibi,& iis,qui ſecum erunt, victus ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum ſuppeditetur.

*Adminiſtratio bonorum.*

12 Nullus ex Superioribus locorum, adminiſtrationem bonorum,aut aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum,& reddituum ſui Conuentus, etiam nomine Conuentus, per ſe ipſum habere,ſiue exercere poſſit;ſed vniuerſum id onus tribus Fratribus eiuſdem Conuentus à Generali ita demandetur,vt vnus rerum, & bonorum,reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat; alter tanquam Depoſitarius, pecunias,ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter aſſeruet: alius de pecuniis,& rebus à Depoſitario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerſo de neceſſariis,mandante tamen ipſo Priore, non ſecundùm proprium affectum,ſed iuxta charitatis regulam, veluti bonus diſpenſator prouideat, officiorum huiuſmodi confuſione penitùs interdicta.

13 Cæ

13 Cæterùm hi tres tam impensi, quàm accepti singulis mẽsibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus vel tribus Fratribus eiusdem Conuentus probatioribus, rerumque vsu peritis, rationem reddant: Deinde ipsimet rursus, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cum aduenerit: denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali saltem coram tribus iudicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniuersámque suę administrationis tam publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc, vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

14 In vnoquoque Conuentu, Fratrum is tantùm deinceps constituatur, & in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscunque obuentionibus in commune (vt præfertur) conferendis, commodè posſit sustentari: redditus verò, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter asseruentur. *Fratrum numerus.*

15 Superioribus autem, ne Concilij Tridentini, aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare vllo modo posſint, omninò interdicimus, & prohibemus, decernentes irritum, &c. Si quis autem contra præsumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officióque priuatus, & ad ea perpetuò inhabilis existat. *Declaratio horũ Decretorum.*

16 Nullus, nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui gradus priuilegio gaudeat. *Lectores.*

*Socij.* 17 Si alicui ex neceſſaria cauſa, Generalis iudicio probãda, ſocius ex eodem Ordine, qui illi miniſtret, concedendus erit, niſi vigeſimumquintum agat annum, & qui communi ſeruitio ſit deputatus, non concedatur, & ſi commodè fieri poteſt, ſit laicus conuerſus.

*Ianitor.* 18 Vt omnis ſcandalorum, & vagationis occaſio tollatur, Conuentus clauſura perpetuò, ac diligenter ſeruetur, ac propterea à Superiore ianitor conſtituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: is ianuæ cuſtodiendæ ſemper aſſiſtat, eámque nemini Fratrum aperiat, niſi ſocium, & exeundi licentiam obtinuerit.

*Exitus à Conuētu.* 19 Nullus à Conuentu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum ſocio, licentiáque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata, ſociúmque exituro adiungat, non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, neque eundem ſæpiùs. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omninò concedantur.

20 Contrauenientes autem pœna graui, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam Ianitor ſubeat, ſi ſciens exeundi facultatem fecerit.

*Reditus.* 21 Cùm autem quis in Conuentum reuertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à ſocio itineris rationem, & quid rei actum ſit, diligenter perquirat.

*Romipetitio.* 22 Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi priùs à Generali, vel Protectore duntaxat licentiam in ſcriptis impetrauerint.

23 Si

23 Si quis autem ſine huiuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce actiua, & paſſiua biennio priuatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersùs eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine vlla exceptione locum habeant.

24 Habeat Superior clauem ita fabrefactam, vt, cùm ſibi videbitur, cellas omnes reſerare poſſit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin ſemper à Superiore poſſit aperiri. *Clauis comunis.*

25 In medio Dormitorij totam noctem lampas colluceat. *Lampas dormitorij.*

26 Nullus etiam Superior cellas, ſiue in clauſtro, ſiue alibi ſeparatas à communi dormitorio habeat, ſed vnuſquiſque vnica cella, eadem cum cæteris aliorum Fratrum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, & menſa humilibus, vniformíque ſupellectili (vt præfertur) quemadmodum Religioſos decet, contentus ſit: poſſit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conuentuum, ſi eorum muneris, & officij neceſſitatem id exigere cognouerit; alteram etiam cellam concedere. *Cellæ.*

27 Cellæ, ſiue ædiculæ, quæ extra dormitorium ſeparatim ſunt, ad officinas, aut aliàs ad communem vſum, & commoditatem Conuentus redigantur.

28 Sigillatim ſuo quiſque lecto cubet, neque vllibi duo in eodem lecto dormire poſſint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt. *Lecti.*

29 In priuatis cellis nulli camini permittantur: ſed omnes obſtruantur ſtatim, cardinibus etiam è parietibus conuulſis, vt res illa non ad *Camini.*

tempus facta, sed perpetuò duratura videatur: cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

*Fenestra.* 30 Conuentus fenestræ omnes, quæ in vias publicas, aut vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro ita obstruantur, vt omnino is prospectus impediatur.

*Infirmaria.* 31 Valetudinarium in singulis Conuentibus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde nisi recuperata sanitate, abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam præstabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

*Extra Conuentum nullus degat.* 32 Ineatur ratio, qua, sublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuscunque concessis, degentes extra Conuentus claustra, ad ea quamprimum reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.

*Nouitij.* 33 Nulli in posterum ad habitum, aut professionem admittantur, nisi in Conuentibus per Sedem Apostolicam in qualibet Prouincia deputandis.

*Munera, & Hospitalitas.* 34 Curent Superiores, vt Constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conuentu inuiolabiliter obseruetur.

*Dignitatum procuratio.* 35 Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta

vocum,

vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro seipsis, quàm pro aliis, tum in Capitulis locorum, tùm in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicunque secùs fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauiùs etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.

36 In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à sacro Concilio Tridentino, & Ordinis constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iurentque Electores secundùm veritatem cuiusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem. *Electiones.*

37 Eligantur in Capitulo Generali, vel Prouinciali aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuslibet Prouinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores pu- *Examinatores Prædicatorũ, &c.*

 blicos

blicos diligenter ſimul examinent, priuſquàm probentur,& ad huiuſmodi miniſteria admittantur. Horum etiam curæ ſit examinare,& probare, tam quoad doctrinam, quàm quoad mores, promouendos ad quoſcunque Ordines, in quo ſeruetur Decretum Congregationis Interpretum Sacri Concilij Tridentini, hac de cauſa nuper editum, & promulgatum.

*Regulæ, & Conſt. obſeru. & ſermo de, &c.*

38 Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, vt memores ſint rationis, quam in nouiſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi commiſſo, ac propterea omni ſtudio inuigilent, vt quæ in eorumdem Ordinum Regulis,& Conſtitutionibus de oratione mentali, ſilentio, ieiuniis, Capitulo culparum, aliiſque ſpiritualibus exercitiis prudenter, ac piè ſancita ſunt, ea omnia,& ſingula ad vnguem obſeruentur, intelligántque ſuper his veluti fundamētis omnium Religionum ædificia conſtruenda,& amplianda eſſe, quæ vt faciliorem exitum ſortiantur, & fructus vberiores in animis Fratrum producant, valdè opportunum erit, ſi in quolibet Conuentu, ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de religioſa diſciplina, regularíque obſeruantia.

*Diſtributio horarum.*

39 Quò verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco cōſpicuo vniuſcuiuſque Conuentus, in qua diſtinctè adnotetur quid ſingulis horis cuiuſque diei quilibet Frater præſtare debeat, vt certo quoque ſigno præmonitus, maiore animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quæ Ordinis Conſtitutiones, his Decretis non aduerſantur, inuiolatè cuſtodiendæ erunt.

*Pœna arbitraria.*

40 Quibus horum Decretorum capitibus cer-

ta

ta pœna præſcripta non eſt, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur.

41 Vt autem hæc Decreta (donec alia, quæ pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus obſeruari poſſint, diſtrictè præcipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuſcunque Superioribus, ad quos hoc ſpectat, vt curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorundem Ordinum Conſtitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omninò eorum ſingulis facultate illas declarandi, & aduersùs eas vnquam diſpenſandi. Alioquin ſciant ſe in pœnā Generalatus, & Officiorum priuationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munia ipſo facto, & ſine vlla exceptione reſpectiuè incidiſſe. *Harum Cōſtitut. collecatio.*

42 Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obſeruatio quoquomodo differri poſſit, aut impediri, volumus, vt poſt illorum publicationem in Conuentu, vel Monaſterio cuiuſlibet Ordinis de Vrbe factam, Generalem, alióſque Ordinum Superiores, cæteróſque quoſcunque Fratres præſentes, ſtatim; reliquos verò abſentes citra montes, vnius menſis; vltra montes, trium menſium ſpatio ita arctent, ac ſi eorum ſingulis perſonaliter intimata fuiſſent. *Publicatio.*

43 Inſuper mandamus, quòd Generales in ſingulis Conuentibus citra montes, vnius menſis; vltra verò montes, trium menſium curſu Decreta ſupradicta publicari faciant, ſub pœna priuationis Generalatus, aliiſque arbitrio noſtro imponendis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum die 25. menſis Iunij, 1599.

*DEcretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia duntaxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad Prouincialem decreuit, ita vt Prouincialis ipse ex causa communi totius Prouinciæ duntaxat facultatem huiusmodi facere valeat, declarauitque pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati Suæ reseruatam esse, interdicta omnino eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ die* 20. *Martij* 1601.

REVE

EPISTOLA
# REVERENDISSIMI
## P. Generalis ad Authorem.

A. R. P.



*Vnus à te accepi, per gratum mihi primam partem tui Codicis, gratissimam. Dum secundam miseris, multùm tibi debeo, multũ Religio. Perge in hoc & simili studiorum genere, quod esse non potest, quin Ordini non vulgarem adferat fructum & vtilitatem. Si autem mea opera tibi vsui possit esse, ea vtere libenter. Propositam difficultatem in tuis literis, super Decreto Capituli Barchinonensis vltimi, videbis explicatam in adiuncto rescripto. Vale; & me tuis sacrificiis & precibus commendatum habe. Romæ 8. Maij, 1632.*

P. T. A. R.

*Seruus in Domino,*

F. FRANCISC. A LONGOBARDIS, indignus Generalis.

*Est autem prædicta declaratio tenoris hîc subiuncti.*

## F. FRANC. A LONGOBARDIS Ordinis Minimorum Corrector Generalis.

IN Capitulo Barchinonensi vltimò celebrato, editum fuit, inter alia, Decretum tenoris sequentis.

Trium autem mensium tempus, computandum est à die 15. mensis Iunij; ita quòd nullus possit admitti ad electiones Correctorum localium, & Commissorum, nisi qui personaliter obedientiam localitatis suæ intimauerit Correctori & Capitulo Conuentus, cuius constituitur localis, & Conuentus à quo recedit, ante prædictam decimamquintam Iunij.

Circa quod multipliciter dubitatum fuit. Nos igitur ea de re consulti, innitentes facultati interpretandi loca dubia nostrarum Constitutionum, nobis factæ per Apostolica priuilegia, DECLARAMVS, Decretum prædictum intelligendum esse hoc modo, videlicet, Quòd Frater qui accipit obedientiam à suo Superiori, teneatur illam personaliter ostendere Superiori, & Capitulo locali Conuentus,

uentus, cuius conſtituitur localis per di-
ctam obedientiam, & Superiori, & Capi-
tulo locali Conuentus à quo recedit poſt
acceptam obedientiam, licèt non ſit, nec
fuerit in eo localis: non autem Superiori,
& Capitulo locali illius Conuentus in quo
erat localis, ſi ab eo receſſerat vigore al-
terius obedientiæ, vel quauis alia de cau-
ſa, ante acceptam prædictam obedien-
tiam ſuæ localitatis. Et ſic & non alio
modo VOLVMVS ab omnibus in omni
euentu iudicari. In quorum fidem, &c.
Datum Romæ 8. Maij, 1632.

F. FRANCISC. A LONGOBARDIS,
indignus Generalis.

*Locus † Sigilli.*

*Sed quid ſi quis obedientiam accipiat in par-
uo Conuentu, qui per Vicarium amouibilem re-
gitur, cuiuſque localis exiſtit? Tenebitúrne
nouæ ſuæ localitatis obedientiam perſonaliter
intimare tali Vicario, & Sacerdotibus cum eo
commorantibus?*

*Diffi*

*Difficultatem istam, anno immediatè præterito, motam fuisse in Galliarum Prouincia, nuper accepi; ab eo ipsomet, qui ob omissam dictam intimationem, arcendus videbatur ab electionibus alterius Conuentus, cuius localis fuerat constitutus: conclusámque fuisse negatiuè: quia scilicet statutum de quo agimus, obligat ad intimandam obedientiam Correctori & Capitulo Conuentus à quo receditur; at in paruo illo Conuentu, nec est Corrector, nec Capitulum: ergo in illo nulla facienda intimatio obedientiæ. Addi poterat, vtrique Conuentui intimari debere obedientiã nouæ localitatis; quia vtriusque interest, scire quinam in illis vocales esse debeant in proximè futuris electionibus: at hoc non habet locum in paruo Conuentu de quo agimus, cum in eo nullæ fiant electiones: ergo frustra obligarentur Religiosi ab ipso amoti, ipsi nouæ suæ localitatis obedientiam intimare. Nihilominus.*

DICO, *Religiosum per obedientiam amotum à Conuentu, qui per annuum Vicarium regitur, & missum ad Conuentum qui regitur à Correctore, non posse habere vocem in electionibus faciendis in hoc posteriori* 15. *Septembris, nisi ante* 15. *Iunij personaliter intimauerit obedientiam suæ nouæ localitatis, etiam Vicario prioris Conuentus, & Sacerdotibus in eo commorantibus.*

PRO

PROBATVR PRIMO, *quia huius Ordinis Minimorum directioni incumbentes, singuli Correctores veniant nuncupandi. R. F. 44. & habes verbo,* Corrector ; *ergo Correctoris localis nomine venit etiam Vicarius noui Conuentus, cùm incumbat Ordinis directioni.*

CONFIRMATVR, *quia nomen Correctoris, & Superioris vt synonima vsurpantur, & dicuntur conuertibiliter. Ideò cùm dicatur in Decreto de quo agimus, intimandam esse obedientiam Correctori, & Capitulo Conuentus; in ipsius declaratione dicit Reuerendissimus, ostendendam esse Superiori, & Capitulo Conuentus. Huc spectant quæ diximus, verbo,* Electio Generalis, *pag.* 182. *Sicut autem Corrector noui Conuentus, est Vicarius à quo dirigitur; sic Capitulum talis Conuentus, coalescit ex vocalibus in eo commorantibus: maximè cum nullibi contrarium reperiatur, sicut nec Vicarium noui Conuentus non habere Capitulum, vt patet, verbo,* Vicarius noui Conuentus.

PROBATVR SECVNDO, *quia nihil interest Conuentus cuius non sum localis, vtrùm nouam receperim localitatem nécne; & tamen, ex præallata declaratione, si in illo nouæ localitatis obedientiam recepero, teneor in illo etiam talem obedientiam intimare: ergo à fortiori Conuentui cuius eram localis, si in eo obedien*

*obedientiam recipiam; licèt illius nihil intersit, eò quòd cùm regatur à Vicario amouibili, nullæ fieri debeant in illo electiones. Et per hæc, patet responsio ad obiecta in contrarium.*

CODI



# CODICIS MINIMI

## PARS ALTERA.

### M

*Magisterium.*



IDE, Gradus Magisterij. Pœnitentiæ.

*Maledicens.*

*Vide*, Iuramentum.

*Memorialia.*

*Vide*, Literæ supplices. Processus.

*Minaces.*

Si quis aliquem verbis enormiter comminatus fuerit, pro qualibet vice disciplinam sumat spatio vnius *Miserere*, cùm vsque ad Nouitios peruenerit eius delictum: vel grauiùs puniatur talis delinquens, provt Correctori locali expedire videbitur. Sic tamen agatur, quod semper *Vt puniendi.*

recon

reconcilietur pars iniuriata. Si quis verò aliquem comminatus fuerit ſigno quovis importuno; vt putà, manum leuando, aut pugnum monſtrando, vel aliàs: pro qualibet vice diſciplinam ſumat ſpatio duplicis *Miſerere*, præſertim cùm vſque ad ipſos Nouitios peruenerit eius delictum: vel grauiùs corrigatur talis delinquens, provt locali Correctori expedire videbitur. *Correct.* 5.

## Missa.

*Vt cantanda.* Fratres huius Ordinis in Clericos aſſumpti, Miſſam cùm expedierit, ſimpliciter computando, ſeu explicando, ſine notulis depromant: vno tantùm, vel duobus, aut ad ſummum tribus adhibitis miniſtris. Occurrente verò aliquo feſto ſpecialiter ſolemni, poterit eorum Miſſa Conuentualis de illo celebrari, cum commemoratione feſti diei Kalendarij: aut vice verſa. *Regula Fratrum* 13.

*Obligatio ad Miſſas.* Ad nullas verò Miſſas, nec ad quæcumque Suffragia ſe obligent ipſi Fratres; niſi tantùm in genere, ſeu ſub generalitate omnium Miſſarum, & ſuffragiorum Ordinis: aut ſolùm pro quinquaginta annis, vel citra. *R.F.* 15. *c. Paulit.* 6. *Verùm, de hac materia vide verbo*, Obligatio. 1535.

Poterit

Poterit coram Sororibus, ac Oblatis, diebus singulis Missa celebrari: quam illæ de suo choro clauso debitè videant. Nunquam tamen coram ipsis cantando, nec explicando, seu computando, Missa celebretur. Nec ad aliquam Missam, à quibuscunque personis, in earum Ecclesiis taliter respondeatur. *R. S.* 9. *Missa pro Sororibus.*

Fratres & Sorores Regulæ vtriusque sexus, Missas reuerenter audiant: vt Christi acerbæ passionis, quæ in eisdem Missis recolitur, salutaribus armis muniti; in obseruantia Mandatorum Dei, fortes existant ac firmi. In ipsis etiam Missis, illos deuotè precari cõsulitur; vt Christi mors pretiosa fiat illorum vita: & eiusdem dolor, illorum medicina: ipsius quoque labor, requies æterna. *R.V.S.* 10. *A Tertiariis vt audiẽda.*

Durantibus septem Psalmis & Litaniis, pro Missa Conuentuali pulsabitur, dempto Quadragesimali tempore. In fine septem Psalmorum, iterum pulsabitur pro vltimo, ter, aut quater tinniendo campanam, in signum vltimi sonitus. Diebus autem quibus dicta Missa venit ter pulsanda, pro primo & tertio, vt præfertur: pro secundo, ad Psalmum *De profundis*, cùm *Missa Conuentualis, quando pulsanda extra Quadragesimam.*

 per

peruentum fuerit, pulsetur. Durantibus septem Psalmis, Hebdomadarius ad dicendam Missam se præparet: & dictis Litaniis ad Altare accedat, ne populus Missam auditurus afficiatur tædio, & honestus obseruantiæ nostræ ritus paulatim decidat. *Cær.* 3.

*Quando celebranda.* Vide infrà.

In Quadragesima autem, cùm ventum fuerit ad Psalmum Nonæ *Clamaui in toto corde meo*, pulsabitur Missa Conuentualis pro primo: & ad Psalmum *Beati omnes qui timent Dominum*, de Domina; pulsabitur pro vltimo. Et si ter oporteat eam pulsare, pulsetur pro secundo in fine Nonæ diei: pro primo & vltimo, vt præfertur. Et si fuerit duplex Festum; pulsetur in principio Nonæ, in medio, & in fine; ad prouidentiam Sacristarum. Nona autem dicta, Hebdomadarius, vel alius accedat ad Altare, Missam celebraturus de feria. Si autem fiat de Festo in Quadragesima, Missa post septem Psalmos celebrabitur, & semel duntaxat pulsabitur: nisi fuerit Festum Duplex, vel Semiduplex: tunc enim pulsabitur sicut in aliis Festis de alio tempore. *Ibid.* 5.

*Quando pulsanda in Quadragesima.*

*Quando celebranda.*

Pulsato *Aue Maria*, manè circa diluculum, consequenter pulsabitur prima Missa,

*Prima. Missa.*

Missa, semel. Posteà cùm Sacerdos fuerit præparatus, tunc quater, aut plus tinnietur campana. *Ibid.* 8.

Missas quæritare extra oppidum in quo degunt Fratres Hispani, prohibetur. *c.* 4. *Genu.* 23. *Missas quæritare.* 1574.

## *Modestia.*

Hortentur cuncti Fratres huius Ordinis, vt sint benigni, modesti, & exemplares: non alios, sed seipsos iudicantes: ac multiloquium, quod sine culpa esse non potest, fugientes. *R. F.* 37.

Idem planè habetur pro Sororibus, mutatis mutandis. *R. S.* 27.

## *Moniales.*

Sanctimonialium Monasteria intrare non audeant Fratres, nisi ad Ecclesiam, & crates extra clausuram existentes. & hoc, duntaxat prædicationis ratione, vel causa eleemosynæ petendæ. Durante verò huiusmodi prædicatione, aliquam cortinam taliter extendant ipsæ Sanctimoniales, quòd neminem præter Prædicatorem videant. Prædicti etiam Fratres, cum ipsis Sanctimonialibus super aliis quàm super præfatis in longum sermonem non protendant. *R. F.* 22. *Monasteria illarum.*

Huius Ordinis Minimorum vniuersæ *Clausura.*

 Sorores,

Sorores, ſub decenti Clauſura recluſæ permaneant. *R. S.* 1.

*Ad illā, nec viri, nec mulieres introducantur.*

Ipſis inſuper cūctis Sororibus ac Oblatis, quaſcunque promiſcui ſexus perſonas, intra quemcunque huius Ordinis Conuentum, hoſpitio ſuſcipere: nec perſonas ipſas, etiam proprios infirmarum Confeſſores, vel corporales Medicos, aut quoſlibet Eccleſiæ Prælatos, vel alios quoſcunque Dominos; ad ſe, nec ad ſuos hortos ingredi quovis modo permittant: ſed duntaxat, ad quaſlibet ſtrictas, & duplices, ſeu combinatas craticulas Eccleſiæ Conuentus, ac Infirmariæ (quarum quidem craticularum in eodem pariete, vna ſit extrinſecus, altera remanente intrinſecus) quantum ſub Deo poſſumus, ſtrictè prohibemus. Cùm autem pro nonnullis huius Ordinis Sororibus, aut Oblatis alloquendis, quaſdam perſonas ad præfatas craticulas ire contigerit: ipſæ Sorores ac Oblatæ (ſumpta primitùs Correctricis benedictione, cum decenti ſocietate, illis ab eadem Correctrice tradita) perſonas ipſas breuiter alloqui tolerentur. Ita tamen, quòd eas videndi facultas penitùs interdicatur. *Ibid.* 17. *Vide* Infirmæ.

Præ

Prætereà, neque ipsis Correctricibus, neque vllis Sororibus, nec Oblatis, liceat Conuentus sui Clausuram vsquam exire: nisi alicubi contigerit aliquem nouum Conuentum ipsius Ordinis erigi. Et tunc, per eiusdem Ordinis Minimorum Generalem, vel per talis Prouinciæ Correctorem Prouincialem, seu per eorum iussionem, & ordinationem, poterunt aliquæ Sorores ac Oblatæ huius Ordinis, de suis Conuentibus extrahi: & ad ipsum Conuentum sic nouiter erectum, licitè transmitti: quatenus illum instaurent, & ibidem Nouitias Sorores ac Oblatas conuenienter recipiant: & iuxta Ordinis Correctorium, illas salubriter instruant, dirigant, & informent. *Ibid.* 33.

*Ab illa, nec Sorores, nec Oblatæ exeant.*

Præterea, si quis introierit ad Monasteriorũ Monialium interiores Officinas, si Prælatus sit, ipso facto ab Officio deponatur: si autem subditus sit, voce actiua & passiua per annum priuetur: & tam Prælatus quàm subditus taliter offendens, tribus feriis sextis comedat panem & aquam duntaxat: & vlteriùs singulis ipsis feriis accipiat disciplinam. Si verò talis delinquens Oblatus esset, vltra prætaxatam pœnitentiam, etiam per mensem

*Fratrum in illam introeũtiũ pœna.*

 sem

ſem incarceretur. *Cor.* 38.

*Procurator pro eis mēdicās.* Moniales S. Helenæ, poſſunt habere vnum Religioſum noſtri Ordinis, vel ſecularem, ſecundùm deliberationem Capituli Prouincialis; qui procurare poterit eleemoſynas nomine dictarum Monialium: abſque tamen detrimento & damno Fratrum. *c. Turon.* 20. *c. Tholoſ.* 51.

1511. 1514. *Reformatio aliarum à noſtris.* Religioſi noſtri, non ſe intromittant, de reformandis Monialibus; ſicut nec de quibuſcunque aliis negotiis, de hoc Ordine non exiſtentibus: niſi ſolùm per modum conſilij, cum expreſſa ſuorum Superiorum licentia: idque charitatiuè, ſecretè & ſpiritualiter. *c. Tholoſ.* 26. *c.* 2. *Rom.* 16.

1514. 1517. *Prædicator noſtrarum.* Moniales noſtræ non debent abſque conſenſu Correctoris, aut eius Vicarij, Prædicatorem quempiam à noſtris Fratribus, admittere. Nec etiam aliquem Sacerdotem ad Miſſam celebrandam. *c. Turon.* 20. *c.* 1. *Genu.* 35. *c. Paulit.* 46.

1511. 1532. 1535. *Monaſteriorū acceptatio.* Earum Monaſteria non debent acceptari ſine ſpeciali licentia Generalis: & niſi dos, & redditus ſufficiens, pro alimento Sororum omnium aſſignetur. Sit autem completum Monaſterium, antequàm Sorores ad illud introducantur. *c.* 1. *Genu.* 35. *c. Paulit.* 46.

1532. 1535.

Debent

Debent pro rata soluere impensas, Generali & Prouincialibus, in eorum Visitationibus: & victum, & vestitum suis Confessoribus, & sociis illorum. *c.* 1. *Foroiul.* 4. *c.* 2. *Genu.* 8. *c.* 3. *Genu.* 7. Imò & pro expensis Prouinciæ, in qua sunt. *c.* 1. *Foroiul.* 4. *Rata, habitus & victus Confessoris, &c.* 1547. 1552. 1559.

Prohibetur Prouincialibus, Fratribus, Correctricibus & Sororibus; reluctante aliqua Nouitia, aut nolente; vllo modo de ipsius hæreditate pacisci, cum eius consanguineis. *ibid.* 7. *Nouitiarum hæreditas.*

In earum Ecclesiis, capellas dotare nulli permittatur; hac conditione, vt Sacerdotes seculares illic Missas celebrent. *ibid.* 8. *Capella in earum Ecclesiis.*

Aliarum Monialium à nostris, confessiones audiendi munus; nullus, etiam Prouincialis, acceptet: nisi à Papa cogatur. *ibid.* & *c.* 2. *Foroiul.* 5. *Confessores aliarum Monialium.* 1556.

Non debent Moniales nostræ transferri de vno in alium Conuentum, nisi in casibus permissis in earum Regula 33. & à Tridentino. *c.* 4. *Valent.* 36. *Nostrarũ trãslatio.* Sess. vlt. de Reg. c. 7. 1571.

Priuatos redditus habere non debent: & præcipitur omnibus, & singulis earum Confessoribus in virtute S. Obedientiæ, vt hoc eis denuncient. Verùm, ex prouentibus quos olim habebant, ea- *Priuati redditus.*

rum iustæ necessitati prouideatur.*ibid.*33.

*Monasteriorũ ingressus, omnibus prohibetur.* Intra illarum Monasteria, mulieribus, cuiuscunque status & conditionis sint, intrare prohibetur. Vnde ad illa nullatenus sunt admittẽdæ puellæ, nisi illæ quæ Religiosæ nostri Ordinis esse volunt, dum ætatem habent in Sororum Regula sta-
1574. tutam. *c.* 4. *Genu.* 29. *Hoc præcipitur sub pœ-*
Citato c. 5. *na excommunicationis latæ sententiæ, in Tridentino.* *Etiam Fundatricibus.* Hic ingressus prohibetur etiam Fundatricibus.*c.*3.*Valent.*12. vbi præcipitur
1562. Correctricibus, vt hoc seruare studeant, sub pœna priuationis Officij. Imò, in *c.* 2.
1544. *Bonon.*6. nequidem concedere Patres voluerunt facultatem Monialibus Ciuitatis Messanæ, recipiendi in earum clausura puellam decem annorum, pro tangendis pecuniis.

*Et Superioribus.* Hic ingressus prohibetur & Superioribus, etiam pro Visitationibus Monasteriorum faciendis, secundùm Bullam Pauli III. super approbatione Capituli Paulitani. Item in Regula Fratrũ 22. Sororũ 17.
Citato c. 5. Corr. 38. non obstante facultate concessa
Citato c. 22. à Tridentino: non enim intendit Concilium, ab Institutis Ordinum vllos amouere: *Vt visitandæ Sorores.* Moniales ergo nostras visitent Superiores, ante cratem ferream: & tempore ele-

electionis Correctricis, ea obseruent, quæ sunt statuta in Tridentino sessione vltima de Regularibus, c. 7. Possunt tamen Medici, cæmentarij seculares & alij, in casibus necessitatis tantùm; iuxta dispensationem cuiusdam Bullæ pœnitentiariæ, viuæ vocis Oraculo emanatæ tempore Clementis VII. ingredi prædicta Monasteria, de licentia Superiorum Ordinis in scriptis obtenta: secundùm dispositionem Concilij Tridentini, ac declarationem Motus proprij Pij V. *c.4. Valent.* 35. *Electio Correctricis. Medici. Cæment. &c. anno 1532. Ibid. c. 5. 1571.*

Moniales nostræ, singulis mensibus communicent, iuxta Statutum Tridentini. *c.4. Genu.*25. *Communio. Seß. 25. c. 10. 1574.*

Laïcæ non possunt eligi in Correctrices, vel Seniores: sed tantùm Choristæ, quæ hebdomadam per librum disertè facere sciant: aliàs, electio sit nulla. *Ibid.*26. *Laicæ.*

Nulla debet recipi Monialis, nisi conditiones requisitas habeat: & pro dote, quadringenta scuta, cum supellectili necessaria: sub pœna priuationis Officij Correctricibus, ipso facto: & priuationis vtriusque vocis per tres annos, consentientibus: suspensionis verò ab Officio per sex menses, Superioribus permittentibus, *Monialiū receptio & dos.*

vel consentientibus in scriptis. *Ibid.* 27.

*Ad quæ teneātur.* Tenentur Moniales ad obseruantiam Correctorij, & Statutorum nostrorum, sicut Fratres. *Ibid.* 28.

Item, recitare Officium quod habemus S. Francisci de Paula, tam per Octauam Festi, quàm pro die Canonizationis. *Ibid.* 30.

*Earum ancillæ.* Absque speciali Breui Apostolico, non possunt habere ancillam intra septa Mo-
1617. nasterij. *c.* 6. *Rom.* 14.

## Monopolium.

*Vide*, Litteræ infamatoriæ. Processans.

## Mulieres.

*Non intrent in Conuentus. Nisi, &c.* Mulieres aliquas in huius Ordinis Conuentus nullatenus intrare permittatur. Veruntamen singulæ Dominæ de stirpe Regia procreatæ: ac etiam omnes huius Ordinis Fundatrices, quæ locorum eiusdem Ordinis septa communiora videre postulauerint; eadem cum sua comitiua, honestè intrare, ac deuotè visitare tolerentur. *R. F.* 23.

*Non frequentandæ.* Insuper, ne de aliquibus huius Ordinis Fratribus, aut Oblatis, scandalum vbilibet oriatur: caueant ipsi singuli, ne Mulierum compatres fiant. Vitent etiam ipsarum Mulierum suspecta consortia: scien-

tes,

tes, quòd corrumpunt bonos mores colloquia praua. Si quis autem contrauenire præſumpſerit, & alicuius ipſarum Mulierum ſe compatrem fecerit, per annum priuetur capitulari voce, & iure primogenituræ. *Cor.* 37.

Inſuper, ſi quis contra tenorem Regulæ huius Ordinis Minimorum intra Conuentus eiuſdem Ordinis permiſerit ingredi quaſcunque Mulieres, præter ipſius Ordinis Fundatrices, & Dominas de ſtirpe Regia procreatas; ſi talis Prælatus ſit, ſtatim ab Officio deponatur; & deinceps ad omne Officium eiuſdem Ordinis inhabilis reddatur: niſi per Capitulum Generale, vel Prouinciale conſiderata ipſius qualitate rehabilitetur. *Ibid.* 39.

*Illas admittentium ad Conuentum pœna.*

Mulieres, quorumcunque priuilegiorum virtute, Conuentus noſtros ingredi non poſſunt (iis exceptis, quibus ex Regula permittitur) niſi in earum priuilegio Papali exprimatur, NON OBSTANTE PROHIBITIONE IN REGVLA FRATRVM MINIMORVM CONTENTA, vel PRÆCEPTVM ÆQVIVALENS, putà ſub pœna excommunicationis, & huiuſmodi. *c.* 1. *Genu.* 1. *c. Paulit.* 30.

*Non obſtantibus quibuſcũque priuilegiis. Niſi, &c.*

1532.
1535.

Mu

## Mundus.

Præcipuæ dilectionis diſcipuli, dogma ſaluificum ſalubriter adimplentes : nolite diligere Mundum,neque ea quę in mundo ſunt. Qui enim mundi huius voluerit eſſe amicus,Dei cõſtituitur inimicus.Eapropter, vos omnes hanc Regulam ſuſcipientes charitatiuè in Chriſto hortamur, ne mundialia publica,nec inhoneſta Officia exerceatis:neque arma inuaſiua deferatis, niſi pro S. Eccleſiæ ſalubri tuitione,aut pro Fidei, vel Iuſtitiæ defenſione. *R. V. S.* 11.

Præterea,nuptialia,& alia quæcunque conuiuia niſi conſanguineorũ iuxta poſſe deuitetis. Mundi etiam vanitates, & honores, ac rumores labentiſque ſeculi põpam & gloriam, ac perituras opes, ſalubriter reſpuatis. Omnes inſuper publicos, ac prohibitos, & ſcandaloſos ludos ſummoperè declinetis:quatenus tandem de manu Domini,immarceſcibilem æternæ glorię palmam,& regnum decoris fœliciter recipiatis. Huius ſeculi fallax eſt gloria,& diuitiæ fallaces.Sunt autem procul dubio fœlices, qui plus de virtuoſa quàm de longæua vita : & potiùs de con-

ſcientia

ſcientia pura, quàm de arca plena excogitant. *Ibid.* 12.

*Munera.*

*Vide*, Electio, Habitus.

*Mutatio Fratrum.*

Non debet fieri tempore Capituli Prouincialis, ob maxima incommoda, quę inde Ordini eueniunt. Mutentur ergo infra annum à Prouinciali, ſi neceſſitas exigat. *c.* 1. *Valent.* 26. 1541.

*Quando facienda.*

*Mutuare.*

Pecunias, non licet, quibuſcunque de Ordine non exiſtentibus; niſi de Superioris licentia, & totius Capituli conſenſu, vrgente neceſſitate. *c. Tholoſ.* 31. 1514.

N

*Nomina iniurioſa.*

Aut aliena, nullus audeat vllatenus cuiquam imponere: aliàs grauiter puniatur. *c. Tholoſ.* 45. 1514.

*Nouitij, & Nouitiæ.*

Ad hunc Ordinem Minimorum, Quadrageſimalis vitæ zelo & maioris pœnitentiæ intuitu migrare cupiētes, per eiuſdem Ordinis Generalem Correctorem, vel per Vigiles, aut Prouinciales, vel per aliquos idoneos Fratres ab eis ſubſtitutos, recipiantur in Fratres Clericos, vel Fratres

*Quales & à quibus recipiendi Fratres.*

Fratres Laïcos, vel Fratres Oblatos. Dummodo tales nouiter recipiendi, requisitis conditionibus apti existant: & ad minùs decimumoctauũ annum attingant. *R.F.1.*

*Sorores.* Puellæ verò, *eadem ratio est de Viduis*, eodem zelo ductæ per Matres Correctrices recipiantur in Sorores, vel Oblatas: dummodo tales nouiter recipiendæ, requisitis conditionibus aptæ existant: & ad minùs decimumquintum annum attingant. *R. S. 3.*

*Tertiarij & Tertiariæ.* Qui, vel quæ voluerint esse Tertiarij, vel Tertiariæ, poterunt ob Christum à iuuenilibus annis in hac ipsa Regula & vita se salubriter exercere: & cingulum de Correctorum, vel ab eis commissorum manibus, suscipere ac deferre. *R, V. S. 17.*

*Indebitè recipientiũ pœna.* Si quis offendens contra formam descriptam in secundo Capitulo Regulæ huius Ordinis, aliquem scienter ad hunc Ordinem receperit, absque sibi data super hoc commissione, vel ante tempus præfixum in eodem Capitulo; tribus continuis diebus comedat panem & aquam duntaxat. Pari pœnitentia plectantur Socij Prælatorum huius Ordinis in hoc ipso scienter consentientes. Ad ipsos verò Superiores Prælatos, & eorum Socios, talium

*Recipiendorũ deliberatio quorũ sit.*

talium recipiendorum deliberatio ſpectabit. Vbi autem aliquis ſubditus, per ipſos Superiores Prelatos ad tale negotium delegatus fuerit: reſideat ipſa deliberatio penes Localem Correctorem, & eius Socios, ſiue Seniores. Quicunque verò recepti fuerint contra ſupradictam formam, approbandi reſeruentur Correctori Generali, cùm ipſi ſuſcepti fuerint in Ordine per aliquem Vigilum, vel Prouincialium, vel eorum Viceſgerentium. Cuicunque autem Vigili, vel Prouinciali proprio, tales reſeruabuntur; cùm ante præfixum tempus ad Ordinem recepti fuerint, per ipſum Generalem, vel per aliquem Localem Correctorem: & per ipſos Prælatos, quibus reſpectiuè tales reſeruabuntur, poſtmodùm approbentur; & eorum receptio approbetur & confirmetur. *Cor.16.* *Indebitè receptorũ approbatio.*

*Habetur in hoc Statuto, deliberationem receptionis recipiendorum à Delegato, reſidere penes Localem Correctorem, & eius Socios. Nec mirum; ſi enim deliberatio recipiendorum non eſt penes ſolum Prælatum Superiorem, ſed etiam penes eorum Socios, vt habetur in eodem Statuto: non debet etiam eſſe penes delegatum duntaxat; ſed adhibendi ſunt ipſi conſiliarij, cum quibus rem tanti momenti diſcutiat & concludat.*

*dat. Nec vlli conuenientiùs poterant aßignari, quàm Corrector localis & eius Socij. Si tamen Prælatus Superior cum Sociis, aliquem ad Ordinem receperit: cuicunque voluerit potest committere, vt ipsum induat Religionis habitu, absque eo quòd localis Corrector eiúsque Socij super hoc consulantur. Cùm consulendi solùm sint pro receptione, qualis non est induitio Nouitij: ad quam nullum requiritur consilium, benè tamen ad receptionem.*

*Vt petent ad professionem recipi.* Insuper, Nouitiorum Informator, cunctos sibi commissos Nouitios in hoc Ordine profiteri proponentes, circa suę probationis terminum, moneat saltem ter aut quater, in Capitulo petere recipi in hanc Congregationem. Quibus indulto quòd recipientur, profiteantur. *Ibid.* 17. *Vide*, Professio.

*Confess. Prædic. 1517. 1532. 1535.* Non possunt Confessiones audire, nisi in necessitate, neque prædicare. *c.*2. *Rom.* 11. *c.*1. *Genu.* 13. *c.Paulit.*33.

*Ordinatio.* Non possunt ad Ordines mitti, sub pœna pro Superioribus & Sociis consentientibus, iis inflictis qui mittunt Laïcos. *cap. Paulit.* 19. *Vide*, Laïcus.

*Cõfessor.* Eorum Confessor potest assignari à Correctore, de suorum Seniorum consilio, absente Prouinciali; si immineat necessitas

ceſsitas aſsignandi Confeſſorem Noui-
tiis. *c.* 1. *Bonon.* 12. *Vide,* Confeſſor. 1538.

Non debent eſſe infirmorum miniſtri. *Infirmis non miniſt.*
*c.* 1. *Valent.* 11.

Poſſunt ad profeſsionem recipi à Capi- 1541.
tulo Locali, abſente Prouinciali, abſque *Ad profeſſ. receptio.*
illius expreſſâ licẽtia: niſi fortè in caſu quo
à Prouinciali foret prohibitũ. *c.* 2. *Valent.* 15. Infrà.

Nullus debet recipi cæcus, claudus, aut 1550.
deformis: ſed iuuenes benè diſpoſiti, de *Recipiendorũ qualitates.*
nullo errore ſuſpecti, non à Iudæis neque
Sarracenis orti: corpore ſani, debitis ex-
pediti, conditione liberi: non infames, nec
homicidæ, ad minùs Grammaticam cal-
lentes, ſeu ad illam diſcẽdam idonei, quo
ad Choro deſtinatos; ſeptemdecim anno-
rum. Præcipitur inſuper ſub pœna priua-
tionis quibuſcunque Superioribus reci-
pientibus, vt ante receptionem habitus
cuiuſque Nouitij, vel ſaltem ante profeſ-
ſionem; deputetur aliquis Frater idoneus,
à Prouinciali, & Capitulo Locali eligen-
dus; qui, expenſis dicti Nouitij, vel Ordi-
nis ſi placuerit, lares paternos petat: &
ſine acceptione perſonarum, de requiſitis
omnibus prędictis informationem faciat.
Quòd ſi bonum teſtimonium attulerit, *Reiectio.*
poterit Nouitius admitti ad profeſsio-

nem: sin autem, reiiciatur: imò & post professionem, si vera tacuerit. *cap. 4.*
1574. *Genu. 13.*

*Sed extat Bulla Gregorij XIII. quæ incipit,* Muneris nostri. *sub datum Romæ apud S. Marcum die prima Augusti, anno 1583. Qua,* Motu proprio decernit, vt descendentes ex genere Iudæorum, Mahumetanorum & Hæreticorum, in Religione nostra recipiantur, & ad dignitates admittantur: cùm post susceptum ab eis Baptisma, Iudæi & Græci distinctio apud illos esse non debeat: non tamen descendentes ex prædictis relapsis, vsque ad quartam generationem inclusiuè.

*Licèt autem hæc Bulla non fuerit recepta à Capitulo 5. Genuensi, sed in illo statutum n. 31. vt supplicaretur Sanctissimus, quatenus eam reuocare dignaretur, pro Religionis quiete. Quia tamen Papa non reuocauit, in suo manet robore. Vide Passarellum in Scholiis ex Genuensi, n. 31. Vide & similem Bullam Pij V. apud eundem in libro priuilegiorum, p. 255. & aliam Pij IV. apud Roderig. in Bullario, in Pio IV. Bulla eius 3.*

*Visitatio.* Antequàm recipiantur Nouitij, per Chirurgum super secretis eorum infirmitatibus visitentur: & ad professionem *Protestatio ante prof.* admittantur, cum protestatione nullitatis professionis, si contagiosum, aut incurabilem morbum, quod tacuerint, habere reperiantur, vel aliud legitimum impedi-

pedimentum. *cap. Paulit.* 33. 1535.

*Ne autem ante completum probationis annum profiteantur, sicque eorum professio sit nulla; necesse est, vt in peculiari libro diem & horam suæ receptionis ad Religionis habitum manu propria scribant. Quod noto, quia nouissimè vidi professum quatuor annorum ab Ordine exiisse refrigescente prima ipsius charitate; vbi professionem suam probauit esse nullam, eo quod illam inaduertenter emisisset duobus diebus ante completum annum probationis. Quod fortè nunquam aliàs acciderat in isto Ordine.* *Ad Religionis habitum.*

In omnibus & singulis Conuentibus, recipi, & indui possunt Nouitij: ad quos Conuẽtus, spectat eorum hæreditas. Debent tamen in singulis Prouinciis, vnus vel duo Conuentus eligi pro Seminariis Nouitiorum; in quibus, in iis quæ sunt ad pietatem & Religionis obseruantiam, instituantur ab Informatore: Cuius votum, in receptione ipsorum ad professionem, pro duobus computabitur. *c. 1. Barchin.* 6. *Vbi recipiendi. Hæreditas. Nouitiatus. Informator.* 1581.

*Cùm versemur circa Nouitiorum institutionem, Constitutiones super hoc Clementis VIII. iussu editas, hîc apponere bonum duco, in gratiam Informatorum Nouitiorum.*

 1 Cum

*Harum ordinat. finis.*

1 CVM ad regularem disciplinam in singulis Religiosorum Monasteriis propagandam, Nouitiorum institutio maximè vtilis sit, ac necessaria, & nihil ad grauem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum viuendi rationem relaxandam maiorem vim habuisse compertum sit, quàm, vel nimiam in recipiendis Nouitiis facilitatem supra numerum, quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiritu, an verè esset ex Deo, atque ex præcipuo desiderio illi inseruiendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque instituendis. Idcircò, vt huiusmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & singulis, ad quos spectat, vt in recipiendis Nouitiis, & in eorum institutione, atque educatione, necnon in magistri, & aliorum ministrorum electione, præter alia, quæ in sacris Canonibus, ac Decretis præsertim Concilij Tridentini, Pontificiis, & cuiuscunque Ordinis, aut instituti constitutionibus continētur, tam in aliàs designatis, quàm nunc, & in posterum ad hoc designandis Monasteriis, & Conuentibus, hæc, quæ sequuntur, inuiolatè obseruari, & exequi perpetuò curent.

*Nouit. recip. qualitat.*

2 Primùm, quòd attinet ad Nouitiorum recipiendorum formam, vltra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipuè eorum, qui sextumdecimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius administrationis rationi obnoxij sint, iuxta formam constitutionis

tutionis felicis recordationis Sixti V.& moderationum ſubſecutarum : illud etiam Superiores ad quos ſpectabit, ſedulò perquirant, vt, quibus in Monaſteriis,& Conuentibus,ex Apoſtolica facultate Nouitiatus fuerint inſtituti, in iis ad Religionem nullus in poſterum admittatur,qui & ex honeſtis parentibus natus non ſit, & conditiones ſacris Canonibus, Summorúmque Pontificum conſtitutionibus præſcriptas non habeat, iuxta Decretum ſuper forma recipiendi Nouitios die 19.Maij 1602.editum.

3 Quiſque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea ſit ætate conſtitutus,quam eius Ordinis, in quo recipietur,regularia inſtituta, & ordinationes requirunt; eam verò literarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpē indubiam præ ſe ferat, vt minores,& ſuis temporibus,maiores Ordines, iuxta Decreta Sacri Concilij Tridentini ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimumquintum excedens ad habitum regularem admitti poſtulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuerſorum tantum,quibus literarum ſcientia non eſt neceſſaria,numerum referatur : ipſi autem Conuerſi non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annum : & niſi ſaltem præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita nouerint. *Aetas & ſcientia.*

4 Demùm Superiores diligēter exquirant,quo ſpiritu,qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo melioris frugis,ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberiùs famulari poſſint, an potiùs leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato *Examen.*

animi ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur.

*Instructio.* 5 Prouideant quoque, vt omnes, etiam Conuersi recipiendi; priusquàm ad habitum regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statúque regulari, & aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis, & constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarundam Religionum moris est, nedum Conuersos ad professionem admittendos, verùm, & Oblatos, vt vocant, recipere, circa ipsorum Oblatorum receptioné vnaquæque Religio suas peculiares Cóstitutiones, specialiáq; instituta obseruare teneatur.

*Confessio receptorum.* 6 Statim atque Nouitij ad habitum recepti, & in locum Nouitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent.

*Nouitiatus.* 7 Quod verò ad loci qualitatem vniuscuiusque Nouitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte Conuentus, & Monasterij, in qua degunt professi, segregatus sit, atque distinctus, habeátque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro singulis singuli lectuli commodè sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magistro, eiúsque socio reperiatur.

*In eo, locus pro conferẽt. spiritualib.* 8 In eo etiam, prǽter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionésque Magistri audiendas, & in quem

hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiantur. *Caminus.*

9 Oratorium insuper, seu Capella, si commodè fieri poterit, ad Nouitios in spiritualibus, præsertim in cæremoniis, ecclesiasticísque functionibus exercendos. *Oratorium.*

10 Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem benè conclusus, atque munitus adsit; sin minus, hortum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis verò Nouitiis ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit) ne in eundem quisquam alius ingrediatur. *Hortus.*

11 Ad huiusmodi locum Nouitiatus nemini eiusdem, vel alterius Ordinis regulari etiam Conuentus, & Monasterij Officiali, vllo vnquam tempore sub quouis prætextu aditus pateat, prærerquam Magistro, eiúsque socio, ac etiam Monasterij, aut Conuentus Superiori, si quandocunque ingrediendum sibi necessariò existimauerit, quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conuentus, vel Monasterij Patribus socium assumat. *Ad Nouitiatum ingressus.*

12 Huius loci clausuræ clauis apud Magistrum semper asseruetur, illíque soli liceat ex graui tantùm causa ingressum illuc alicui permittere: si quis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente, & non aliter alloquatur. *Nouitiorum alloquutio.*

13 Nouitiorum Magistro socius, si per Nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quæ ad Nouitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediatè subiectus existat, eligantúrque tam Magister, quàm *Inform. & Socij electio.*

ſocius per Prouinciale Capitulum, per triennium ad minùs onus huiuſmodi ſubituri. Quòd, ſi aliquo caſu extra tempus capitulare noua loca Nouitiatus concedi contingat, tunc electionem Magiſtri Nouitiorum, & ſocij huiuſmodi in his nouis locis per Generalem, vel Prouincialem, ſeu Miniſtrum, aut eorum Viſitatores, ſeu Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum conſenſu fieri permittatur; idémque ſeruetur, ſi intra triennium, alterum, vel vtrunque vrgenti aliqua de cauſa ex illis locis amoueri, vel mori contigerit, in cuius, vel quórum locum alij conſimiles ſubrogari debeant.

*Qualitates.* 14 Tam Nouitiorũ Magiſter, quàm ſocius, ab iis omnibus officiis, oneribúſque vacationem habeant, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipſe Magiſter ſacerdotali Ordine ſit initiatus, ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus, & qui per decennium à profeſſione emiſſa in religione perſtiterit: Socius verò trigeſimum annum excedat, síntque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præſtantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitatéque referti, non ſine affabilitate graues, zelum Dei cum manſuetudine præſeferentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira præſertim, & indignatione, quæ in ſe, & erga alios charitatem impedire conſueuerunt, quam longiſſimè alieni, & tales demum, qui in omnibus ſeipſos bonorum operum exemplum præbeant, vt ij, qui eorum curæ ſubſunt, illos non tàm metuant,

quàm

quàm reuereantur, nec illis vnquam detrahere quicquam possint.

15 Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen, ita vt in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quouis colore se ingerere liceat. *Potestas.*

16 Curam adhibeat diligentem, vt Nouitij omnes in regulari disciplina sedulò exerceantur, agnoscántque præcipuè diuinę, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam, & excellentiam, quæ vera sit, atque perfectà votorum solemnium, & quàm necessaria cuiusque Ordinis Constitutionum obseruantia, modum in oratione, tùm vocali, tùm mentali fructuosè persistendi, illicitas passiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona est, atque procliuis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnúmque silentium. *Nouitiorum instructio.*

17 Quilibet Nouitius bis quotidie orationi mẽtali, & vocali incumbat, vnusquisque secundùm propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam vnusquisque examinare contendat. Ipsi *Oratio. Examen. Cõfessor.*

*Huic obſtat Correct. n. 89. cui non derogatur, vt hîc notat Peiri.*

autem Magiſtro ſoli Nouitiorum confeſſiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, ſi ita expedire iudicauerit, vel per ſeipſum, vel per alium ab eo deputandum, ſemel, aut bis in anno eorundem Nouitiorum confeſſiones audire.

*Miſſa. Horæ Canonicæ.*

18 Quotidie Miſſæ ſacrificio interſint, & ſtatutis horis in Choro, nocturnis, diurníſque diuinis Officiis aſſiſtant.

*Exercitia corporalia.*

19 Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel ſcribant res ſpirituales, modeſtam animi recreationem interponant, quæ in ſolitario loco, & commodo extra Nouitiatum ſemel in hebdomada, vel in alternis ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur, fiátque ſemper Magiſtro præſente, vel ſocio, qui multum inuigilent, ne duo ab aliis commorentur diſiuncti, atque eo tempore, cuiuſque, in quam natura feratur propenſionem ſcrutentur.

*Conuerſat. extra profeſſos.*

20 Non liceat eis, durante Nouitiatus, & probationis tempore, vnà cum Profeſſis, niſi in Choro, in Eccleſia tempore Officiorum, in Proceſſionibus, aut in cœnaculo cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis Profeſſos domo exeuntes comitari.

*Ianitor Nouitiatus.*

21 Pro cõmunibus, & propriis cuiuſque neceſſitatibus, quæ accidere poſſunt, vnus ex Nouitiis ipſis, ætate, moribúſque prouectior deputetur, qui abſente ſocio, Magiſtro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuæ cuſtodia, & rerum leuioris momenti prouiſio intra Nouitiatum committi poterit.

*Conuerſorũ inſtructio.*

22 Cùm autem, licet Clericorũ benè inſtituendorum

dorum cura debeat esse præcipua, Conuersorum tamen religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potiùs æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiã, cum regulam profiteantur eandem, perfectam educationem, tùm religioni decoré, & ornamentum, tùm aliis Christi fidelibus ædificationem, exemplum, atque vtilitaté afferre. Conuersis ipsis à Clericorum Nouitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tâmen hac separatione non obstante Magistro Nouitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum iuxta cuiusque Ordinis Statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantùm circa corporalia obsequia probandi, & exercendi, verùm etiam, pro eorum capacitate, & commoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod vt commodiùs fiat, ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Nouitiis fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesiis statutis horis conueniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.

23 Tempore verò probationis elapso, ij tantùm, qui non solùm religiosæ perfectionis capaces: sed ad laboré corporalem apti nouo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis suæ annũ, quoad Clericos decimumsextũ, quo verò ad Cõuersos, vigesimũprimũ excesserint) ad professioné admittantur; sed qui ad Conuersorum habitũ recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint. *Ætas* Non derogat Regulæ 2.

24 Su

*Professionum liber.*

24 Superior cuiuslibet Conuentus, in quo Nouitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo vniuscuiusque Nouitij professio registretur, illámque Nouitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant.

*Subscriptio professionis.*

25 Conuersus verò literarum ignarus, professus, in eorundem testium, qui se subscripserint, præsentia, propria manu signum Crucis apponat, asseruetúrque liber, & custodiatur in Archiuio, vbi scripturæ ad Monasterium, seu Conuentum pertinentes reponi consueuerunt.

*Filiationes.*

26 Quia verò in quibusdam Ordinibus filiationis vsus est receptus, declaratur, quòd licet Decretum sit, vt Nouitiis educandis certa Monasteria, aut Conuentus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis vsus receptus est, eos, quos prænarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios iuxta cuiusque Ordinis Constitutiones adscribere, sícque adscriptos, cùm iuxta præsentes Institutiones, & aliàs, seruatis seruandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Nouitiatuum cum testimonialibus literis transmittere, vbi tanquam dictorum Conuentuum, seu Monasteriorum filij, eorundem nomine, & instantia recipi, ac in Nouitiatu probari, & deinde antequàm ad eadem Monasteria, seu Conuentus filiationis huiusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, vt præmissum est, exerceri debebunt.

*Prouisio Conuentuum.*

27 Porrò, ne loca vnius Monasterij, seu Conuẽtus

tus ab alio præoccupentur, Capituli Generalis, aut Prouincialis partes erunt, numerum præscribere pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimentorum contributionem (si opus fuerit) inire, ac singulis Conuentibus, & Monasteriis præscribere, quæ magis expedire videbitur.

28 Vt autem Nouitij iam in Professorum numerum (sicut præmittitur) recepti meliùs in bono spiritu, regularísque disciplinæ obseruantia stabiliantur, & confirmentur, mandatur, vt statim post professionem emissam, si in Conuentibus, aut Monasteriis pro Nouitiatibus assignatis locus aderit secundi Nouitiatus, siue Professorij, ab ea, quæ Nouitiorum est, atque antiquorum Professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conuentus eos alere queat, sin minus, in alium commodiorem Conuentum, aut Monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad Nouitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de nouo construatur. *Noui Professi.*

29 Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ, suarum constitutionum, seu institutorum vigore, maioris temporis cursu nouos professos intra Nouitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, vt, prædictis earum Constitutionibus non obstantibus, idipsum facere possint, si id rationi, ac Religioni magis expedire diiudicauerint, quibus in locis degant sub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quàm seruent antiquiores professi, ita quòd in negotiis Monasteriorum, aut Conuentuum non se intromittere, nec communibus tra- *Nouitiatus duratio.*

ctatibus

ctatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quovsque ad ætatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem deuenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimò, & debebunt litterarum studiis operam nauare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum Magistrum præditum esse oportere dictum est.

*Nouitij vbi recipiendi.*

30 Declaratur tamen, quòd propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi Nouitios, nisi in locis pro Nouitiatu designatis, aut in posterum designandis, & pro numero dumtaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

*Pœna cōtras. taxata.*

31 Denique si illi, qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij, ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quouis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationem, grauioresque pro modo admissæ culpæ pœnas, se subituros certò sciant. Datum Romæ apud S. Petrum, die 19. Martij, 1603.

ANTON. SENECA,
*Reformationis Apostolicæ Secretarius.*

*Legitima.*

Nouitiorum legitima, de iure debetur Ordini, nec est parentibus concedenda. Verùm, si quis ex parentibus fuerit paupertate

pertate oppreſſus; poterit Monaſterium, facta inquiſitione, vſque ad viginti aureos cum ipſis diſpenſare. *Ibid.* 7.

Nouitij, non debent circa tempus profeſſionis moueri de Conuentu in Conuentum ad effectum profeſsionis conſequendum : ſed in ſuo Seminario permaneant, vt teſtificari poſsint Fratres de eorum vita & moribus. *Ibid.* 12. *Inamouibilitas.*

Non poſſunt à Prouinciali ad profeſſionem recipi, contra voluntatem Capituli Localis: ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio per ſex menſes. *Ibid.* *Receptio ad profeſſionem.*

Eiecti in vna Prouincia, in alia recipi non poſſunt, nec in alio Conuentu; niſi conſtet de cauſa eiectionis. *c.* 1. *Genu.* 15. *c. Paulit.* 33. *c.* 7. *Genu.* 22. *Eiecti.* 1532. 1535. 1605.

*Quo ad Nouitiorum primogenituram, ſeu ſedendi ordinem. Vide*, Primogenitura. *Primogenitura.*

# O

## *Obedientia.*

Huius Ordinis Minimorũ vniuerſi Fratres & Sorores, ſalutis æternæ viã, regulã & vitam imitantes; ac decem Mandata diuina, & Eccleſiæ Præcepta ſalubriter obſeruantes: Sanctiſsimo D. N. D. Iulio Papæ *Deo.* *Eccleſiæ.* *S. Pontifici.*

Papæ I I. & eius ſucceſſoribus canonicè intrantibus, fideliter Obediant. Inſuper, Fratri Franciſco de Paula, & illi pro tempore ſucceſſoribus Generalibus, Correctoribus, ac Prouincialibus eiuſdem Ordinis, pro tempore exiſtentibus: & Sorores ſuæ Matri Correctrici, humiliter pareant. *R.F.*1. *R.S.*1.2.

*Et Super. Ord. debita.*

Voluntatem propriam ſe abnegaſſe non ignorantes, huius Ordinis Fratres, Sorores & Oblatæ; ſuis Superioribus, in cunctis quæ ſuæ animæ & huic ſacræ Regulæ non aduerſantur, humiliter obediant. *R.F.*19. *R.S.*15.

*Inobediẽtis pœna.*

Si quis delinquens contra quintum Capitulum Regulæ, contra ſuorum Superiorum Obedientiam rebellis fuerit, & ita in ſua contumacia permanſerit; carceribus mancipetur. Pro ipſo verò taliter incarcerato, deuotè in Officio diuino, poſt Antiphonam *Salue Regina*, vel alteram poſt horas Canonicas ſolito more dicendam, cum verſiculo & oratione: & etiam poſt prandium & cœnam, communiter dicatur, *Veni, creator Spiritus*, ſubiunctis verſiculis & collecta de Spiritu Sancto: quatenus ipſo Sancto Spiritu eũdem ſic incarceratum viſitante, ad Obedientiam

*Preces pro eo fũdenda.*

dientiam promptiùs emolliatur: & vlteriùs, provt Correctori bonum videbitur, à sibi familiaribus, vel aliis idoneis Fratribus, frequenter ad Obedientiam incitetur, exemplo & amore benignissimi Iesu Christi; qui & pro humani generis salute hominibus subdi non dedignatus est: qui etiam ne perderet Obedientiam, perdidit vitam. Et prætcrea, si talis incarceratus salubri pœnitentia ductus, infra triduum, seipsum ad Obedientiam peragendam promptum exhibuerit; è carceribus ipsis liberetur. Si autem ipse toto illo triduo transacto, pertinaciter inobediēs remanserit: tribus continuis mensibus, iterum carceribus ipsis detineatur. Si verò eisdem tribus mensibus euolutis, adhuc inobediens fuerit; ipsis carceribus iterum recludatur: & inibi, singulis quartis & sextis feriis, comedat panem & aquam duntaxat. Et indè non eripiatur, nisi obedire paratus sit. Quandocunque verò parere promptus extiterit: & Correctori, Capitulóque Locali bonum videbitur; inde misericorditer liberetur. *Cor.* 33. *A quibus exhortādus.*

Obedientiā habētes, vt eant de Cōuentu in Conuentū, vel de Prouincia in Prouinciam: nō debēt disponere de libris, ve- *Obedientia vt facienda.*

 stimentis,

ſtimentis, & aliis ſibi ad vſum cõceſsis: niſi iuxta tenorem Capituli 5. Correctorij: Illis tamẽ debet permitti libros trãsferre, quos habent ab amicis, vel parentibus, & ad vſum de Superioris licentia; etiamſi extra Prouinciam exeant; ſine quibus non poſſunt commodè legere, aut prædicare: niſi eorum mores improbi aliud exigant.
1541. 1547. *c.1.Valent.24.c.1.Foroiul.13.*

*Electus in Correct. recipiens Obedientiam General.*

Electus in Correctorem, ſi ad eum miſſa fuerit Obedientia à Reuerendiſſimo à remotis exiſtente, ante ſuæ electionis cõfirmationem, debet ſtare Obedientiæ Generalis, eamque exequi. Si poſt confirmationẽ, debet ſtare electioni, & quamprimùm ſuper huiuſmodi certiorem facere Generalem. Qui ſi ſecundò replicuerit, tunc ei Obedire tenebitur, etiam confirmatus Corrector: allegatis tamen
1562. priùs, ſuæ depoſitionis cauſis. *c.3.Valẽt.7.8.*

*Nota illa verba*, à Reuerendiſſimo à remotis exiſtente: *indicant enim, hoc Statutum loqui de Obedientia miſſa abſque vlla fraude, nec ad impediendum effectum electionis in fauorem alicuius factæ: quam ſcilicet Generalis à remotis exiſtens, nec de tali electione cogitans, pro bono publico, vel priuato Religionis mittit. Neque enim credibile eſt, Capitulum Generale velle,*

*velle, Generalem posse per Obedientiam à Prouincia amouere electum in Correctorem in Conuentu in quo est ipse, vel in alio proximiori, si illius electio illi non arrideat; nisi subsit alia causa legitima. Sic enim, sine causa posset illum priuare iure per electionem acquisito, quod rationi repugnat. Ideò expressè dicit hoc Statutum,* à remotis existens; *ne Generalis existens in proximo, post notitiam electionum Correctorum, sub aliis prætextibus Obedientias iis qui sibi non arrident dans pro aliis Prouinciis, impediat effectum electionum illorum, contra iustitiam.*

Obedientiam habentes à Generali antequàm à Prouincia discedant, tenentur ostendere originale Prouinciali. *c. 7. Rom.* 39. *Vide*, Sigilla. *Obed. orig. ostēdendum. 1623.*

Obedientia, an quibus, & quando significanda. *Vide*, Electio. *Item declarationem Reuerendissimi, in initio secundæ huius partis, pag. 26.*

*Oblati.*

Vt & à quo recipiendi. *Vide*, Nouitius. *Vt recipiendi.*

Tam ante quàm post eorum professionem, poterunt in Prouisores eligi: & intùs, provt cæteri, vnum vel plura Officia minora exercere; iuxta Capituli Localis ordinationem. *R.F.* 8. *Officia illorum.*

Dicti autem Oblati, in actibus capitu- *Voce carent.*

 laribus,

*Exercitia illorum.* laribus vocem non habeant: quin potiùs circa frequens ministerium Fratrum sollicitè satagant: & in die Professionis suæ, *Fidelitas.* in Capitulo fidelitatem Ordini promittant. Ac, prout Fratres, ad quatuor eiusdem Ordinis Vota se obligent. *Vota.* Nihilominus tamen, pecunias quascunque tangere, ac super se portare, & de Correctoris licentia soli ambulare, licitè valebunt. *Ibid.* 17.

*Calceatura.* Prætereà, nulli huius Ordinis Oblati, per quoscunque Superiores, vllatenus compellantur deferre calceos desuper apertos. Si autem aliquis Localium Correctorum contrarium fecerit, corrigatur per aliquem Superiorum Prælatorum, vel eorum Vicesgerentium. Ipsi verò Superiores Prælati taliter delinquentes, in sequentibus eorum Capitulis super hoc puniantur. *Cor.* 21.

*Nõ fiant Choristæ.* Circa Oblatos ad Chorum suscipi postulantes: concluserunt Patres, quòd seruetur penitùs textus Regulæ, num. 3. *cap.* 1514. *Tholos.* 36.

*Nec Laïci.* Quoniam quidam ex Fratribus Oblatis, instantissimè supplicauerat; quatenus de speciali gratia & pro cõscientiæ ipsius serenitate, ad Fratrum Laïcorum statum,

cum

cum Caputij susceptione admitteretur. Patres Capitulantes nostræ Regulæ tenori id omninò contrauenire respicientes definierunt; quod neque ipsi Oblato, nec aliis quibuscunque, de cætero talis concedatur gratia. *c.3.Rom.25.* 1523.

*Ordines suscipiẽtiũ pœna.*

Qui se ordinari fecerint, per annum incarcerentur: & singulis quartis & sextis feriis sint in pane & aqua: & abiectioribus cœnobij seruitiis exerceantur: & ab exequutione omnium quæ Ordinis sunt, perpetuò abstineant: & iure primogenituræ priuentur. Si quis verò Superior, quemlibet Oblatum ad Ordines suscipiendos licentiauerit: cuiuscunque conditionis sit, ab Officio deponatur: & ad omnia Officia sit inhabilis Sociique illius in hoc cõsentientes; cum eo, vtraque voce & iure primogenituræ careant; donec per Generale Capitulum rehabilitentur. *c. 1. Genu.15.c.Paulit,19. Vide*, Laïci. 1532. 1535.

*Superiõrum Obedientiam dantium.*

*Sociorum consentientium.*

*Oblatorũ Informator.*

Quoniam vera disciplina est honesta morum conuersatio, quæ maximè à viris Religiosis venit amplectenda: idcircò decreuerunt Patres, quòd Fratres Oblati, vsque ad finem triennij ad minus, post eorum Professionem, Informatorem habeant: ipsis per Generalem, aut Prouin-

cialem aſsignandum. *cap.* 1. *Genu.* 12. *cap. Paulit.* 31.

*Pecunia.* De Prouincia in Prouinciam, vel de Conuentu in Conuentum, vel ad alia Ordinis negotia proficiſcentes: vbi primùm ad Superiorem Localem redierint, ſingularum ſibi oblatarum pecuniarum reſiduum, offerre & ſignificare teneantur. Item, quomodo eas expenderint: alioquin puniantur grauiſsimè. *c.* 2. *Rom.* 18. *c.* 1. *Genu.* 20. *c. Paulit.* 39.

1517. 1532. 1535. *Confeſſores.* Etſi in Genuenſi Capitulo ordinatum fuerit, & in Paulitano confirmatum, quòd ſolis Confeſſoribus pro ſecularibus deputatis, confiteri habeant Fratres Oblati: noluerunt tamen Patres, ob hoc manus Generalium, aut Prouincialium ligare; quin poſsint eis deputare duos, aut plures Confeſſores, ex ipſis ſecularium confeſſiones audire ordinatis. *cap.* 3. *Rom.* 19. *c.* 1. *Bonon.* 11.

1523. 1538. *Caputiũ. Infrà.* Cùm Fratres Oblati quandam Caputij formam petiiſſent ſibi dari, ad hoc vt inter ſe magis eſſent conformes: definitum fuit, vt qui ſunt in Prouinciis extra Italiam & Hiſpaniam, Caputia deferant: quibus erit annexa Corneta, latitudinis digitorum quatuor, & longitudinis duarum

pal

palmarum: quibúsque die noctéque, nisi laborando, vti habebunt. *c. Paris.* 11. *c.* 1. 1520.
*Genu.* 31. *c. Paulit.* 44. 1532. 1535.

Eadem facultas caputio vtendi cum Corneta, concessa fuit Oblatis aliarum Nationum. *c.* 5. *Genu.* 11. 1584.

*Caputiū.* Ipsis districtissimè ordinatur, vt cum vbicunque suis chlamydibus induentur, suæ chlamydi Caputia supponant: aliàs acerrimè puniantur. *cap.* 1. *Genu.* 31. *cap.* 1532.
*Paulit.* 44. 1535.

*Habitus.* Ipsorum Habitus, ad suram vsque duntaxat, protendatur: & Prouinciales hoc statutum exequutioni non mandantes, Officio priuentur. *cap.* 2. *Auen.* 9. *cap.* 1599.
*Massil.* 45. 1611.

*Vide*, Habitus. Ieiunium. Officium Diuinum.

*Oblatæ.*

*Earum Officia.* Poterunt tàm ante quàm post earum professionem, provt cæteræ Sorores, vnū vel plura officia minora, iuxta Capituli Localis ordinationem, licitè exercere.
*Epistola.* Præterea, extra suos Conuentus, absque Correctricis licentia, nullas literas transmittant. *R. S.* 8.

*Vox Cap. Officium.* In actibus Capitularibus vocem non habeant, sed circa frequens Sororum mi-

nisterium sollicitè satagant: & in die Pro-
*Fidelitas.* fessionis suæ, in Capitulo fidelitatem Or-
dini promittant: & prout Sorores, ad qua-
*Vota.* tuor eiusdem Ordinis Vota, suo modo se
obligent. Nihilominùs tamen, pecunias
quascunque tangere; & illas, de licentia
Correctricis, à quibuscunque personis
(quoties opus fuerit) per strictas Conuen
tus craticulas, recipere licitè valebunt.
Quibus sic per eas receptis, ad ordinatio-
nem dictæ Correctricis, de illis omnibus
*Clausura.* disponant. Sui tamen Conuentus clausu-
ram nullatenus exeant, prout nec Soro-
res. *Ibid.* 12.

*Obligatio*

Ad Missas & Suffragia. *Vide*, Missa.

*Ad Missas, & Suffragia perpetua nos obli-
gare possumus, ex dispensatione Summi Pontifi-
1541. cis, de qua in Capitulo I. Valentinensi, num. 9.
& virtute Bullæ Vrbani VIII. quæ incipit,*
Apostolica, *sub datum Romæ apud S. Petrum*
14. *Ianuarij* 1625. *de quo vide Peirium super
Constit.* 4. *Iulij II. n.* 18. *Priuilegia enim conces-
sa vni ex nostris Conuentibus, omnibus aliis no-
stris Conuentibus conceduntur, vt patet ex Bulla
Iulij II. quæ incipit,* Dudum, *sub datum Romæ
apud S. Petrum anno* 1506. *quinto Kal. Augu-
sti. Et ex alia Bulla eiusdem Pontificis, quæ inci-
pit,*

pit, Aliàs, *sub datum Romæ apud S. Petrum anno* 1507. 29. *Martij. Et ex Bulla Leonis X. quæ incipit*, Dudum per nos, *sub datum Romæ apud S. Petrum, anno* 1519. *die* 20. *Decembris. Et ex Bulla Clementis VII. quæ incipit*, Deuotionis augmentum, *sub datum Romæ apud S. Petrum,* 22. *Septembris, anno* 1532.

*Sanè præcedẽs Statutũ Regulæ, videtur potiùs datũ per modũ consilij, quàm per modũ Statuti: B. enim Legislator, qui vel minimis infractionibus Regulæ (quam ne ad peccatũ quidem veniale obligare declarat, quatuor Votis exceptis, Cor.* 116.) *pœnitentias taxauit, v.g. fractioni silentij, ibid.* 59. 60. *& similibus, nullam omnino imposuit iis, qui se obligant ad Missas, vel Suffragia perpetua; quod tamen grauius est omni ex parte; sed nec aliquam imponendam esse dicit; difficultatem nimiam proculdubio, quæ in Statuti huius obseruantia futura erat, prævidens: neque enim fundarentur Missæ, seu Suffragia, pro quinquaginta annis duntaxat, nisi rarissimè: quod paupertati nostræ subleuandæ multùm officeret; nec, suppositis nimiis impensis, quas Quadragesimalis vita quam vouemus secum trahit, ad necessitatis exigentiam succurreret. Vndè vix vnquam obseruatum fuit in Ordine, statutum istud, cùm à diebus etiam B. Patris Francisci de Paula, Missarum fundationes habeamus perpetuas; non*

*solùm in Conuentu Romano sanctissimæ Trinitatis, virtute priuilegij Pauli I I I. vt patet ex Bulla, quæ incipit,* Nuper, *sub datum Romæ 13. Octobris 1535. & in Conuentu Ambianensi, virtute priuilegij præallati, de quo in Capitulo primo Valentinensi, num. 9. à Summo Pontifice Paulo III. emanati; sed etiam in Conuentu Gratianopolitano pro Fundatore, & in aliis non paucis, vt constat ex variis Bullis Summorum Pontificum.*

*Pro maiori tamen securitate conclusum fuit in Capitulo I. Genuensi, num. 37. vt supplicaretur Summus Pontifex, quatenus dignaretur per clarum priuilegium facultatem nobis concedere, qua possemus nos obligare ad Missas, & Suffragia perpetua: quam & idem Summus Pontifex concessit, vt patet ex Bulla, quæ incipit,* Ex parte vestra, *sub datum Romæ apud S. Petrum, Idibus Octobris, Pontificatus D. Clementis Papæ V I I. anno 9. Licèt autem in Capitulo Paulitano immediatè sequenti, contra hoc priuilegium fuerit reclamatum: ab illo tamen Capitulo Paulitano vsque in diem hanc, contra obligationes in perpetuum ad Missas & Suffragia nihil fuit obiectum. Imò, omnia subsequentia Capitula Generalia, tales obligationes & contractus super ipsis factos, quoties requisita fuere, confirmauerunt, & rata habuerunt. Ideò, si per non vsum, vel consuetu-*

*ſuetudinem contrariam octoginta, vel nonaginta annorum, ſtatuto Regulæ non eſſentiali derogatur; huic de quo agimus derogatum fuiſſe, conſtat euidentiſsimè.*

*Officiales.*

Sibi commiſsis Officiis, vigilantes incumbant. *R.F.*43.*R.S.*29.*Vide*, Electio Officialium.

*Sufficiat hîc Officiales monere ( Sacriſtas ſcilicet, Pharmacopolas, Procuratores, Quæſtores, Diſpenſatores, &c.) ſicut & eos qui ad ipſos recurrunt; non illorum eſſe, ad libitum de bonis Conuentus diſponere, tam pro ſe quàm pro aliis; ſed duntaxat iuxta præſcriptum Superioris: alioquin, contra Deo promiſſam Paupertatem, proprietatis coinquinantur vitio, & vſurpationis alienæ iuriſdictionis: neque enim bonorum Religionis ſunt Domini, ſed adminiſtratores. Vndè D. Bonauentura in Speculo diſcip. parte* 1.*cap.* 4. *ait*; Officialium Officia ſunt diſtincta: aliis namque neceſſariarum rerum procuratio, non tamen procuratarum eſt diſtributio commiſſa: ab illis autem, non eſt abſque licentia recipiendum aliquid ſpeciale. Aliis, iuxta diuerſa eorum Officia, communis diſtributio rerum committitur: ab his, communia ipſa ( ſi ordinariè, quando ſcilicet & vbi, vel quomodo, iuxta

ſui

ſui limitationem Officij diſtribuere debent, diſtribuunt) licitè recipi poſſunt: qui verò extraordinariè poſtulat, ad licentiam Superioris recurrat. Præter communia ſupradicta, quicunque rem aliquam occultè, ſine Superioris aſſenſu recipit, habet, vel vtitur; à Religionis deſirat licentia, & quidquid habet, malè habet. *Hæc D. Bonau.*

### *Officium Fratrum defunctorum.*

*Pro Gener. Collegis. Zeloſo.* Pro animabus Patris Generalis, ac eius Collegarum & Zeloſi, cùm eorum deceſſus innotuerit; per vniuerſum Ordinem dicantur Vigiliæ cum nouem lectionibus; & vna Miſſa Collegialiter celebretur. Et *Prouinc. Collegis.* inſuper, ſinguli Sacerdotes vnam Miſſam celebrent. Similiter pro animabus Prouincialis, ſuorúmque Collegarum, in ſingulis reſpectiuè ſuæ Prouinciæ Conuen*Cæteris.* tibus, idem fiet. Pro cæteris autem Fratribus obedientiæ conuentuali mancipatis, in Conuentu in quo moriuntur, húiuſmodi Officium perſoluetur: ſingulíque Sacerdotes Locales, reſpectiuè vnã Miſſam celebrabunt. In aliis autem Conuentibus eiuſdem Prouinciæ dicantur Vigiliæ cum tribus lectionibus, & Miſſa ſolemniter decantetur: ſingulíque Sacerdotes,

dotes, vnam Missam celebrent. Fratres autem Clerici, secretò Vigilias cum nouem lectionibus vlteriùs dicant. Fratres verò Laïci, & Oblati, pro prædictorum singulis, centies *Pater noster*, & centies *Aue Maria*, singulariter recitent: adiicientes *Requiem æternam*, & *Lux perpetua*, in fine. *cap. Turon.* 43. *cap. Tholos.* 67. *c.* 2. *Rom.* 27. *c.* 1. *Genu.* 9. *c. Paulit.* 28. 1511. 1514. 1517. 1532. 1535.

Statutum, quo in mox allatis Capitulis statuebatur, celebrandum esse Officium solemne defunctorum, cum Missis, in quatuor temporibus, fuit reuocatum. *c.* 1. *Auen.* 15. 1578.

*Officium Diuinum.*

*Vt cantandum, & quale.*

Laudibus Diuinis Fratres huius Ordinis in Clericos assumpti: & Sorores, pro debitis horis persoluendis, tanquam idoneæ deputatæ: cum tremore alacriter intendentes: simpliciter explicando, seu computando, absque notulis; reuerenter ac ceremonialiter persoluant Diuinum Officium, iuxta Romanæ Ecclesiæ Ritum. Et per vniuersum Ordinem Kalendarium ab eadem R.E. approbatum, vniformiter teneant. *R.F.* 12, 13. *R.S.* 9.

*Laïcorũ, & Laicarum.*

Fratres Laïci & Sorores non Choristæ; pro Matutinis, trigesies: pro Laudibus, decies:

cies:pro Vesperis, duodecies:& pro qualibet reliquarum Horarum, septies *Pater noster*,& totidem *Aue Maria* dicant: versiculis *Gloria Patri*, & *Sicut erat*, singulis vltimis cuiuslibet Horæ salutationibus additis. Et pro defunctorum Officio, decies *Pater noster*, & toties *Aue Maria*, quotidie recitent: versiculo *Requiem æternam*, vltimò *Aue Maria*, subiuncto.

*Oblatorum, & Oblatarum.*

Fratres autem Oblati & Sorores Oblatæ; pro Matutinis, viginti: pro Laudibus, septem: pro Vesperis, decem:& pro singulis reliquarum Horarum, quinque *Pater noster*, & totidem *Aue Maria* depromant: versiculis *Gloria Patri*,& *Sicut erat*, vltimis *Aue Maria* subiunctis. Et pro defunctorum Officio, alia quinque *Pater noster*, & totidem *Aue Maria* quotidie dicant: versiculo *Requiem æternam*, vltimò *Aue Maria* similiter addito. *R.F.*16. *R.S.*11.

*Tertiariorum Clericorum.*

Euangelicam doctrinam vigilanter obseruantes, primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius. Insuper, laudis cantica, pro vniuersis vobis collatis beneficiis, Domino sapienter recitetis. Imprimis, vos omnes huius Ordinis in sacris Ordinibus constituti, Diuinum Officium persoluatis, iuxta Ritum Ecclesię Romanę: vel secundùm

cundùm morem Ecclesiæ, cuius beneficium obtinueritis: aut prout ipsum meliùs dicere consueueritis. Ita quòd huiusmodi vestrum beneficium relinquere non teneamini; vestra etiam professione præsentis Regulæ nullatenus obstante. *R. V. S.* 5.

Vos autē quæcūque aliæ vtriusq; sexus personæ eiusdem Ordinis, pro Matutinis, septem: pro Laudibus, tria: pro Vesperis, quinque: pro Completorio autem, & pro qualibet reliquarum Horarum, tria *Pater noster*, & totidem *Aue Maria*, deuotè dicatis: singulis vltimis *Aue Maria*, cuiuslibet talium Horarum, versiculis *Gloria Patri*, & *Sicut erat*, debitè subiunctis. Et quoniam sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur: pro ipsis defunctis, etiam ter *Pater noster*, & toties *Aue Maria*, quotidie recitetis: versiculo *Requiem æternam*, vltimo *Aue Maria* similiter addito. *Ibid.* 6. *Laïcorū.* *Pro defunctis.*

In morte etiam cuiusvis huius Societatis Fratris aut Sororis, vos omnes eiusdem Congregationis Fratres, ac Sorores illius villæ, vel oppidi, vbi talem decedentem sepeliri contigerit (legitima causa cessante) pariter conueniatis; ac pro

tali

tali decedente, ſaltem ſemel infra octo dies; imprimis vos omnes ſubſcripti in ſacris conſtituti, ſi Sacerdotes fueritis, vnam Miſſam celebretis: vos verò Diaconi, & Subdiaconi, Vigilias cum nouem lectionibus: vos autem reliquæ ſingulæ eiuſdem Ordinis vtriuſque ſexus perſonæ, quindecim *Pater noſter*, & totidem *Aue Maria*, deuotè dicatis. Prætereà, pro ſingulis Fratribus eiuſdem Ordinis Minimorum taliter decedentibus, etiam ſemel in proximiori loco, vbi talium Fratrum & Sororum Congregatio habebitur; & pariformiter in die Commemorationis Defunctorum, etiam ſemel pro cũctis fidelibus Defunctis ſimiliter, & infra totam Quadrageſimam etiam ſemel: & infra Domini Aduentum, iterum ſemel alia quindecim *Pater noſter*, & totidem *Aue Maria*, pro cunctis eiuſdem Ordinis Fratribus, ac Sororibus, & aliis cunctis fidelibus defunctis, deuotè recitetis. *Ibid.* 7.

*Corona B. Virg.* Inſuper, pro gratiis, ac indulgentiis quamplurimis acquirẽdis, præſertim diebus feſtiuis, in laudem B. Mariæ Virginis circa exercitium ſuæ deuotæ Coronæ, ſexaginta tria *Aue Maria*, & ſeptem *Pater noſter*, continentis, vos crebriùs occupetis.

Ad

Ad sanctissimæ etiam Trinitatis honorem, vos omnes huius Congregationis Fratres, ac Sorores, qui & quę legitis, quotidie dicatis deuotè Antiphonam ipsius Beatissimæ Trinitatis: videlicet, *Benedicta sit sancta Trinitas*, &c. subiuncto versiculo, *Benedicamus Patrem*, &c. Addito etiam responsorio, *Laudemus*, &c. vnà cum oratione, *Omnipotens sempiterne Deus*, &c. *Ibid.* 8. *Antiph. S. Trinit.*

Sextis feriis, in Christi passionis memoriam, deuotè dicatis quinquies *Pater noster*, ac toties *Aue Maria. Ibid.* 13. *Exercitium feriæ 6.*

Officium Romanum quod vbique in Ecclesia decantatur, recitare tenemur: sub pœna inhabilitatis ad Officia Ordinis. *c.* 3. *Valent.* 13. *Officium Romanū.* 1562.

Officium S. Francisci de Paula, quod habemus à R. P. Gaspare Passarello, tam pro octaua Festi, quàm pro die Canonizationis; ad formam Officij noui Romani reformatum, recitare tenemur. *cap.* 4. *Genu.* 30. 1578.

*Opera Misericordiæ.*

Fratres & Sorores Regulæ vtriusque sexus, erga pauperes & orphanos, viduas & impotentes, pia misericordiæ opera, iuxta posse complere studeant. *R. V. S.* 15.

## *Oratio.*

*Nō omittenda.* Hortentur Fratres & Sorores, vt Orationis ſanctæ ſtudium non prætermittāt: memores, quòd puræ & aſſiduæ Orationis iuſtorum, magna ſit virtus: ac velut fidelis nuncius, mandatum peragit: & penetrat, quò caro non peruenit. *Medium ad orandum.* Vt autem illis omnibus potior orandi detur occaſio, moneantur quatenus ſollicitè dent operam Euangelico ſilentio. *R. F. 35.36. R. S. 26.*

## *Ordinandi.*

*Sacerdotes.* Nullus in Sacerdotem Ordinetur, abſque licentia alicuius Superiorum Prælatorum, vel ſuorum Viceſgerentium: ad ſingulorum taliter Ordinandorum idoneitatem & ſufficientiam, vigilanter intueri habentium. *Cor. 77. Quo ad alios Ordines, vide,* Ordinati. *[...]is Ordinibus.*

*[...]landi.* Iuuenes verò, qui per ſe, vel per alios ad ſacros Ordines ſe promoueri petierint: ab ipſis Ordinibus, per annum continuum retardentur: niſi aliquando per aliquem huius Ordinis Superiorum Prælatorum, vel ſuorum Viceſgerentium, ad tales Ordines ſuſcipiendum benignè reconcilientur: ſibi tamen ſuper hoc primitùs

tùs iniuncta pœnitentia salutari. *Ibid.* 78.

*Ordinati.*

Si quis absque Localis Correctoris, & sui Capituli licentia, se aliquando promoueri fecerit ad ipsos Ordines sacros: aut etiam ad Presbyteratus Ordinem, absque alicuius Prælatorum licentia: à talium Ordinum sic ab ipso susceptorum officio & executione, per biennium suspendatur. Et vlteriùs, singulis sextis feriis talis anni, in pane & aqua ieiunet: vel grauiùs puniatur, provt Superiori secundùm Deum expedire videbitur. *Cor.* 78. *Sine licentia.*

Si quis extra Ordinem fugerit, vt initietur sacris, & Ordines minores taliter susceperit, suspendatur duobus annis ab exequutione eorundem. Qui autem ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, per triennium. Qui autem ad Sacerdotium, per sexennium. Qui autem omnes Ordines taliter susceperit, manebit suspensus per decennium. Mandatúrque Prouincialibus sub pœna suspensionis per sex menses, & Correctoribus sub pœna priuationis, vt quod statutum est de his exequantur. Ampliùs, volunt eos priuari voce actiua & passiua, cùm diu suspensi fuerint: ac nouissimum locum tenere inter Sacer- *In apostasia.*

dotes, secundùm determinationem Capituli 2. Romani. 7. Voluntque Patres, Generales futuros non posse cum talibus dispensare, nisi modo & forma prædictis.
1581. *c.1. Barch.* 10.

Nota, *per Extrauagantem Pij II. quæ incipit*, Cùm ex Sacrorum, *relatum à Nauarro in Manuali, cap.25. num.70. Ordinatos sine licentia esse ipso iure suspensos, fierique irregulares à solo Papa dispensabiles, si vtantur Ordine suscepto. Quam Extrauagantem, Summistæ contrarium existimantes, non viderunt. Quia tamen per illam tempus suspensionis non determinatur, sicut nec per Concilium Tridentinum Sess. 14. de Reformatione, cap. 2. per præcedens statutum limitatur. Quod rectè fieri potuit, quia Concilium Tridentinum Sess. 23. de Reform. cap. 8. dicit, tales tandiu manere suspensos, quandiu suo Prælato visum fuerit. Cæterùm, vigore Priuilegiorum Ordinis, Prælati dispensare possunt, cum Ordinatis sine licentia, vel in Apostasia: de quo verbo*, Prouincialis.

Quæres, *an elapso tempore suspensionis per præcedens statutum determinato, suspensi sint ipso iure restituti absque alia dispensatione facienda per Superiores.*

*Respondeo cum Nauarro prælud. 9. num. 13. & Passarello hîc, negatiuè: ratio est, quia hæc suspensio*

*pensio absolutè, & non ad tempus incutitur à prædicta Extrauaganti, & Concilio Tridentino, ideóque à iure. Vndè, ex vi prædicti Statuti, solùm habent Superiores Prælati, quòd possint cum taliter suspensis dispensare, exacto tempore in eodem Statuto limitato, & non ante: quod manifestè declarant hæc vltima dicti Statuti verba:* Volunt Patres, Generales futuros non posse cum talibus dispensare, nisi modo & forma prædictis.

### *Ordo.*

Ab Ordine exeuntes cum Breui Apostolico, non possunt ampliùs recipi: nisi à Generali, vel de eius speciali mandato: sub pœna depositionis, pro Superioribus aliter recipientibus. *cap. Paulit.* 32. *c. Bonon.* 9. *Vide*, Habitus. *Ab eo exeuntes.* 1535. 1544.

Tantum de illorum primogenitura dematur, sicut & expulsorum reuertētium, quantum extra Ordinem & Superiorum Obedientiam remanserunt. *c.* 3. *Barch.* 58. *Expulsi.* 1629.

## P

### *Panis & aquæ pœnitentia.*

Habeatur pro regula generali, quod vbicunque in Correctorio, pro aliquo publico delicto, quod etiam vsque ad Noui- *Vt sumēda.*

tiorum notitiam venerit, taxatur aliqua pœnitentia in pane & aqua: fiat hæc ipsa per delinquentem, sedendo in terra. Pro delicto autem, quod vsque ad ipsorum Nouitiorum notitiam non peruenerit; sed duntaxat vsque ad notitiam professorum: iniuncta cuicũque similis pœnitentia, complebitur sedendo in mensa. *Cor.* 3.

*Parentes.*

Fratres & Sorores Regulæ vtriusque sexus, patres, ac matres suas, tã spirituales, quàm corporales: & Correctores atque Correctrices, & omnes Ecclesiasticas personas humiliter honorent. *R.V.S.*4.

*Parochus.*

*Vide*, Corrector.

*Paupertatis Votum. Pecunia.*

*Pecunia non tangẽda, nec portanda.* Sub Paupertate Euangelica perpetuò militantes, omnes huius Ordinis Fratres Clerici, & Laïci, similiter & Sorores; pecunias nullatenus tangant, nec illas scienter deferant. *Eleemos. repetitio. Infrà.* Neque ipsi Fratres, in Iudicio, aut extra contendondo; repetãt eleemosynas temporaneas, vel annuas; aut perpetuas, huic Ordini quomodolibet oblatas: cùm illæ, ab eis, in toto, vel in parte auferentur. *Ecclesiæ reparatio. Fratrum subuentio.* Insuper, tam Ecclesiæ reparationi, quàm ipsorum Fratrum debitæ

sub

ſubuentioni, iuxta facultatem cuiuſque Conuentus, per Correctoris, & Capituli Localis ordinationem, piè ſubueniatur. *R.F.24. R.S.16.*

Non fuit intentionis Regulæ conditoris, vt Fratres huius Ordinis, eleemoſynas ipſas omnino non repeterent: ſed quod illas non repeterent in Iudicio, & cum contentione: ita quod, Fratres ipſi etiam perſonaliter, religiosè, amicabiliter, ac fraternè, & ſine contentione, eleemoſynas ipſas repetere poſſint. Non autem iudicialiter & contentiosè; cùm etiam Religioſis qui ſpiritui & contemplationi vacare debent, prohibitum ſit negotiis ſecularibus ſe immiſcere, & iudicialiter agere. Et ideò, Fratres ipſi per ſeipſos in iudicio minimè comparere valebunt, ſed benè per Procuratores ſeculares: prout eis, ex declaratione in priuilegiorum eiuſdem Ordinis quinternione ſuper hoc facta, expreſsè permiſſum eſt. *Ita authoritate Apoſtolica declarauit Cardinalis Senogallienſis.* *Modificatio repetitionis eleemoſynarum.*

Si quis contra Regulæ tenorem pecunias ſcienter tetigerit, vel eas ſuper ſe portauerit; duobus menſibus incarceretur, & capitulari voce per annum priuetur. Et vlteriùs, ſi talis Prælatus ſit, ſtatim *Pecuniam tangentium, vel portantium, pœna.*

F 4 poſt

postquàm super hoc legitimè conuictus fuerit, ab Officio deponatur. *Cor.* 40.

*At, quid peregrinantes?* Cùm Fratres longum iter faciunt, ne deficiant in via, possunt habere vnum qui pecunias portet pro illorum necessitatibus. *cap.Turon.*33. *c.Tholos.*63.

1511. 1514.

*Non dicunt hæc Capitula, vnum Religiosum ex ipsis, nec vnum Oblatum, vel vnum secularem, sed, vnum, indeterminatè. Secundùm praxim Prouinciarum exactioris obseruantiæ, maximè Turonensis, & Parisiensis, hoc statutum sic intelligitur; vt cùm Fratres choro deputati, vel Laïci iter faciunt absque Oblato, ipsis debeat dari vnus secularis pro pecuniis deferendis; quod in prædictis Prouinciis obseruatur. Et hoc valdè laudabile, vbi possibile. Praxis verò ferè totius Religionis est talis, vt dum prædicti Fratres absque Oblato iter faciunt, vnus ex ipsis pecunias portet, ne deficiant in via. Hoc dictat ratio: neque enim opus erat Capitulum Generale determinare, posse Religiosos peregrinantes habere Oblatum, vel secularem ad pecunias deferendas; hoc enim licere sine tali determinatione, liquidè constat. Præterea, ad hoc expediens recurrere, esset multiplicare entia: nec solùm cum necessitate, sed etiam cum impensis multis, & multoties cum adiuncta impossibilitate. Quomodo enim secularem habere possunt ad portandas pecunias,*

*nias, duo, vel plures Fratres peregrinantes, sine Oblato; quibus datum viaticum vix sufficit ad victum durante peregrinatione, quod sæpissimè accidit? Et tamen non debent in via deficere. Vnus ergo ex illis pecunias portet, ne in via deficiant: maximè cùm non obstantibus quibuscunque pecuniis, multa in via patiantur incommoda, ratione vitæ Quadragesimalis prorsus extraordinariæ: quanto ergo maiora paterentur, si sine pecuniarum subsidio peregrinarentur. Necessitati necessariò parendum, donec de necessitatibus nostris eruat nos Dominus. Concordat nostra resolutio, declarationibus Regulæ, & Correctorij, factis authoritate Apostolica à Cardinali Senogaliensi: qui, inter alia, declarat,* Fratres in via, ex defectu Oblatorum, vel deuotorum Ordinis, pro quotidiano victu posse emere aliqua, *vt habes, verbo,* Secularium negotia. *At, quomodo, quæso, sine pecuniis? Vndè, resolutio nostra non est contra Regulam; quæ intelligenda est de Fratribus non peregrinantibus; & de peregrinantibus cum Fratre Oblato; non de aliis: vt ex prædictis patet. Accepi exiisse Bullam à Paulo V. qua expressè, nobis sine Oblatis peregrinantibus, permittitur pecunias portare: sed illam non vidi.*

Pecunias mediatè, vel immediatè tangere, non licet: nequidem cum bacu- *An mediatè.*

 lo.

1514. lo. *cap.Tholos.*45. *cap.*2. *Rom.*19.

1517. *Pecunias occultantium, vel deponentium extra Ordinem pœna.*

Si quis siue Prælatus, siue subditus, contra promissam Paupertatem offendens, aliquas pecunias proprietario iure deposuerit apud aliquos de hoc Ordine non existentes: aut illas alicubi occultauerit: vbi super hoc legitimè conuictus fuerit, carceribus mancipetur; quovsque pecunias ipsas reponi fecerit in Conuentuali capsa. Si autem pecuniæ ipsæ, summæ notabilis essent, & nullatenus reperiri possent (affectata malitia occultantis) peracta sibi iniuncta pœnitẽtia, tandem cùm expedierit, poterit ex carceribus liberari. Sed, donec per Capitulum Generale rehabilitetur, omni tempore priuetur iure primogenituræ. *Cor.*42.

*Eleemosyna vt admittenda.*

Si quis verò contra promissam Paupertatem offendens, pecuniales eleemosynas admiserit, aliter quàm in huius Ordinis Regula permittitur: legitimè puniatur per aliquem Superiorum Prelatorum, vel suorum Vicesgerentium. *Ibid.* 43.

*Ipsas retinentiũ pœna.*

Si quis cõtra huius Ordinis Regulæ tenorem delinquens, Correctori non præsentauerit à quocunque sibi datas eleemosynas: & easdem absque ipsius Correctoris licentia retinuerit, vel aliis quibuscumque

cumque cōcesserit: aut illas apud aliquos iure proprietario deposuerit: talibus eleemosynis frustretur, & per annum priuetur iure primogenituræ. *Ibid.* 48.

Si verò ipse Localis Corrector, cuiquam taliter erogatas eleemosynas, distribuerit aliquibus Fratribus eisdem non egentibus (etiam Capituli sciētia, & consensu super hoc interuenientibus) per aliquem propriorum respectiuè Prælatorum, vel suorum Vicesgerentium, puniatur: & corrigantur omnes & singuli Fratres, in huiusmodi distributionem inæqualem consentientes. *Ibid.* 49. *Inæqualiter distribuentium.*

Fratres, pecunias sibi à parentibus, aut à quovis alio annuatim assignatas: quocūque respectu non obstante, reponi faciant cum eleemosynis Conuentus, in capsa communitatis: aliàs, ad hoc per Correctorem cogantur. Quod si Corrector id neglexerit, post trinam monitionem ab Officio deponatur. Et contrarium huic Statuto faciens, tanquam proprietarius puniatur. De huiusmodi tamen pecuniis, primò prouideatur necessitati illius, cui talium pecuniarum donatio facta fuit. *c. Paul.* 12. *c.* 4. *Valent.* 31. *Annuas pecunias nullo modo habere possunt Fratres.* 1535. 1571.

Sororum priuati redditus, si quos habebant, *Nec Sorores.*

bebant eorũ Conuẽtibus incorporati fuerũt: & præceptũ in virtute Spiritus Sancti omnibus illarum Confessoribus, vt hoc illis denuncient. Studeant tamen Superiores Prælati, vt ex huiusmodi prouentibus sic eis prouideatur; vt earum iustæ necessitati, nulla ex parte subsidium desit.
1571. *c.4. Valent. 33.*

*Peirinis de Subdito, q.2. c.2. §.1. concludit, posse Religiosum professum, de licentia sui Prælati, ex iuxta causa, habere aliquod peculium, seu aliquos annuos redditus, per seipsum administrandos, quo ad vsus licitos & honestos, etiam indeterminatos, sed necessarios; ad nutum tamen Superioris amouibiles: & hoc, non solùm de iure antiquo, sed etiam post Concilium Tridentinum.*

*Hæc conclusio, positis duobus immediatè præcedentibus statutis, de Religiosis nostris intelligi non potest. Quidquid ergo de illa sit quo ad cæteras Religiones.*

DICO, *nullo modo, nec quocumque prætextu posse quemcunque Religiosum nostri Ordinis Minimorum, habere aliquod peculium, seu aliquos annuos redditus, à quocunque relictos, quomodocunque per seipsum expendendos, & administrandos.*

PROBARI POSSET *hæc conclusio, ex iu*

*iis quæ ſupra diximus ex Regula 24. & Correctorio 40. vbi expreſſè prohibetur Fratribus Clericis, & Laïcis pecunias tangere, aut ſuper ſe portare. Item ex dicendis verbo*, Secularium negotia, *ex Correctorio 46. vbi prohibetur huius Ordinis Fratribus, ſe intromittere perſonaliter de venditionibus & emptionibus: & in bancho, vel alibi, perſonaliter deponere pecunias aliquas: ergo à fortiori per ſeipſos annuos redditus expendere. Euidentiùs tamen probatur concluſio noſtra, ex conditionibus quas Peirinis requirit, ad hoc vt Religioſus poßit habere peculium: quæ in Ordine noſtro deficiunt. Itaque*

PROBATVR PRIMO, *quia ad hoc vt Religioſus poßit habere annuos redditus, requiritur licentia Prælati, ex ipſo Peirinis: at in Ordine noſtro, nullus Prælatus hanc licentiam dare poteſt: ergo. Probatur minor, quia nullus Prælatus dare poteſt licentiam, quam Capitulum Generale prohibet dari; at in præcedentibus ſtatutis Capituli Paulitani 12. & Capituli 4. Valentinenſis 31. & 33. ſtatuitur, vt pecuniæ Fratribus, aut Sororibus à parentibus, aut à quovis alio annuatim aßignatæ, quocunque reſpectu non obſtante, reponantur cum eleemoſynis Conuentus in capſa communitatis; & quod contrarium huic ſtatuto faciens, vt proprietarius puniatur: imò vt Corrector talem Religioſum cogat ad illud faciendum,*

*ſub*

*sub pœna depositionis. Ergo nullus Prælatus nostri Ordinis licentiam dare potest, vt aliquis ex nostris Religiosis habeat annuos redditus.* Adde, *nullo modo esse probabile, Moniales nostras priuatos redditus habuisse, sine licentia Superiorum: & tamen, illarum redditus priuati Conuentibus fuerunt vniti, c. 4. Valent. 33. Ergo Patres illius Capituli omnium celeberrimi optimis statutis referti, & in quo præsens doctissimus Passarellus in R. P. Generalem fuit electus, supponebant nequidem cum licentia Superiorum, licere nostris Monialibus, ideóque nec nobis, priuatos redditus habere: maximè cùm titulus huius statuti sit*, Quòd Sanctimoniales priuatos redditus non habeant. *Supponebant etiam, Superiores deinceps talem licentiam dare nequaquam posse. Absurdum quippe nimis esset, huiusmodi præteritis licentiis derogare, & futuras admittere.* Adde prætereà, *prædicta Capitula non dicere, annuos redditus reponi debere in capsa communitatis, ab iis qui Prælatorum licentiam non habebant; quales nullos fuisse apud nos, maximè tempore Capituli Paulitani, certissimè credo: sed absolutè, vniuersaliter, & indistinctè loqui: vbi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Adde tertiò, *eadem Capitula dicere, annuas pecunias reponi debere in dicta capsa*, quocunque respectu non obstante:

ſtante: *ergo non obſtante quacunque permiſſione, vel neceßitate; niſi neceſsitas ſit talis, qualem infrà dicemus: Fratrum enim,& Sororum neceſsitati prouiderunt dicta Capitula. Vndè conclusionis nostræ ſecundam probationem peto. Itaque*

PROBATVR SECVNDO NOSTRA CONCLVSIO, *quia licentia habendi annuos redditus, non poteſt dari Religioſo abſque neceſsitate, ex Peirinis. At in Ordine noſtro, nulla datur ſufficiens neceßitas, quæ Superiores mouere poßit ad hanc licentiam dandam. Ergo non poſſunt illam dare: ergo, nec à noſtris Religioſis haberi poſſunt annui redditus. Probatur minor,* 1. *quia, vt diximus,neceßitati huic prouiderunt præcitata capitula; in quibus expreſsè ſtatuitur,* Vt de huiuſmodi pecuniis,primò prouideatur neceſſitati Religioſi, cui talium pecuniarum donatio facta fuit. *cap. Paulit.* 12. *Et vt* Studeant Superiores Prælati, vt ex huiuſmodi prouentibus ſic Sororibus prouideatur; vt earum iuſtæ neceſſitati, nulla ex parte ſubſidium deſit. *c.* 4 *Valent.* 33. *Secundò, quia licèt pauperem ſanè vitam geramus, non tamen tanta neceſsitate premimur, ſaltem quod hactenus viderim, vt cogamur pecunias aliquas in particulari habere: quod in benè formata Religione, vt & in reformata,*

*reformata, omninò monstruosum est, & abominabile dedecus. Nec video, quomodo Paupertatis Euangelicæ, sub qua militamus, meritum consequi possimus, nulla illius sufferentes incommoda. Illos qui hoc præsumunt, irridet D. Bernardus sermone 4. de Aduentu, dicens;* Hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto vt nihil eis desit: & sic diligunt Paupertatem, vt nullam inopiam patiantur. *Et rursus,* Magna abusio est, vt in loco Paupertatis, vbi diuites penuriam incurrunt, pauperes superfluitatem quærant: in loco afflictionis, vbi delicati mortificantur, homines rusticani res delicatas affectent. *Hæc, sicut fusè, ita & mirificè, prosequitur idem D. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem. Diuus etiam Bonauentura in Epistola ad quendam sui Ordinis Prouincialem, ait:* Fœdum est profanúmque mendacium, summæ Paupertatis voluntarium professorem se asserere, & rerum penuriam pati nolle. Interiùs, diuitum instar affluere: & exteriùs more pauperum mendicare. *Et D. Vincentius lib. de Vita spirituali, cap. 4.* Proh dolor! multi de Paupertatis solùm nomine gloriantur: sed quo pacto? vt nihil eis desit. *Ideò Hugo Victorinus in Regula S. Augustini, cap. 4. aduertit, Regulam de bonis*

*communibus distribuendis, inspectis necessitatibus, & ætatibus, non sic esse interpretandam, vt abundanter omnia distribuantur; quasi omnimoda indigentia sit è Monasterio propulsanda. Quamuis enim Actuum* 4. *habeatur*, Nec quisquam egens erat inter illos: *tamen etiam de ipsis Apostolis dicitur, quod Deo seruiebant* in fame & siti, in frigore & nuditate. *Verùm, vt aduertit Bartholomæus à sancto Fausto, in Thesauro Religiosorum, lib.* 8. *quæst.* 168. Sunt multi adeò circa curam carnis intenti, in cibis, vestibus, medicinis & similibus; quòd non sunt contenti necessariis, quæ eis competenter ministrantur. Contra quos dicitur Roman. 8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. *Si dicit D. Augustinus serm.* 105. *de tempore*; Quod sufficit quærite, plus nolite: cætera grauant, non subleuant: onerant, non honorant. *Si D. Bernardus Epist.* 2. *ad Fulconem Canonicum*; Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines; tuum non est, rapina est, sacrilegium est. *Si Apostolus ipse* 1. *ad Timoth.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus: *vt quid Religioso cui Monasterium omnia necessaria præbet? vt quid Minimo, peculium & annui redditus? Maximè cùm quidquid habet, de*

*altario habeat? Quidquid enim acquirit Monachus, acquirit Monasterio. Vt quid tot encomia Paupertatis, quibus referti sunt auctores, si non aliter sumus pauperes quàm cum peculio; & annuis redditibus, trecentorum, vel quadringentorum aureorum? O suauem Paupertatem, & ab innumeris se diuites profitentibus appetendam, imò & appetitam!*

PROBATVR TERTIO NOSTRA CONCLVSIO, *quia huiusmodi annui redditus sunt bona immobilia, Clementina*, Exiui de Paradiso, *tit.* De verborum significatione, §. Cúmque annui redditus. *At Tridentinum Concilium sessione 25. de Regularibus, cap. 2. prohibet Religiosis habere bona immobilia; & Superioribus Religiosorum, ipsis illa concedere, dicens*; Nemini Regularium tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere: sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuíque incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus, bona stabilia alicui Regulari concedere; etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam. *Ergo. Pro quo, aduertendum*

*est,*

*est, Concilium non solùm prohibere Religiosis bona immobilia, vel mobilia habere* tanquam propria; *sed addere*, aut etiam nomine Conuentus. *Ne autem diceretur, hoc debere intelligi, sine licentia Prælati, expressè prohibet Prælatis, seu Superioribus talem licentiam dare. Dicere autem hoc intelligi, sine causa iusta, nihil aliud est dicere quàm quæ suprà diximus, scilicet, necessitatem esse causam legitimam concedendi peculium, de quo fusiùs in responsione ad primam obiectionem. Vbi tamen talis necessitas locum non habet, vt in Ordine nostro, Superiores nullo modo possunt concedere peculium.*

*Concilium Tridentinum clarissimè explicat Clemens VIII. in suis constitutionibus, ibi:* Quo Tridentini Decreta, &c. *vbi non solùm prohibetur Superioribus, & subditis Regularibus, habere bona immobilia, vel mobilia; pecuniam, prouentus, census, &c. quomodocunque acquisita; non solùm tanquam propria, sed etiam nomine Conuentus: sed præcipitur insuper, vt prædicta omnia* statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac prouentibus confundantur; quo communis indè victus, ac vestitus, omnibus possit suppeditari: cum prohibitione quibuscunque Superioribus facta, super his

dispensandi. *At, quomodo peculium, seu annui redditus, confunduntur cum communibus Conuentus pecuniis, &c. quomodo ex ipsis, omnibus Fratribus victus, & vestitus suppeditatur, si aliquis Frater particularis cui peculium permittitur, has annuas pecunias recipit? Si per seipsum illas administrat, & expendit, etiam quo ad vsus indeterminatos? Si de illis nulla fit mentio in computis Conuentus, Receptis & Missis? Quomodo peculium habentem saluat licentia Superioris, cui prohibetur illam dare, sicut & subdito acceptare, sub pœna proprietariis taxata à Concilio?*

*Idem Concilium explicauit sacra Congregatio Cardinalium ipsius interpretum, quæ declarauit,* Non licere Regularibus ex dispensatiône inferiorum à Summo Pontifice, possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliáque bona, videlicet immobilia, & mobilia superflua, obstante Decreto Cōcilij sessione 25. de Regularibus, cap. 2. *Ita refert Quaranta in Bullario, verbo,* Casus reseruati, *vbi de hac declaratione testatur Hieronymus Cardinalis Matthæius. Nec potest dici, prohiberi tantùm annuos redditus, &c. quo ad vsum iuris, qui præter vsum rei, dicit etiam ius re illa vtendi salua illius substantia: non autem quo ad vsum facti, qui vsum tantùm rei dicit,*

*dicit, non autem ius ad vtendum re illa: quia eodem modo prohibentur annui redditus, &c. quo mobilia superflua, vt patet; alioquin frustra de superfluis fieret mentio, non autem de non superfluis. At, mobilia superflua non solùm prohibentur quo ad vsum iuris, sed etiam quo ad vsum facti: ergo & peculium, seu annui redditus, &c. Probatur minor, quia eo modo prohibentur mobilia superflua, quo non prohibentur mobilia non superflua: at hæc prohibentur quo ad vsum iuris, qui manifestam proprietatem dicit; neque enim licet Regulari habere mobilia non superflua vt propria: ergo mobilia superflua prohibentur, non solùm quo ad vsum iuris, sed etiam quo ad vsum facti, cum peculiari modo prohibeantur: ergo & annui redditus, &c.*

*Ex præallato Concilij Tridentini statuto, sic concludit Azorius lib. 12. Institutionum moralium, cap. 9. ibi:* Secundò quęritur, *vbi tractat de hac materia;* Dicendum, iure antiquo nequaquam esse prohibitum Monialibus, nutu & concessu Superiorum, possidere redditus, &c. ad suæ vitæ vsus necessarios: at verò Iure nouo Concilij Tridentini, id esse interdictum. *Et infrà subdit.* At opponés, si administratio bonorum stabilium esse potest penes Officiales, nutu Superiorum reuocabiles, quare nequit

esse penes Religiosos priuatos? Respondeo, hoc non esse de iure naturali, Diuino, aut Canonico antiquo vetitum, vt iam dixi: sed à Concilio Tridentino, & meritò, improbatum & sublatum: quoniam cùm huiusmodi bonorum vsus, vel administratio priuatis Monachis conceditur, solet esse causa multorum malorum, vt docuit experientia; at non ita, cùm cœnobij administratio Officialibus committitur. *Ecce rationem, ob quam ab antiquo iure recessit Concilium Tridentinum, quam quærunt aliqui.*

*Ex eodem eiusdem Concilij statuto, sic concludit Lessius de iustitia & iure lib.2.cap.4.dubio* 5. Dico 5. Superiores Religionum non posse alicui Regulari concedere vlla bona stabilia (vt sunt fundi, redditus, ædium locationes) etiam ad vsum duntaxat, vel administrationem. *Et paulò pòst*; Hîc nouum ius continetur & introducitur, ídque tùm ad tollendos abusus qui ex hisce concessionibus bonorum immobiliũ sequi solent; tùm propter speciem proprietatis, dum Regulares talia bona tanquam sua videntur administrare, & fructus in quosvis vsus exponere. *Et infrà*; Concilium prohibet, ne in posterum Regulares habeant

habeant bonorum ſtabilium adminiſtrationem & vſum, etiam de licentia Superioris, etiam ad quaſvis pias cauſas: & vult ad ſolos Officiales horum adminiſtrationem deinceps pertinere: vt apertè colligitur ex reſponſis Illuſtriſſimorum Cardinalium, &c. qui ne nobiliſſimis quidem perſonis id concedere voluerunt, Concilij Decreto permoti. *Ex quibus ſic argumentor in prædictorum confirmationem. Non poteſt concedi ſimplici Religioſo à ſuo Superiore, quod Conuentus Officialibus conceditur, cùm prohibeat Concilium Superiori Regulari concedere bona ſtabilia, etiam ad vſum, vel adminiſtrationem, alicui ſubdito; talium verò bonorum adminiſtrationem committat Officialibus. At Officiales talia bona adminiſtrantes, vi adminiſtrationis ſibi commiſſæ, ſolùm habent ius diſponendi de rebus Conuentus nomine Conuentus, cum ex Nauarro comment. 1. de Regular. num. 14. q. 16. ius adminiſtrandi, nec ſit dominium, nec vſusfructus, nec vſus, ſed tantùm ius diſponendi de re aliena nomine alieno. Ergo ſimplicibus Religioſis qui non ſunt Officiales, nequidem de licentia Superioris, tale ius poteſt competere. Ergo nec peculium, ſeu annui redditus per ſeipſos adminiſtrandi, cùm bona illorum non ſint, ſed Conuentus.*

*Ex eodem eiusdem Concilij Decreto, sic concludit Ludouicus Lopes in instructorio conscientia, cap. 5.* Peculium ad vsus indeterminatos, licet sit reuocabile per Prælatum, eiúsque proprietate & dominio subditus careat; si continet bona stabilia, vel immobilia; cuiusmodi sunt census & redditus: etiam si accedat licentia Prælati, prohibitum est per Concilium Tridentinum Religiosis penes se habere. *Sed reuera, Concilium Tridentinum indistinctè & vniuersaliter loquitur; damnans peculium quodlibet, non autem solùm concessum ad vsus indeterminatos: vt explicant auctores præallati.*

*Nostræ sententiæ, præter præcitatos auctores, sunt Petrus Nauarr. lib. 3. de restitutione, cap. 1. num. 163. & 180. Rodrig. tomo 3. quæstionum Regularium, quæst. 29. art. 12. Corduba in summa, quæst. 54. Molina tomo 2. d. 276. Valentia 22. d. 10. quæst, 4. par. 3. à S. Fausto Fuliensis, in Thesauro Religiosorum, lib. 8. q. 31. & alij.*

*Maximè D. Petrus Damiani, qui opusculo 24. cap. 4. ait:* Si tibi licet habere pecuniam, nullam meliùs, quàm tuam. Quod si quæ tua fuerant, possides: quid ergo ad Religionis ordinem veniens reliquisti? Imò reuersus ad vomitum, & aratrum deserens, dùm in terga reflectis intuitum, vl-

trà

trà non eris idoneus Regno cœlorum. Sin autem Ecclesiastica tibi liceat bona recondere, videris auxisse diuitias, non spreuisse; vt magis pecuniæ quæstum, quam Religionis ambias institutum. *Et cap. 5. peculij mala referens, ait:* Peculij proprietas, facit vt Clerici sui Pontificis dedignentur imperium, vt disciplinæ, vel obedientiæ veram libertatem deserant, & turpi fœdissimæ deditionis opprobrio secularibus colla submittant. *Et infrà.* Cum liquido pateat, Clericorum ordinem Dei omnipotentis esse peculium, sicut & ipse Deus, specialis est hæreditas Clericorum; quantæ vecordiæ, quantæque vesaniæ est, si ab eo cui Deus offertur, eo contempto, terrenæ facultatis commodum requiratur? Cui Deus in hæreditate non sufficit, quid eum satiare possit ignorat: quia mentis eius oculum, furiosa cupiditas cęcat. *Ideò subdit;* Certè qui talis est, quoniam pro amore pecuniæ suum violat Ordinem, indignus est proculdubio vt Ecclesiasticam obtineat dignitatem.

OBIICIES PRIMO, *potest accidere, vt aliquis Conuentus, etiam in nostro Ordine, Fratribus necessaria non suppeditet, quo ad victum & vestitum: vel quia paupertate graua-*

*bitur, vel quia Superior bona Conuentus administrabit infideliter, nequidem prouidens necessitatibus illius Fratris, cui annuæ pecuniæ sunt relictæ, si illas ponat in capsa communitatis, ad voluntatem Superioris expendendas. Ergo saltem illis in casibus licebit habere peculium, seu annuos redditus.*

RESPONDEO, *quod posito vno absurdo sequuntur multa. Ideóque in illis casibus necessariò tolerandum fore peculium, necessitati subueniendi causa duntaxat, si aliud remedium non occurrat. Tunc enim iure naturali licet vnicuique sibi prouidere, vt docent Valentia, & Lessius locis citatis, post Syluestrum verbo Religio 6. quæst. 7. Et sic declarauit sacra Congregatio Cardinalium teste Quaranta loco citato. Extat autem hæc declaratio sub his verbis.* Superiore quantumuis requisito, necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente; licet ipsis clam, vel eo inuito, illa sibi comparare, seu retinere: etiamsi ideò necessaria negentur, quia Monasterij facultates non suppetunt; si præfata necessitas sit ad indiuidui sustentationem. *Hæc vltima verba pondera, & cognosces, peculium non esse admittendum curiositati satisfaciendi causa, vel auaritiæ, vel gulæ, vel ludo, vel libris etiam spiritualibus emendis. Nec ex ipso*

*Regularem*

Regularem posse dare alteri Religioso eiusdem Ordinis duodecim regalia, de licentia Prælati; nec suis consanguineis pauperibus decem, vel plures ducatos, etiam pluribus vicibus in anno: multò minùs ludere quinque, aut plures ducatos quotannis: multò minùs ludere illos foliis lusoriis, sine vlla culpa: quæ omnia apud veros Religiosos censentur esse relaxationes maximæ, abusus intolerabiles, Religionum subuersiones totales. Sanè vtilius est Religioso viuere sine libris spiritualibus, & sine peculio, sub exacta Voti Paupertatis obseruantia; quàm habere peculium in tanti Voti detrimentum, sub prætextu spirituales libros comparandi; cum vita spiritualis praxi nitatur maximè, non tot libris, qui absque peculio non poßint facilè ab amicis, & benefactoribus haberi. Patet enim eos qui peculium habere possunt, faciliùs posse, non solùm prædictos libros spirituales, quibus Conuentus non sunt destituti, sed etiam necessarios ad docendum & prædicandum, comparare sine peculio, Voto Paupertatis intacto. Proculdubio latet anguis in herba. Si Religiosus cui peculium conceditur, ex illo potest dare duodecim regalia alteri Religioso: decem, vel plures ducatos consanguineis pauperibus, etiam pluribus vicibus in anno: si quatuor, quinque, aut plures ducatos, aleis ludere quotannis (quod

*vt mortale peccatum proprietatis damnat Alphonsus à Castro lib. 1. de leg. Imper. c. 2.*) *quomodo tanto peculio indiget necessariò ad indiuidui sustentationem? Quomodo sine illo saltem excessu non potest esse, qui sine illo potest ali & vestiri? Si, vt rectè docet Peirinis loco citato,* §. 9. *q*. 4. Religiosus mortaliter peccat, qui etiam consanguineorũ diuitias dispensat, eorúnq; res negotiat, & tractat; qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea: *quomodo nõ inquinabitur à peculio qui inquinatur, à parentum negotiis & pecuniis; si illa tractet, has dispenset absque licentia Superioris? Si constat apud omnes, vt idem verè dicit eiusdem* §. *quæst*. 5. *quòd*, Religiosus habens multa de quibus constat quod sint superflua, de Superioris licentia, licet paratus sit omnia in manus Superioris resignare, cùm fuerit requisitus, nec de illis disponere absque eius licentia; tam Superior concedens, quàm subditus retinens peccat mortaliter. (*Quod etiam declarauit sancta Congregatio, teste Quaranta vbi suprà*) *quomodo non peccat Religiosus, pecunias ex peculio prouenientes alteri dans, vel ludens, cùm ex hoc quod eas det, vel ludat, constet euidentissimè illas esse ipsi superfluas, nec necessarias ad indiuidui sustentationem?*

*Sistamus*

*Sistamus ergo in hac ratione eiusdem Peirinis, qua conclusionem suam rectè probat, dicens:* Quia Prælatus potestate abutitur concedendo superflua, peccat peccato infidelitatis: obligatur enim ad curandum pro posse, vt seruetur æqualitas in Religione. Subditus autem peccat peccato auaritiæ, plura retinens quam sibi, & vsui suo necessaria sint. *Quæ autem conuentio æqualitatis cum peculiis?*

*Hæc benè admodùm conueniunt cum nostro Correctorio, num.* 109. *vbi habetur, quòd* si Generalis, vel Prouincialis visitans huius Ordinis Conuentus, inuenerint aliquos Fratres vestimentis, tunicis, &c. abundantes; & alios ipsis egentes: talibus egentibus in sua præsentia prouidere faciant; & Localem Correctorem, ac eius Socios, super inæquali distributione acriter corrigant. *Item num.* 49. *vbi dicitur*, Si Localis Corrector cuiquã erogatas eleemosynas distribuerit aliquibus Fratribus eisdem non egentibus, etiam Capituli scientia & Seniorum consilio super hoc interuenientibus; per aliquem Prælatorum puniantur omnes, & singuli Fratres in huiusmodi distributionem inæqualem consentientes.

*Neque*

*Neque hinc colligas, posse Correctorem, & multò magis Superiores Prælatos, annuas pecunias Fratribus ad vsum concedere. Neque enim de pecuniis, vel minimã mẽtionẽ facit B. Pater, sed de eleemosynis in genere. Quod si dicas illarum nomine venire & pecunias, non inficior: sed respondeo, illum loqui de pecuniis, quæ quotidie à variis, & vt plurimum ab incertis benefactoribus dantur: non de annuis & perpetuis; cùm dicat numero præcedenti, puniendos esse illos Fratres, qui eleemosynas à quocunque sibi datas Correctori non præsentauerint; sed ipso inscio retinuerint, vel occultauerint: quod de pecuniis annuis, & perpetui redditus fieri non potest. Loquitur etiam de eleemosynarum æquali distributione, non sanè in pecunia, sed in alimentis, & vestibus. Quis enim credat, tam exactæ Paupertatis cultorem intendisse, Correctorem debere distribuere duodecim nummos, v. g. ex eleemosyna receptos, duodecim Fratribus, singulis singulos nummos dans; qui ipsos à tangendis pecuniis statuit abstinere?*

*Vt ergo ad necessitatem, de qua in Obiectione, redeam; non dicam cum Ecclesi. cap.29.* Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum. *Nec cum Seneca Epist.* 78. aqua & panis naturæ satisfaciunt. *Et alia naturæ nostræ imbecillitati necessaria nunc esse con-*

*cedo:*

*cedo: ſed illa modica quæ naturæ ſufficiunt; ſicut & poſita neceßitate de qua in Obiectione, ſufficiet permodicum peculium, cum cæteris quæ conuentus ſubminiſtrabit.*

*Sed reuera, licèt fatendum ſit, neceßitatem illam peculia in Religiones laxatas introduxiſſe, in quibus qui poteſt capere capit, ſiue ex prædicationibus, ſiue aliundè: vndè & in illis alius eſurit, alius autem, &c. tamen, proh dolor! videmus multis illorum Religioſis non ſufficere ſufficientia. Plura poßident multi in ſtatu & Voto paupertatis, quàm ſi in domibus paternis diuitiis anhelantes degerent. Variis in curioſitatibus effunduntur, ſuperfluitatibus, profuſionibus: quæ quomodo cum Voto Paupertatis ſubſiſtant, non video: ipſi viderint. Solùm dicam, D. Bernardum & hunc Abbatem, cuius hodie feſtum celebratur per Orbem vniuerſum, illa omnia irridere, dum dicit in præcitata Apologia:* Mentior ſi non vidi Abbatem ſexaginta equos, & eo ampliùs in ſuo ducere comitatu. Dicas, ſi videas eos tranſeuntes, non Patres eſſe Monaſteriorum, ſed dominos caſtellorum: non rectores animarum, ſed Principes Prouinciarum, &c.

*Abundantiùs ſanè & magis religioſè, Religioſorum neceßitatibus prouideretur, ſi peculia particularia cum communibus Conuentuum bonis*

*nis confunderent. Quod experientia docuit in multis Congregationibus à diebus Clementis VIII. reformatis: quæ enim ante reformationem duodecim vix sufficiebant; sufficiunt post illam viginti, imò & triginta, qui de ludo, muneribus, & profusionibus non cogitant. Vndè, qui peculio gaudent, vt plurimum, necessitatem non prætexent; sine qua multòties peculium introducitur, quod est abusus maximus. Certè si benè res examinetur, videbimus in Religionibus laxatis, sæpe illos maiora, & pinguiora habere peculia, quibus plura Conuentus largiuntur, quique ideò illis minùs indigent: cùm alij multò paucioribus acceptis ab iisdem Conuentibus, etiam sine peculio satisfactum sibi sufficienter esse putent.*

*Optimè consulit Bartholom. à S. Fausto, vbi suprà, quæst. 30. postquam enim dixit, annuos redditus habentium peculium, non debere illis relinqui ad vsus vagos, sed ad determinatos, pios, licitos, necessarios, à Superiore cognitos: nec debere esse penes Religiosos particulares, sed in manu publici Officialis: debere denique esse amouibiles ad nutum Superioris, & in eius potestate, ita vt ex illis possit Monasterij necessitatibus prouidere, subdit:* Hoc certè non rarò Superiores tentare deberent, vt discerent subditi, non proprietatem, sed vsum,

vsum,& eum ad nutum Superioris se habere. *Sed si Superiores subditorum sic tangerent cuncta quæ possident; proculdubio multos reperirent, in faciem solùm paupertati benedicentes: cùm ex eodem auctore, etiam qui magnas querimonias fundit, cùm ab eo bona ad vsum concessa auferuntur, proprietatis vitio inficiatur.*

OBIICIES SECVNDO, *attendenda est qualitas personarum; sum benemeritus de Religione; dudùm in lectionibus & prædicationibus desudaui; licentia mihi debet dari habendi peculium, in tantorum laborum remunerationem. Lautioribus & abundantioribus ferculis indigeo, quia nobilis, quia infirmus sum.*

RESPONDEO, *adde ergo, Miserere mei, Domine, vt vel sic miseriam tuam agnoscas. Peculium itaque petis, non quia necessarium, sed quia prædicationum, vel lectionum tuarum, quibus cœli merces non sufficit, præmium condignum est? In hoc, charissime, proprietarius deprehenderis, cùm peculium petas sine necessitate. Cæterùm, nunquam habetur in Regula, vel Correctorio, attendendam esse qualitatem personarum, nisi cùm fit mentio de equitatura Fratrum. R. F. 11. Cor. 22. & de perpetua priuatione ab officiis Ordinis, primogenitura, vel confessionibus audiendis. Cor. 36. 39. 46. 47. & 51. vult enim B. Pater, non quod peregrinaturus, in equis*

 *ambulet,*

ambulet, aut mulis, si Superior est, aut doctus, aut Prædicator; sin minus in asinis, aut pedes: sed, quod cõsiderata ipsius qualitate; id est, senectute, vel infirmitate, ipsi super asinũ permittatur incedere. R. F. 11. Quæ enim alia potest imaginari tã eminẽs qualitas, ratione cuius permitti nobis debeat super asinũ incedere; cùm sic incedens, humilietur potiùs quàm extollatur, vndè & humilitatis Redemptoris adducitur exemplum? Vult etiã B. Pater Cor. 22. quod si hoc modo cõsiderata qualitate Fratris peregrinaturi, non reperiretur asinus ad illum commodè deferendũ; scilicet, vel quia ille nimis esset ponderosus, vel ob longitudinem viæ, vel quia vrgerent negotia, & sim. ipsi de competenti mulo, vel equo prouideatur. Ordinat denique in aliis locis, vt in casu perpetuæ priuationis ab Officiis, primogenitura, & confessionibus audiendis, super talibus priuatis possit dispensari, considerata illorum qualitate. Iustum est enim, illos qui rariùs deliquerunt, qui cum maiori fragilitate, qui maioribus exantlatis pro Religione laboribus, qui magis Religioni deseruierunt, quorum priuationes magis à secularibus aduerterentur, & in illorum fortè scandalum vergerent & similes, cæteris anteferri, nec tam rigidæ pœnitentiæ subiacere; sicut alij subiacent. Quo ad verò pecunias, quo ad victum & vestitum, nulla consideranda

qualitas,

*qualitas, nisi sola necessitas, seu infirmitas. Quin potiùs, ordinatur vt* Superiores quicumque in victu, & vestitu cæteris Fratribus se iuxta posse conforment. *R.F.*39. aliàs puniantur. *Cor.* 65. *Idem statuit Clem. VIII. in suis Constitutionibus, vbi dicitur:* Omnes, etiã Superiores quicũque illi sint; eodẽ pane, eodem vino, eodémque obsonio, siue eadem (vt aiunt) pictantia, in communi mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur. Neque singulare aliquid, quo priuatim quisque in cibum vtatur, vllo modo afferri possit. *Item*, Fratrum vestitus & supellex cellarum, ex communi pecunia comparetur; & omninò vniformis sit Fratrum, & quorumcumque Superiorum; statuíque Paupertatis quam professi sunt, conueniat; ita vt nihil superflui admittatur: nihil etiam quod sit necessarium alicui denegetur. *Ad quid ergo peculium?*

*Neque literati & quicumque præstantissimi viri, ad Ordinem venientes vndequaque, in his, cæteris præferuntur: cum etiam sit statutum, Cor.*85. *vt* in professionis suæ loco simpliciter sedeant, sui Minimi nominis reminiscentes. *Optimè ergo respondet Peirinis omnibus allatis in obiectione, dicens:* Lepida ex-

 cusatio,

cusatio, qua se tegit gula, & laxitas in viuendo defendit, Nobilis es? fateor; sed familiam nobilem, & diuitias seculi contempsisti, non vt more nobilium, sed vt more Religiosorum viueres,&c. Infirmus es? in communi loco infirmorum mane, in lecto decumbe. At non est, inquis, tam grauis infirmitas, quæ me ab aliorum cõuictu repellat. Quare igitur tuas imaginationes non reiicis? aut si imaginationes non sunt; quare modicam inualetudinem non dissimulas? Quare religiosam obseruantiam tuæ commoditati nõ præfers? Sed ais, imbecillitas crescet, ex parua magna fiet, si non ei ciborum lautitia medear. Sensus oblectamenta hæc sunt, astus Diaboli, blandimenta carnis. Communitatis fercula ordinaria, his leuioribus morbiculis non nocent, vt quotidiana probat experientia,&c.

OBIICIES TERTIO, *vsum communem, etiam apud reformatos Religiosos, & Religiosas, ostendere, religiosis personis licitum esse peculium, cum modificationibus, quas in conclusione sua ponit Peirinis.* Item, *hos redditus, seu annuas pecunias habere, amouibiles ad voluntatem Prælati, expendendas solùm in vsus licitos & necessarios, non esse contra Votum Paupertatis.*

*tatis.* Prætereà, *Summum Pontificem ſolere concedere annuos illos redditus, aliquibus Religioſis de Eccleſia benemeritis: quod non faceret, ſi eßet contra Votum Paupertatis.*

RESPONDEO, *quænam ſint illæ iam reformatæ Religiones, in quibus peculium vigeat, nondum nouimus. Sanè, in tota ſaltem Gallia, non viget apud Carthuſianos; Capucinos, Ieſuitas, Fulienſes, & alios reformatos Religioſos: ſicut nec vllo modo apud nos Minimos, apud quos (& ideò verè beata Congregatio) vel ad minimam ſpeciem peculij, iam non de vacante Maria Martha; ſed de Martha pro temporalibus nimium ſollicita, & erga plurima turbata, vacans ab eis conqueritur Maria. Huiuſmodi peculia deteſtamur cum cæteris, quibuſcum maximè laxatas & difformatas illas exiſtimamus Religiones, in quibus peculium viget. Dicimus cum Valentia citato,* Religioſos, tam Prælatos, quàm ſubditos; qui non agunt vitam communem, eſſe in malo ſtatu, quando ex communibus redditibus poſſunt ſufficienter viuere. *Cum Leßio vbi ſuprà.* Si à Superiore legitimo ratio certa inſtituatur, per quam Religioſorum neceſſitatibus iuxta formam vitæ communis ſufficienter conſulatur abſque peculio, non poſſunt Religioſi huic refor-

mationi resistere, etiamsi illam priorem rationē viuendi, scilicet cum peculio, in ingressu inuenissent. *Cū Ant. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 11.* Si Prælatus non facit quantum potest, sine magno scandalo, vt viuatur in communi, non est in statu tuto: subditi verò dictæ communitati resistentes, non quia non possent sufficienter viuere, sed, quia volunt abundare, & de suis suo modo facere, videntur in malo statu, cùm seculariter viuant, & velint perseuerare. *Et à fortiori cum nostro d'Aluino, in tractatu de potestate Episcoporum, Abbatum, &c. cap. 8. in fine.* Peculia in quibus Monasteriis nondum locum habuere, non sunt introducenda.

*Cæterùm, licet non sit contra Votum Paupertatis habere peculium, de licentia Prælati, ad vsus necessarios expendendum: est tamen contra Votum, illud habere sine necessitate, (saltem post Tridētinum) sine qua etiam Prælatus peculium concedere non potest, vt docet Peirinis ibid. cap. 2. §. 1. in quo sensu debent intelligi, quæ à d'Aluino dicta sunt. Alioquin, cùm Prælatus non sit Dominus rerum Monasterij, cuius verè sunt omnia, quæ Religiosus possidet: non dispensator fidelis, sed perfrictæ frontis dissipator meritò venerit appellandus. Nulla autem talis necessitas*

*cessitas imaginari potest, in benè formatis, vel reformatis Religiosis: qui, vt experientia docet, paucis contenti, & omnia in communem vtilitatem redigentes, superabundanter habent, vndè viuant, & vestiantur: imò aliquando plus post reformationem, quàm cùm ante illam, bona quæ poterat habere, in sua quisque deriuabat emolumenta: Itèm, si de essentia Paupertatis esset solùm, nullam habere facultatem arbitratu suo disponendi de re aliqua, neque aliquid habendi independenter à voluntate Prælati, vt innuere videtur Peirinis ibid. notabili primo, sequeretur cum licentia Prælati posse Religiosum habere quantumlibet magnum peculium, v. g. decem millium nummorum, de Prælati licentia dispensandum, & impendendum: quod in paupere Religioso penitùs esset prodigiosum, irrisorium, abominabile: nec admittit Peirinis, qui ibid. §. 1. ibi:* Colligitur *9. dicit, peculium concessum Religioso, debere esse moderatum; ita vt religiosam sapiat Paupertatem. Illius itaque necessarium condimentum, sine quo nullo modo sapit vero Religioso, qui aliter illud habens desipit, desinens esse verus Religiosus, est ipsa & sola necessitas.*

*Quòd si Summus Pontifex concedit annuos illos redditus aliquibus Religiosis de Ecclesia benemeritis, hoc ideò facit, quia vt supremus bono-*

*rum Ecclesiæ dispensator, potest super hoc rationabiliter dispensare. Vt enim notat Azorius vbi suprà, ibi :* Nonò quæritur, *in solemne Paupertatis Votum iure cadit aliquando Pontificia relaxatio. Vndè, in parte tantùm dispensat à Paupertatis Voto, non in toto; quod postremum ex D. Thoma 22. quæst. 88. art. 11. Syluest. verbo* Votum, 4 *quæst. 5. Armil. verbo* Dispensatio, *& multis aliis Thomistis, non potest summus Pontifex : intellige, quandiu Religiosus remanet Religiosus, implicat enim aliquem esse Religiosum, & non obligari Voto Paupertatis, quod est essentiale Religioni. Quia tamen summus Pontifex potest facere de Religioso non Religiosum, rationabili de causa; ideò hoc modo potest etiam in toto dispensare à Voto Paupertatis, sicut potest à Voto solemni castitatis Clericorum, ex eodem D. Thoma, cùm sint æquè solemnia: & sicut dispensare etiam potest Religiosos à Voto Castitatis, de quo vide Less. l. 2. cap. 40. d. 19.*

*Cæterùm, Religiosi Beneficiarij habent dominium, vel quasi dominium, & possessionem suorum beneficiorum: & possunt agere nomine proprio ad eorum dominium obtinendum, & retinendum & recuperandum eorum possessionem: quia per Votum Paupertatis Religiosi non renunciant bonis spiritualibus, nec iuribus prædictis, sicut nec scientia, sapientiæ & similibus, neque*

*que honoribus sanctis & licitis, vt presbyteratui, doctoratui & similibus, nisi fortè ex vi statutorum particularium, vt nos quo ad magisterij gradum: sed solùm renunciant bonis temporalibus. Ita D.Thom.22.quæst.186.a.7.ad 4.Caiet. ibid. Nauarr.de redd.quæst.1.monit.9. Lessius vbi suprà. Molina tom.3.de Iustitia, disp.687. & alij. Huiusmodi autem Religiosi, beneficia Ecclesiastica, aut etiam pensiones habentes; non sibi, sed suæ Ecclesiæ dominium bonorum sibi obuenientium acquirunt. Possunt tamen de illis, ad honestam sustentationem sui, & ad pias causas dispensare: quia omnis titulus canonicus beneficij, dat facultatem disponendi de eius fructibus, in honestam sui sustentationem, & ad pias causas: qui enim est administrator beneficij, est etiam administrator fructuum Ita Nau. com.2. de Reg.num.10.& com.4.num.68. Mol. tom.2.d.276.& colligitur ex Clem.2.§.* Sed & talis. *de vita & honestate Cleric.*

Si quis pecunias alicubi habuerit, quas non statim remittat dispositioni Correctoris sui, vt proprietarius puniatur. *cap.1. Valent.23.* Item, qui libros vendit, ad vsum sibi concessos, à quocumque habuerit. *Ibid.24.* *Proprietarius quis.* 1541.

*Media ad obseruandum Votũ Paupertatis.*

Ad hoc vt Votum Paupertatis meliùs obseruetur, præcipitur in virtute sanctæ

Obedientiæ omnibus Superioribus Prælatis eorúmque Vicariis; vt tẽpore ſuarũ Viſitationum, omnium ſubditorum, nemine excepto, priuatas cellas viſitent, & eorum ſupellectilia conſiderent. Quòd ſi aliquid inuenerint, quod ſtatui Paupertatis non conueniat, auferant, & communi applicent vtilitati. *c. 4. Valent.* 31. Item,
1571. ſingulis annis, Fratres omnia bona eis ad vſum conceſſa; teneantur integriter, & fideliter, nihil occultando, in ſcriptis redigere: & præfatis Superioribus, tanquam ſeipſos rerum omnium proprietate ſpoliantes, teneantur præſentare. Quòd ſi Superiores aliquid ſuperflui inuenerint, egentibus diſtribuant. Et ſi quis aliter quidquam tenere conuictus fuerit, actiua
Seſſ. vlt. de Reg. c. 2. & paſſiua voce ex Decreto Tridentini ſit biennio priuatus, & etiam iuxta Ordinis ſtatuta puniatur. *Ibid.* 32.

*Supponunt hæc ſtatuta, poſſe Superiores concedere aliqua mobilia ſuis ſubditis, v.g. veſtes, libros & ſimilia. Quod non ſolùm ad vſus neceſſarios, ſed etiam ad opera pia fieri poſſe, communiter tenent Doctores. Cùm enim Concilium Trident. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 2. dicit, quod* Nemini Regularium liceat, bona mobilia etiam nomine Conuentus poſſidere, vel

tenere;

tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuíque incorporentur: *intelligendum est cum Lessio l.2.c.4. dub.5. de bonis Monasterio nondum incorporatis, aut sine iusta licentia Superioris à Religiosis obtentis: nam immediatè post, tantùm vetat ne Superiores concedant stabilia, nulla facta mentione mobilium. Imò subdit,* Mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum supellex, statui Paupertatis quam professi sunt, conueniat: nihílque superflui in ea sit; nihil etiam, quod necessarium, eis denegetur. *Hinc sic colligit Azorius l.12. Instit. cap. 12.* Iure improbantur specula, vnguenta, suffimenta, & his similia pleraque vana, profanáve, quæ maximè religiosam dedecent simplicitatem. Pari ratione vituperanda veniunt pretiosa ornamenta librorum, vestium, supellectilium, & aliarum rerum, quæ magis ad mundanos, quàm ad pauperes Religiosos spectant. *Idem colligunt Nauar. comment. 4. de Regular. num. 27. Roder. tomo 3. reg. quæst. q. 29. art. 11. & à sancto Fausto in Thes. qui q. 95. dicit,* Religiosum peccare mortaliter, qui etiam de licentia Superiorum tenet multa superflua; & Superiorem concedentem etiam mortiferè delinquere. *Ita etiam declarauit*

*clarauit sacra Congregatio quo ad subditos apud Quarantam*, *verbo* Casus reseruati. *Addit idem à sancto Fausto, quæst.*101. Religiosum qui etiam de licentia Superioris penes se retinet pretiosa, vt vasa aurea & argentea, gemmas, annulos, vestes sericas, coralia, cultellos manubriis de argento & auro excultos, coclearia, & furcinulas eiusdem generis, coronas pretiosissimas, reliquiaria, horologia paruula valoris excedentis, picturas magni pretij, tapetia & id genus alia, mortaliter peccare; nec Superiorem posse talem licentiam subdito concedere. *Idem dicit, quæst.96.* de iis qui infinita librorum multitudine armaria replent, quos ferè nunquam ipsi nec legũt, nec intelligunt: illósque secum per varia Monasteria, magnis sumptibus, strepitu magno, & pusillorum scandalo deferunt. *Quod à fortiori dicendum est de iis, qui dum ad longum tempus absunt à Conuentu, libros ad vsum sibi concessos, in arca, vel secularium domo recondunt donec redeant; Religionem interim illorum vsu frustrantes; cùm tamen Religionis sint, non autem Religiosorum particularium. Prædictis omnibus concordant statuta præcedentia.*

*Cæterùm sanctæ Congregationis declaratio-*

*nem*

*nem legi, qua definitur*, Superiorum arbitrio & definitioni ſtare debere Regulares, quo ad mobilium ſuperfluitatem, vel conuenientiam; niſi de exceſſu arbitrij conſtiterit: habita videlicet ratione perſonæ, officij, & regularis ſtatus, paupertatíſque, quam profeſſi ſunt, & cæterarum itidem qualitatum.

*Sicut autem dicit Concilium, nihil ſuperflui in Religioſorum ſupellectili eſſe debere; ſic addit, nihil neceſſarium debere Religioſis denegari: quod eadem ſtatuta continẽt. Ideò, Prælatus qui nõ curat ſubditis prouidere neceſſaria ſecundùm decentiam & honeſtatem ſui ſtatus, cùm cõmodè prouidere poſſit, peccat mortaliter contra Paupertatis Votũ; quia occaſionem dat ſubditis procurandi peculium. Ita D. Ant. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 11. Syl. verbo*, Religio, *6. q. 7. A S. Fauſto q. 32. Religioſi etiã, qui diſſipando, aut prodigè conſumẽdo bona Conuẽtus: aut de communi, & conſueto victu, & veſtitu murmurando, aut ſuis opinionibus, & ſuffragiis, ſunt cauſa vt in Religione peculia introducantur, peccant mortaliter contra Paupertatis Votũ. Ita iidẽ Doctores locis citatis.*

Ad vnguẽ ſeruentur, quæ ſtatuta ſunt à Tridentino, & à noſtris Statutis hactenus factis, circa paupertatem. Item Fratres bona ad vſum conceſſa, nõ poſſunt vendere,

cuſatio, qua ſe tegit gula, & laxitas in viuendo defendit, Nobilis es? fateor; ſed familiam nobilem, & diuitias ſeculi contempſiſti, non vt more nobilium, ſed vt more Religioſorum viueres,&c.Infirmus es? in communi loco infirmorum mane, in lecto decumbe. At non eſt,inquis,tam grauis infirmitas, quæ me ab aliorum cõuictu repellat.Quare igitur tuas imaginationes non reiicis? aut ſi imaginationes non ſunt; quare modicam inualetudinem non diſſimulas? Quare religioſam obſeruantiam tuæ commoditati nõ præfers? Sed ais,imbecillitas creſcet, ex parua magna fiet, ſi non ei ciborum lautitia medear. Senſus oblectamenta hæc ſunt, aſtus Diaboli, blandimenta carnis. Communitatis fercula ordinaria, his leuioribus morbiculis non nocent, vt quotidiana probat experientia,&c.

Obiicies tertio, *vſum communem,etiam apud reformatos Religioſos,& Religioſas, oſtendere,religioſis perſonis licitum eſſe peculium,cum modificationibus,quas in concluſione ſua ponit Peirinis.* Item, *hos redditus,ſeu annuas pecunias habere, amouibiles ad voluntatem Prælati,expendendas ſolùm in vſus licitos & neceſſarios,non eſſe contra Votum Paupertatis.*

*tatis.* Præterea, *Summum Pontificem solere concedere annuos illos redditus, aliquibus Religiosis de Ecclesia benemeritis: quod non faceret, si esset contra Votum Paupertatis.*

RESPONDEO, *quænam sint illæ tam reformatæ Religiones, in quibus peculium vigeat, nondum nouimus. Sanè, in tota saltem Gallia, non viget apud Carthusianos, Capucinos, Iesuitas, Fulienses, & alios reformatos Religiosos: sicut nec vllo modo apud nos Minimos, apud quos (& ideò verè beata Congregatio) vel ad minimam speciem peculij, iam non de vacante Maria Martha, sed de Martha pro temporalibus nimium sollicita, & erga plurima turbata, vacans ab eis conqueritur Maria. Huiusmodi peculia detestamur cum cæteris, quibuscum maximè laxatas & difformatas illas existimamus Religiones, in quibus peculium viget. Dicimus cum Valentia citato* Religiosos, tam Prælatos, quàm subditos; qui non agunt vitam communem, esse in malo statu, quando ex communibus redditibus possunt sufficienter viuere. *Cum Lessio vbi suprà.* Si à Superiore legitimo ratio certa instituatur, per quam Religiosorum necessitatibus iuxta formam vitæ communis sufficienter consulatur absque peculio, non possunt Religiosi huic refor-

mationi resistere, etiamsi illam priorem ratione᷉ viuendi, scilicet cum peculio, in ingressu inuenissent. *Cū Ant. 3. p. tit. 16. c. 1.* §. 11. Si Prælatus non facit quantum potest, sine magno scandalo, vt viuatur in communi, non est in statu tuto: subditi verò dictæ communitati resistentes, non quia non possent sufficienter viuere, sed, quia volunt abundare, & de suis suo modo facere, videntur in malo statu, cùm seculariter viuant, & velint perseuerare. *Et à fortiori cum nostro d'Aluino, in tractatu de potestate Episcoporum, Abbatum, &c. cap. 8. in fine.* Peculia in quibus Monasteriis nondum locum habuere, non sunt introducenda.

*Cæterùm, licet non sit contra Votum Paupertatis habere peculium, de licentia Prælati, ad vsus necessarios expendendum: est tamen contra Votum, illud habere sine necessitate, (saltem post Tridētinum) sine qua etiam Prælatus peculium concedere non potest, vt docet Peirinis ibid. cap.* 2. §. 1. *in quo sensu debent intelligi, quæ à d'Aluino dicta sunt. Alioquin, cùm Prælatus non sit Dominus rerum Monasterij, cuius verè sunt omnia, quæ Religiosus possidet: non dispensator fidelis, sed perfrictæ frontis dissipator meritò venerit appellandus. Nulla autem talis necessitas*

*cessitas imaginari potest, in benè formatis, vel reformatis Religiosis: qui, vt experientia docet, paucis contenti, & omnia in communem vtilitatem redigentes, superabundanter habent, vndè viuant, & vestiantur: imò aliquando plus post reformationem, quàm cùm ante illam, bona quæ poterat habere, in sua quisque deriuabat emolumenta. Itèm, si de essentia Paupertatis esset solùm, nullam habere facultatem arbitratu suo disponendi de re aliqua, neque aliquid habendi independenter à voluntate Prælati, vt innuere videtur Peirinis ibid. notabili primo, sequeretur cum licentia Prælati posse Religiosum habere quantùmlibet magnum peculium, v. g. decem millium nummorum, de Prælati licentia dispensandum, & impendendum: quod in paupere Religioso penitùs esset prodigiosum, irrisorium, abominabile: nec admittit Peirinis, qui ibid. §. 1. ibi:* Colligitur *9. dicit, peculium concessum Religioso, debere esse moderatum; ita vt religiosam sapiat Paupertatem. Illius itaque necessarium condimentum, sine quo nullo modo sapit vero Religioso, qui aliter illud habens desipit, desinens esse verus Religiosus, est ipsa & sola necessitas.*

*Quòd si Summus Pontifex concedit annuos illos redditus aliquibus Religiosis de Ecclesia benemeritis, hoc ideò facit, quia vt supremus bono-*

*rum Ecclesiæ dispensator, potest super hoc rationabiliter dispensare. Vt enim notat Azorius vbi suprà, ibi:* Nonò quæritur, *in solemne Paupertatis Votum iure cadit aliquando Pontificia relaxatio. Vndè, in parte tantùm dispensat à Paupertatis Voto, non in toto; quod postremum ex D. Thoma 22. quæst. 88. art. 11. Syluest. verbo* Votum, 4 *quæst. 5. Armil. verbo* Dispensatio, *& multis aliis Thomistis, non potest summus Pontifex: intellige, quandiu Religiosus remanet Religiosus, implicat enim aliquem esse Religiosum, & non obligari Voto Paupertatis, quod est essentiale Religioni. Quia tamen summus Pontifex potest facere de Religioso non Religiosum, rationabili de causa; ideò hoc modo potest etiam in toto dispensare à Voto Paupertatis, sicut potest à Voto solemni castitatis Clericorum, ex eodem D. Thoma, cùm sint æquè solemnia: & sicut dispensare etiam potest Religiosos à Voto Castitatis, de quo vide Less. l. 2. cap. 40. d. 19.*

*Cæterùm, Religiosi Beneficiarij habent dominium, vel quasi dominium, & possessionem suorum beneficiorum: & possunt agere nomine proprio ad eorum dominium obtinendum, & retinendum & recuperandum eorum possessionem: quia per Votum Paupertatis Religiosi non renunciant bonis spiritualibus, nec iuribus prædictis, sicut nec scientiæ, sapientiæ & similibus, neque*

*que*

*que honoribus sanctis & licitis, vt presbyteratui, doctoratui & similibus, nisi fortè ex vi statutorum particularium, vt nos quo ad magisterij gradum: sed solùm renunciant bonis temporalibus. Ita D.Thom. 22. quæst. 186. a. 7. ad 4. Caiet. ibid. Nauarr. de redd. quæst. 1. monit. 9. Lessius vbi suprà. Molina tom. 3. de Iustitia, disp. 687. & alij. Huiusmodi autem Religiosi, beneficia Ecclesiastica, aut etiam pensiones habentes; non sibi, sed suæ Ecclesiæ dominium bonorum sibi obuenientium acquirunt. Possunt tamen de illis, ad honestam sustentationem sui, & ad pias causas dispensare: quia omnis titulus canonicus beneficij, dat facultatem disponendi de eius fructibus, in honestam sui sustentationem, & ad pias causas: qui enim est administrator beneficij, est etiam administrator fructuum. Ita Nau. com. 2. de Reg. num. 10. & com. 4. num. 68. Mol. tom. 2. d. 276. & colligitur ex Clem. 2. §.* Sed & talis. *de vita & honestate Cleric.*

Si quis pecunias alicubi habuerit, quas non statim remittat dispositioni Correctoris sui, vt proprietarius puniatur. *cap.* 1. *Valent.* 23. Item, qui libros vendit, ad vsum sibi concessos, à quocumque habuerit. *Ibid.* 24. *Proprietarius quis.* 1541.

*Media ad obseruandum Votũ Paupertatis.*

Ad hoc vt Votum Paupertatis meliùs obseruetur, præcipitur in virtute sanctæ

Obedientiæ omnibus Superioribus Prælatis eorúmque Vicariis; vt tẽpore suarũ Visitationum, omnium subditorum, nemine excepto, priuatas cellas visitent, & eorum supellectilia considerent. Quòd si aliquid inuenerint, quod statui Paupertatis non conueniat, auferant, & communi applicent vtilitati. *c. 4. Valent.* 31. Item, singulis annis, Fratres omnia bona eis ad vsum concessa; teneantur integriter, & fideliter, nihil occultando, in scriptis redigere: & præfatis Superioribus, tanquam seipsos rerum omnium proprietate spoliantes, teneantur præsentare. Quòd si Superiores aliquid superflui inuenerint, egentibus distribuant. Et si quis aliter quidquam tenere conuictus fuerit, actiua & passiua voce ex Decreto Tridentini sit biennio priuatus, & etiam iuxta Ordinis statuta puniatur. *Ibid.* 32.

1571.

Sess. vlt. de Reg. c. 2.

*Supponunt hæc statuta, posse Superiores concedere aliqua mobilia suis subditis, v.g. vestes, libros & similia. Quod non solùm ad vsus necessarios, sed etiam ad opera pia fieri posse, communiter tenent Doctores. Cùm enim Concilium Trident. sess. 25. de Regul. cap. 2. dicit, quod* Nemini Regularium liceat, bona mobilia etiam nomine Conuentus possidere, vel

tenere;

tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuíque incorporentur: *intelligendum est cum Lessio l.2.c.4. dub.5. de bonis Monasterio nondum incorporatis, aut sine iusta licentia Superioris à Religiosis obtentis: nam immediatè post, tantùm vetat ne Superiores concedant stabilia, nulla facta mentione mobilium. Imò subdit*, Mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum supellex, statui Paupertatis quam professi sunt, conueniat: nihílque superflui in ea sit; nihil etiam, quod necessarium, eis denegetur. *Hinc sic colligit Azorius l.12. Instit. cap. 12.* Iure improbantur specula, vnguenta, suffimenta, & his similia pleraque vana, profanáve, quæ maximè religiosam dedecent simplicitatem. Pari ratione vituperanda veniunt pretiosa ornamenta librorum, vestium, supellectilium, & aliarum rerum, quæ magis ad mundanos, quàm ad pauperes Religiosos spectant. *Idem colligunt Nauar. comment. 4. de Regular. num. 27. Roder. tomo 3. reg. quæst. q. 29. art. 11. & à sancto Fausto in Thes. qui q. 95. dicit*, Religiosum peccare mortaliter, qui etiam de licentia Superiorum tenet multa superflua; & Superiorem concedentem etiam mortiferè delinquere. *Ita etiam declarauit*

*clarauit ſacra Congregatio quo ad ſubditos apud Quarantam*, *verbo* Caſus reſeruati. *Addit idem à ſancto Fauſto, quæſt.*101. Religioſum qui etiam de licentia Superioris penes ſe retinet pretioſa, vt vaſa aurea & argentea, gemmas, annulos, veſtes ſericas, coralia, cultellos manubriis de argento & auro excultos, coclearia, & furcinulas eiuſdem generis, coronas pretioſiſſimas, reliquiaria, horologia paruula valoris excedentis, picturas magni pretij, tapetia & id genus alia, mortaliter peccare; nec Superiorem poſſe talem licentiam ſubdito concedere. *Idem dicit, quæſt.96.* de iis qui infinita librorum multitudine armaria replent, quos ferè nunquam ipſi nec legũt, nec intelligunt: illóſque ſecum per varia Monaſteria, magnis ſumptibus, ſtrepitu magno, & puſillorum ſcandalo deferunt. *Quod à fortiori dicendum eſt de iis, qui dum ad longum tempus abſunt à Conuentu, libros ad vſum ſibi conceſſos, in arca, vel ſecularium domo recondunt donec redeant; Religionem interim illorum vſu fruſtrantes; cùm tamen Religionis ſint, non autem Religioſorum particularium. Prædictis omnibus concordant ſtatuta præcedentia.*

*Cæterùm ſanctæ Congregationis declaratio-*
*men*

*nem legi, qua definitur*, Superiorum arbitrio & definitioni ſtare debere Regulares, quo ad mobilium ſuperfluitatem, vel conuenientiam: niſi de exceſſu arbitrij conſtiterit: habita videlicet ratione perſonæ, officij, & regularis ſtatus, paupertatiſque, quam profeſſi ſunt, & cæterarum itidem qualitatum.

*Sicut autem dicit Concilium, nihil ſuperflui in Religioſorum ſupellectili eſſe debere; ſic addit, nihil neceſſarium debere Religioſis denegari: quod eadem ſtatuta continẽt. Ideò, Prælatus qui nõ curat ſubditis prouidere neceſſaria ſecundùm decentiam & honeſtatem ſui ſtatus, cùm cõmodè prouidere poſſit, peccat mortaliter contra Paupertatis Votũ; quia occaſionem dat ſubditis procurandi peculium. Ita D. Ant. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 11. Syl. verbo*, Religio, *6. q. 7. A S. Fauſto q. 32. Religioſi etiã, qui diſſipando, aut prodigè conſumẽdo bona Conuẽtus: aut de communi, & conſueto victu, & veſtitu murmurando, aut ſuis opinionibus, & ſuffragiis, ſunt cauſa vt in Religione peculia introducantur, peccant mortaliter contra Paupertatis Votũ. Ita iidẽ Doctores locis citatis.*

Ad vnguẽ ſeruentur, quæ ſtatuta ſunt à Tridentino, & à noſtris Statutis hactenus factis, circa paupertatem. Item Fratres bona ad vſum conceſſa, nõ poſſunt vendere,

dere, nec alienare, nec commutare, nec quid simile facere: hæc enim omnia denotant bonorũ iurisdictionem & dominiũ, quę non habent Fratres. *c.* 5. *Valent.* 20.
1593.

*Intelligendum est hoc statutum cum hac modificatione,* Sine Prælati licentia. *Licet enim sine illa nequidem liceat Religiosis mutuare, commodare, vel quid similē facere: hæc enim sunt actus dominij, vt docet à sancto Fausto quæst.* 105. 106. *cum illa tamen licet. Cæterum, inter eiusdem Conuentus Religiosos, tacita Superiorum licentia præsumitur, vi cuius ipsis licet sibi inuicem necessaria mutuare. Imò contra charitatem peccaret, qui fratri indigenti librum vel aliam rem non commodaret. Ideò D. Bonau. in speculo discip. parte* 1. *cap.* 4. *vbi dixit,* Nulla res quam Superior non dederit aut permiserit, est licita proprium abdicanti. *Subdit,* In commodandis pro cohabitantium indigentia rebus, non est lex posita charitati. Possum rem fratri petenti exponere concedendam, non tamen impendere vendicandam. *Ideò Corduba super Regulam B. Francisci Assis. cap.* 6. *quæst.* 4. *&* 9. *ex mente D. Bernardini, dicit illum proprietarium esse, qui librum, vel quid simile, omnium vsui deputatum, fratribus non vult commodare, dummodo ipse illo non indigeat.*

Prædica

Prædicatores nullatenus possunt, absque licentia Prelatorum, prædicationum eleemosynas (*hoc est, quæ intuitu prædicationum pecuniæ vel similia dantur*) pro se vel pro aliis accipere: cùm Religiosi per professionem, alterius efficiantur iuris. *c.* 5. *Valent.* 21. *Prædicatorũ eleemosyna.* 1593.

*Percussor.*

Si quis aliquem violenter percusserit, manu, vel baculo, aut lapide, vel aliquo simili: imprimis à Correctore locali vel eius Vicegerente, aut eius Superiore, ab excommunicationis vinculo palam absoluatur, cum Psalmo *Miserere mei Deus*; subiuncta oratione, *Deus cui proprium est*: in cuius fine iungatur, *& famulum tuum quem sententia excommunicationis ligat, miseratio tuæ pietatis absoluat.* Vt si leuis ac minùs violenta fuerit ipsa percussio, per sex refectiones à vino & pictantia abstineat talis percutiens. Si verò grauis & violenta, augeatur ipsa pœnitentia etiam vsque ad carceres: provt locali Correctori, eiusque Capitulo, tunc expedire videbitur: præsertim, cum vsque ad Nouitiorum notitiam peruenerit ipsum delictum. Si verò ad illorum notitiam non peruenerit, per sex Capitula veniam postulet

*Vt absoluendus.*

*Vt puniendus.*

stulet taliter offendens,& fratrum pedes ibidem osculetur : ac per sex continuas refectiones, comedat panem & aquam duntaxat. *Cor.6. Quæ autem percussio sit leuis, quæ grauis, vide in Extrauaganti*, Perlectis, *in Man. Nauarri c.27. num.6.*

*Quid si sit Prælatus.* Pro similibus percussionibus & manuum iniectionibus per Prælatos in subditos factis, ipsis infligantur præfatæ pœnitentiæ per suos Socios, vnà cum Capitulo locali eiusdem, vel proximioris Conuentus; vbi scilicet eosdem Prælatos quamprimùm applicare contigerit : & ab officio deponantur, donec per Generale Capitulum rehabilitentur : & ad omne Officium Ordinis inhabiles reddantur. *ibid.*8.

*Periurans.*

Vt puniendus. *Vide*, Iuramentum.

*Perseuerantia.*

Fratres & Sorores, ab hac Regula & vita nunquam recedant : memores quòd frustrà bonum inchoatur, si ante vitæ terminum deseratur, solisque perseuerantibus corona datur. *R. F.* 1. *R. S.* 2. *Vide*, Professio.

*Plagiarius.*

*Vt puniendus.* Si quis alterius effuderit sanguinem sine

ſine plaga;vt puta,per naſum, aut per os, aut per alium corporis locum, vnguibus diſcerpendo,vel aliàs;per menſem incarceretur, vel acriùs puniatur ſecundùm exceſſus grauitatem; provt per Correctorem & Locale Capitulũ maturè fuerit ordinatum. Si quis autem gladio, vel aliundè, plagam, aut aliquam læſionem enormem fecerit,vel quenquam mutilauerit,aut aliàs membrum aliquod inutile reddiderit; quindecim menſibus in carcere detineatur:& vlteriùs, provt exegerit exceſſus enormitas,quarta & ſexta feriis comedat panem & aquam duntaxat: vel grauiùs puniatur talis delinquens, iuxta deliberationem alicuius Prælatorum,vel ſuorum Viceſgerentium:niſi aliquando infirmitatis neceſſitas expoſceret aliquam relaxationem,vel commutationem fieri.In quo quidem caſu de conſilio Medici (ſi adfuerit) poterit Corrector de conſenſu Localis Capituli, talem delinquentem è carceribus extrahere;& illum transferre, ſeu transferri facere, ad alium locum congruum, & tutum. Veruntamen,iure primogenituræ & capitulari voce, perpetuò priuetur talis delinquens. *Cor.7.*

*Quid si Prælatus.* Qui si Prælatus extiterit, &c. *Vide*, Percussor.

*Pœnæ.*

*Ipso iure, vel ipso facto.* Quoniam Iura quę dicunt, pœnam imponi ipso iure, vel ipso facto, regulariter videntur intelligi, dummodo sit sequuta sententia declaratoria, per quam declaratum sit, fuisse commissum id, propter quod illa pœna est imponenda: aliàs, illa pœna effectum non sortitur. *Positiuæ.* Declarant Patres, id locum habere in pœnis positiuis, ad quarum exequutionem requiritur alia actio; puta, quòd stet in carcere, quòd comedat panem & aquam, & simil. Non autem in pœnis priuatiuis, ad quarum exequutionem non requiritur alia actio, sed sunt canones latæ sententiæ; puta, quod sit priuatus voce actiua, vel passiua, primogenitura vel Officio prędicationis, & simil. quæ in nostris Statutis continentur. Vt à simili dixit Caietanus 2.2. quæst. 62. art. 3. de censuris. Propterea præsenti Decreto statuunt Patres, ipso facto, ipsóque iure, absque alia declaratione Iudicis, incurri huiusmodi pœnas priuatiuas.

1574. *c.4. Genu. 15.*

*Peirinis de Subdito q.2.c.2.§.11.conclus.3. dicit cum Soto, Priuationem vocis actiuæ & passiuæ,*

*ſuæ, non obligare in conſcientia: nec incurri, niſi poſt ſententiam Iudicis: etiamſi dicatur in ſtatuto, quòd incurritur eo ipſo, vel ipſo facto, vel ſine alia declaratione; quæ idem eſſe dicit. Nam, inquit, illud* ipſo facto, *ſeu* eo ipſo, *& ſimil. intelligitur eo ipſo quod Iudex ſententiam protulerit. At hoc in noſtro Ordine locum non habet, & eſt expreſſè & manifeſtè contra præcedens Statutum. Imò, idem Peirinis, re maturiùs conſiderata, in libro priuilegiorum quem edidit poſt Subditum, ſuper Conſtit. 6. Iulij II. num. 19. ait:* Pœna priuationis Officiorum, & inhabilitatis ad illa, & ad alia; licèt incurratur ipſo facto, non obligat tamen in conſcientia incurrentem renunciare Officiis, & impoſterum ea non admittere. *Imò, in citato loco de Subdito, dicit;* Declaratio non cadit ſuper pœnam, quæ incurritur ipſo facto, & abſque alia declaratione: ſed ſuper delictum. *Quomodo ergo pœna non incurritur niſi poſt ſententiam Iudicis? Pro difficultatis huius reſolutione, valdè notanda, & maximè neceſſaria,*

NOTA, *aliud eſſe pœnas priuatiuas obligare in conſcientia, aliud ipſo facto, & ſine alia ſententia incurri. Primum enim, obligat incurrentem ad renunciandum primogenituræ, v. g. vel Officio, & ad alia non acceptandum: non*

*secundum præcisè, nisi cum infra ponendis limitationibus. Primum aliquando præsupponit declarationem Iudicis, qua crimen perpetratum esse declarat: vel ipsius criminis euidentiam. Secundum, neutrum prærequirit. Itaque*

DICO PRIMO, *in nostro Minimorum Ordine, quascumque pœnas priuatiuas quæ ipso facto imponuntur, ipso etiam facto, sine alia declaratione, siue vlla sententia incurri.*

PROBATVR I. *ex præcedenti statuto Capituli 4. Genuensis, vbi hoc habetur expressè: ibi enim ex mente Caietani, pœnæ omnes diuiduntur in positiuas, & priuatiuas; declaratúrque pœnas positiuas, quæ imponuntur ipso facto, non incurri sine sententia Iudicis declaratoria: priuatiuas verò, sine tali sententia incurri.*

PROBATVR 2. *quia ex communi sententia Doctorum, quoties lex pœnalis cum additione*, ipso facto, *vel simili, imponit aliquam inhabilitatem, etiamsi non addat*, absque alia declaratione, *vel aliud æquiualens, inducit statim illam inhabilitatem, ante omnem sententiam, etiam declaratoriam criminis. Ita tenent expressè, non solùm Caietanus citato, sed etiam Syluester v.* Assassinus, *Nauarrus, Corduba, & alij in cap. 1. de Constit. Medina 12. quæst. 96. art 4. Soto lib. 10. de Iustitia, quæst. 5. art. 6. & alij multi.* PATET I. *in incapacitate ad hæreditatem*

*reditatem paternam, quæ sicut ipso facto spuriis imponitur à Iure, ita & ab eis ipso facto incurritur, sine vlla sententia declaratoria.* PATET 2. *ex c.* Cum singula, *de præbend. in* 6. *ibi:* Ex tunc, eo ipso efficiatur ineligibilis, *& in fine,* reddantur ineligibiles ipso iure, *vbi omnes intelligunt cum Glossa, illam pœnam statim incurri; ita vt, electio de tali persona facta nulla sit, licet talis inhabilitas, seu ineligibilitas, non nascatur ex aliquo pacto, vel conuentione, sed purè ex efficacia legis. Et hæc sufficiant quo ad pœnas priuatiuas merè passiuas.*

*Quo ad priuationes verò actiuas, vel quasi actiuas, quæ priuant potestate aliquid agendi, v.g. eligendi,* PATET 1. *ex Clement.* Vt ij qui, *de statu & qualit. vbi præbendati in Ecclesiis Cathedralibus, qui sine iusta causa non promouentur intra annum ad Ordines suis præbendis annexos,* ex tunc *priuantur voce actiua in Capitulo. Quod intelligitur ante omnem sententiam, iuxta Cardinal. Bonifac. & omnes.* PATET 2. *quia hic effectus potest fieri perfectè & integrè per solam legem: & hoc vult Legislator, voluntatem suam sufficienter significans, cùm dicit,* ipso facto: *nec est vllum iuridicum fundamentum ad limitandum illam, quale est in pœnis positiuis, saltem multoties, ni-*

*mia scilicet legis seueritas.* PATET 3. *quia pœnæ suspensionis, excommunicationis, interdicti & irregularitatis, incurruntur ipso facto, ante vllam Iudicis sententiam, vt docet Peirinis super Constit. 6. Iulij II. num. 20. post Sanchem, & alios quos citat: ergo & pœnæ priuatiuæ quæ ipso facto imponuntur, cùm sit eadem ratio; vt etiam docet Soarez lib. 5. de Legibus, c. 9. Ideò Sanches affirmans, l. 6. in Decal. c. 17. num. 39. & alibi sæpè, illos quibus pœnæ priuationis Officiorum imponuntur ipso facto, non obligari in conscientia ad renunciandum Officiis: l. 9. de Matrimonio, disput. 30. num. 2. fatetur se rationem adæquatam non inuenire, cur pœnæ suspensionis, excommunicationis, &c. ipso facto incurrantur. Sed nullam prorsus in hoc difficultatem video: aliud est enim, vt prænotauimus, pœnas ipso facto incurri; aliud incurrentem teneri Officiis renunciare. Prædictæ omnes pœnæ, non solùm excommunicationis, suspensionis, &c. sed etiam priuationis Officiorum, & similes, ipso facto impositæ, ipso etiam facto, & absque vlla sententia incurruntur; vt mox videbimus. Non ideo tamen si delictum, seu transgreßio sit secreta, tenentur incurrentes, etiam ipso facto suspensi, priuati, vel excommunicati, Officiis renunciare, si renunciatio non posit fieri sine propria infamia: nemo enim tenetur seipsum diffamare: &*

*præce*

*præceptum de fama conseruanda, est naturale; cuilibet humano præcepto praeferẽdum. Itaque*

*Quo ad priuationes Officiorum*, PATET 1. *quia Iuristæ communiter asserunt, ex vi legis imponentis pœnam priuatiuam* ipso facto, *teneri delinquentem, etiam in foro conscientiæ, ad relinquendam rem qua per legem priuatur: siue sit beneficium, siue Officium, &c. si pœna de omnibus quibus priuat, vniuersè loquatur. Ita tenent Abbas in c. 1. de constitut. & Felin. in c.* Rodulphus, *& Nauarrus in Summa, c. 23. n. 67. vbi in hoc æquiparat priuationem beneficij, & similes priuationes, censuris, & irregularitati. Item Corduba quæst. 36. Castro lib. 2. de lege pœn. c. 6. & alij. Ergo talis pœna priuationis Officij, incurritur ipso facto.* PATET 2. *quia verbum,* ipso iure, *vel* ipso facto, *in rigore hoc significat, & est efficax: si enim in censuris, habet hanc significationem, & efficaciam, vbique illam habet: nulla enim ratione contrarium suaderi potest.*

PROBATVR 3. CONCLVSIO, *quia leges pœnales imponentes priuationes* ipso facto, *inducunt absolutam priuationem bonorum, quam intendunt, etiamsi ex actione hominis delinquentis pendeat; quando adduntur alia verba in lege, quæ hanc intentionem Legislatoris satis explicant; vel quando lex esset inutilis,*

*& inefficax, nisi hunc effectum, & obligationem induceret. Ita Soares lib. 5. de Legibus, c. 8. At, præterquàm quòd pœnæ priuatiuæ in Statutis nostris ipso iure latæ, saltem aliquæ, essent inutiles, nisi ipso facto absque vlla sententia declaratiua incurrerentur, vt infrà ostendemus; constat ex præcedenti statuto Capituli 4. Genuēsis, intentionem Legislatorum nostrorum esse, vt incurrantur ipso facto, absque vlla Iudicis sententia declaratoria. Ergo sine illa ipso facto incurruntur. Minor patet, cùm illud statutum non requirat ad incurrendas pœnas priuatiuas ipso iure latas, sententiā quæ requiritur ad incurrēdas positiuas, etiam latas ipso iure. At, ad incurrēdas istas, sufficit patrato delicto sentētia declaratoria. Ergo ad incurrendas illas, nequidem talis sentētia requiritur. Maior prioris argumenti probatur, quia Legislator humanus, potest condere legem obligantem ad incurrendam pœnam priuatiuam ipso facto absque vlla sententia declaratoria, vt docent Azorius l. 5. Instit. c. 7. variis in locis, Soares & Soto locis citatis, & alij. Ergo si illud velit, & suam voluntatem sufficienter explicet, talis pœna de facto incurretur, absque vlla prorsùs sententia declaratoria. Non potest autem clariùs explicari mens Legislatorum nostrorum, quàm explicetur in prædicto statuto.*

Ex

Ex hac Conclusione, Collige, *quòd vbi constat in Capitulis, aliquem in excommunicationem, vel priuationem vocis actiuæ, ipso facto incidisse; huiusmodi debet arceri ab actis Capitularibus. Imò, & ipsum admittentes mortaliter peccare, cùm formantur oppositiones. Quia tales admissiones fiunt in fraudem iuris, in communitatis detrimentum, & in præiudicium tertij. Licèt enim priuationes non sint facienda electionum tempore, vt statuitur in cap. 4. Valent. 28. reiici tamen debent ab electionibus reiiciendi: vt de facto reiecti fuerunt (non obstante prædicto statuto) in cap. 5. Valent. 3. vt dicemus infrà, & verbo,* Priuatio. *Et certè, aliàs, nugatoriæ essent, Localium saltem Capitulorum legitimationes: in quibus non agitur, de validitate electionum vocalium, aut inualiditate; sed de aliis ipsorum inhabilitatibus. Cæterùm, quis dicet, publicè ipso facto excommunicatum, propter publicam Clerici percussionem, factam etiam ipso electionum die, non debere arceri à Capitulo? Idem autem iudicium est de aliis inhabilitatibus, saltem dùm formantur oppositiones, vt infrà patebit. Ratio verò horum omnium est, quia huiusmodi priuatos excludere à Capitulo, non est ipsos priuare: sed iam per proprias transgressiones priuatos, tanquam non vocales, & nullum ius ad electiones, &c. habentes,*

*bentes, ad Capitulum non admittere.*

DICO 2. *Pœnas priuatiuas, non obligare in conscientia ad renunciandum primogenituræ, v. g. vel Officio, &c. eum qui prædictis renunciare non potest citra magnum scandalum, vel sui infamiam magnam, etiamsi incurrantur ipso facto.* PROBATVR *ex suprà dictis, quia nullus tenetur seipsum infamare: imò præcepto naturali tenemur omnes ad tuendam famam, & proximum non scandalizandum. Ita Soares & Peirinis locis citatis.*

DICO 3. *Pœnas priuatiuas ita incurri ipso facto; vt qui illas incurrit, si Officio, voce, &c. priuetur, teneatur statim ab Officio, voce, &c. abstinere sub mortali peccato, si hoc possit fieri citra magnum scandalum, vel magnam sui infamiam. Idque, cùm constat tales pœnas ipso facto incurri, ex verbis legis, vel statuti, v. g. cùm in lege, vel statuto apponitur hæc clausula,* absque alia declaratione, *vel quid simile: etiamsi non declaret formalibus verbis obligationem in conscientia. Ita expressè Caietanus citato, in quo fundatur statutum, c. 4. Genuensis, de quo hîc, Soto l. 1. de Iustitia, quæst. 6. art. 6. Alphons. à Castro l. 2. de lege pœnali, c. 8. & 9. Syluester & Armilla verbo,* Assassinus. *Angelus verbo,* Pœna, *quæst. 3. & alij.*

PROBATVR 1. *quia lex sufficienter decla*

*declarat ſe ad huiuſmodi pœnas obligare in conſcientia, velléque talem obligationem inducere Legiſlatorem: & Legiſlator, ex omnibus, poteſt illam inducere: ergo cùm poßit & velit, de facto inducit, & in conſcientia obligat.*

*Imò, certißimum eſt, legem ſufficienter declarare ſe ad huiuſmodi pœnas obligare in conſcientia, & hanc eſſe Legiſlatoris mentem, cùm ponitur in ſtatuto; ſtatuimus vt hoc vel illud fiat, ſub pœna depoſitionis ab Officio ipſo facto, vel priuationis vtriuſque vocis, &c. ipſo facto, etiamſi, apud nos, non addatur,* abſque alia declaratione, *vel quid ſimile. Quod ſic euidenter demonſtro: quia aliàs, ſi ſcilicet tales pœnæ ipſo facto impoſitæ non obligarent in conſcientia, ita vt ſtatutum tranſgrediens non teneretur in conſcientia abſtinere ab Officio, & à votando in electionibus, &c. niſi poſt ſententiam declaratoriam (cùm tamen hæc poßit citra ſcandalum, vel magnam ſui infamiam) fruſtrà addita fuiſſet in illo ſtatuto hæc particula*, ipſo facto: *ex illa enim, ſtatutum nullum moralem effectum haberet, quem non haberet ſine illa per ſententiam condemnatoriam: quia dato quòd aliquos poſt dies, vel menſes, feratur contra delinquentem ſententia declaratoria; hæc ſententia non poterit retrotrahi, non minùs, ac condemnatoria: vi enim ſententiæ declaratoriæ, non deſinet*

*desinet fuisse Corrector per mensem, v.g. vel votasse in electionibus, &c. qui postquam tale statutum transgressus fuit, per mensem Correctoriatum exercuit, vel votauit in electionibus, &c. Ideoque, nec acta iudiciaria facta à tali Correctore, erunt nulla, nec annullanda: nec poterit irritari suffragium taliter eligentis, iam datum, vel electio ratione illius facta; vt infrà dicemus: nec poterit puniri, qui taliter Correctoriatum exercuit, vel votauit, ob tale exercitium, vel votum datum, cùm ab illis non debuerit abstinere. Ergo subsequens sententia, non habebit effectum nisi ex quo feretur; & quo ad tempus, seu electiones futuras, quod facit sententia condemnatoria. Ergo particula*, ipso facto, *frustrà posita fuit in statuto; cùm vi illius, statutum nullum moralem effectum habeat, quem non haberet sine illa, per sententiam condemnatoriam: Quod est statutum eludere, & statuentis mentem defraudare.*

PROBATVR 2. *exemplis.* PRIMVM, *sumitur ex Extrauag.* Ambitiosæ. *de reb. Eccl. non alien. vbi inferiores Prælati, seu rectores Ecclesiarum, alienantes suorum beneficiorum bona, contra præscriptum legis illius, priuantur suis beneficiis per verba de præterito,* ipso facto priuati existant, *& additis etiam his particulis,* illáque absque declaratione aliqua, vaca-

re

re censeantur. *At non vacat beneficium, nisi cùm amittitur titulus & dominium eius. Ergo ex vi dictæ Extrauagantis, ante omnem sententiam, etiã declaratoriam, amittitur beneficium, & oritur consequenter obligatio in conscientia, illi renunciandi. Ita Nauar. in manuali, cap. 27. num. 150. Corduba quæst. 36. Soares citato cap. 8. & aliï.*

SECVNDVM EXEMPLVM *sumitur ex Concilio Lateran. sess. 5. sub Iulio II. vbi contra Cardinales simoniacos in electione Summi Pontificis fertur pœna priuationis beneficiorum, sub hac forma,* Eo ipso, absque alia declaratione priuatus existat. *docent enim omnes authores citati maximè à Castor & Syluester v.* Assassinus, *formam illam ferendi talem pœnã, sufficere ad obligandũ beneficiatum ad spoliandum se beneficio, & illi renunciandum ante omnem Iudicis sententiam declaratoriam criminis. Ratio est, quia illa verba, ex vi particulæ,* ipso facto, *continent sententiam condemnatoriam: & aliæ, scilicet,* absque declaratione, *expressè excludunt necessitatem sententiæ declaratoriæ. Adde quod aliàs, verba illa essent inania, nec facerent quod significant; imò nec effectum aliquem moralem haberent, nequidem in foro exteriori: neque enim ex vi talis legis delinquens posteà puniri posset speciali pœna,*

*na, eò quòd statim, ac deliquit, beneficio non se spoliauit, ante sententiam declaratoriam, si ad illud non tenebatur ex vi legis. Quod si tenebatur, & ideò iustè punitur vt violator legis, cur illa obligatio non erit in conscientia, cùm per legem præcipientem imponatur? Deinde (quod caput est) in illis legibus, non agitur de punitione talis moræ in exequenda pœna; sed tantùm de imposita pœna pro alio delicto. Nec valet dicere, delinquentem censeri priuari ante declarationem, quia postea sequuta declaratione pœna retrotrahitur à die commissi criminis: nam hunc effectum habet lex ponens similem pœnam ipso facto, vel ipso iure, etiam nullo alio addito: ergo per hunc effectum non explicatur quid denuò faciat illa additio*, Absque alia declaratione, *vel*, Nulla monitione præmissa, *quæ proculdubio additur, ad excludendam necessitatem sententiæ declaratoriæ, vt colligitur ex Trid. sess. 23. cap. 1. ex illis verbis*, Pro rata temporis absentiæ, fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non sequuta, illos sibi detinere posse. *Adde, verba illa*, ipso facto, & absque alia declaratione, *non esse synonyma, & in omni proprietate, intelligi debere, sicut addantur propter proprios effectus., & significationes. Vndè, non potest dici, verba illa*, Absque alia

decla

declaratione, *vel*, Nulla monitione præmissa, *& similia, poni ad exaggerationem, vel maiorem declarationem præcedentis vocis*, ipso facto: *hoc enim esset illa eludere, & vana, & inutilia reddere; cùm particula*, ipso facto, *secundùm omnes, non semper excludat necessitatem sententiæ declaratoriæ; (in pœnis scilicet positiuis) quam expressè excludunt illa verba*, Absque alia declaratione, *& similia, ideò à Legislatore aliquando adduntur. Ita Soares citato.*

Tertivm Exemplvm, *sumitur ex cap.* Licèt Canon, *de elect. in* 6. *vbi recipiens beneficium parochiale absque Ordine Sacerdotali, si intra annum non ordinetur sua culpa, ad illi renunciandum obligatur, his verbis*: Quòd si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, sit præsentis Constitutionis authoritate priuatus *Quòd enim ad hanc pœnam priuatiuam sequatur obligatio renunciandi, patet, quia nemo potest retinere beneficium, quod suum non est. Ideo Glossa, Nauarr. in Manuali, cap. 25. num.* 118. *& alij Doctores, dicunt illum de quo in prædicto cap. agitur, ante omnem monitionem, & à fortiori ante omnem sententiam declaratoriam beneficio priuari.*

Qvar

QVARTVM EXEMPLVM, *petitur ex nostro Correctorio Apostolica authoritate confirmato, num.* 110. *vbi dicitur*, Si aliquando (satanica procurante versutia) aliqui huius Ordinis Prælati, etiam ipsemet Corrector Generalis, &c. transcenderent huius Ordinis Regulæ Ordinationum limites, seu terminum ipsis Prælatis inibi præfixum, etiamsi fortè aliquando super hoc Apostolicas litteras obtinerent, ipso facto vniuersos eiusdem Ordinis Fratres præsentes & futuros, ex nunc ab eorum Obedientia penitùs absoluimus, & eximimus: ac illis de cætero obedire; plenaria nostra authoritate expressè inhibemus. Et ad nouam electionem statim procedendum fore, decernimus. *Non solùm dicitur* ipso facto, *sed*, ex nunc; *imò, &* statim, *id est, sine mora, & nulla expectata sententia, nequidem declaratoria, ad nouam electionem procedendum fore decernitur: ideóque, etiam ante talem sententiam, huic statuto contrauenientes, Officiis ad quæ fuerunt electi priuatos esse; illísque non solùm posse, sed etiam deberi obedientiam denegari. Ita hoc statutum intellexit, sanior pars Capituli 3. Barchin. de quo tamen statuto agemus suo loco, verbo* Prælati.

*Cæterùm,*

*Cæterùm*, non obſtat dictis hactenus, *quòd conſuetudo quæ eſt optima legum Interpres, nos doceat, eos qui in tales pœnas incidunt, non ſtatim officiis, vtrique voci, &c. renunciare. Hoc enim ideò eſt, quia exiſtimant ſe non poſſe prædictis renunciare, citra ſcandalum, vel ſui infamiam, quod vt plurimum accidit. Si tamen poſſent, tenerentur, vt conſtat ex prædictis. Verùm, quis ſcire poteſt cur renuncient, qui renunciant aliquando, cùm cauſa renunciationis, quæ fit à multis, ſit occulta? cùm æquè procedere poßit à priuatione, ac à deuotione, & humilitate? deuotioni tamen, & humilitati, ſemper eſt tribuenda.*

*Ex hac vltima concluſione*, COLLIGO, *eum qui deliquit contra ſtatutum aliquod, vel crimen commiſit cui eſt annexa pœna priuatiua, v. g. vtriuſque vocis, ídque ita publicè, & manifeſtè, vt nulla poßit tergiuerſatione celari dictum crimen, ſeu tranſgreßio, teneri ſub mortali abſtinere ab vtraque voce. Ratio eſt euidentißima: quia cùm crimen, ſeu tranſgreßio ſit publica, modo prædicto, non eſt periculum quòd delinquens abſtinendo ab vtraque voce ſe infamet, cùm per ſuæ tranſgreßionis, ſeu criminis euidentiam ſit ſufficienter infamatus: nec infamet pœna, qualis eſt prædicta priuatio; ſed culpa, cui puniendæ imponitur. Adde, illum non*

posse à peccato vindicari, cùm eligens, vel electioni de se factæ consentiens, & Officium ad quod fuit assumptus exercens, (vltra scandalum quod inde oritur) exerceat actus iurisdictionis in re graui, quibus ita est ipso facto priuatus, vt ad talem priuationem non requiratur sententia declaratoria, vt ostendimus conclusione prima, & tertia.

Hæc si attenderent multi, non ita flocci facerent Constitutiones, quibus sunt annexæ pœnæ priuatiuæ, ipso facto, vel absque alia declaratione incurrendæ: quas plerumque pro nihilo habent, contrariam sententiam amplectentes: vident quippè Superiores Prælatos, & Capitula Localia, tardè admodùm procedere ad depositionis, vel priuationis sententias proferendas. Sícque, apponere pœnam priuatiuam statuto, ipso facto incurrendam; perindè est, etiam in illorum sententia, ac nihil apponere. Ideò, materiam hanc fusiùs tractare cogitaui, ex Doctorum sententia, vt vnusquisque Religioni, & sibi caueat.

QVÆRES, an dum aliquis est ipso facto priuatus Officio, vel voce, ob transgreßionem statuti, valeant acta eius ante sententiam declaratoriam criminis. RESPONDEO, si transgreßio est occulta, & ita Religiosos latet, vt communi errore teneatur maior illorum pars, talia

lia acta valere, v. g. statuta, electiones, depositiones, &c. imò, absolutiones, dispensationes, &c. respectu illorum, qui transgressionem ignorant: idque vi publicæ administrationis, aut muneris, & communis erroris. Ratio est, quia propter vtilitatem eorum, qui bona fide ducti, & errore communi, talem pro Correctore, v.g. vel legitimo vocali habuerunt, talia acta rata, & firma haberi expedit. Tunc enim Religio, ob communem Religiosorum errorem, iurisdictionem dare videtur, ne communis pax, & tranquillitas perturbetur. Sic in l. Barbarius, ff. de officio Prætoris, rata censentur quæ facta sunt ab eo, qui Prætor non erat: publicè tamen Prætor habebatur. Ita Abbas in c. Ad probandum. de sentent. & re iudic. num. 15. Felin. ibid. num. 3. Tolet. in summa, l. 1. cap. 13. Azorius vbi suprà, cap. 8. quæst. 2. Soares vbi suprà, cap. 9. & est communis.

Si verò transgressio sit publica, vel notoria, siue per propriam transgressoris confessionem in iudicio, siue per euidentiam eiusdem transgressionis, talia acta non valent. Ita tenent iidem Auctores, item Richard. in 4. d. 18. art. 4. quæst. 2. & Sotus d. 22. quæst. 2. art. 1. in fine. Et probatur, quia si sola ignorantia communis facit, vt talia acta valeant, illa cessante valere non debent. Non valent etiam respectu eorum, qui

*transgressoris transgreßionem, & pœnā ipsi inflictam nouerunt, & tamen illi cooperantur. Sic intelligitur Constitutio Gregorij IX. in c.* Dudum, *de electione: vbi dicuntur animæ damnabiliter deceptæ, à Prælato non legitimè electo, curam animarum habente in Ecclesiis, quibus ipso iure priuatus fuerat. Vbi Glossa sic ait:* Quia cùm desierit esse Prælatus ipsorum, nihil potestatis habebat in eis: vndè non poterat illas animas soluere, vel ligare, infrà de pœnit. & remiss. omnis vtriusque sexus, & de pœnit. dist. 6. Placuit. *Ideò concludit absolutionem à tali Prælato datam non valere, sicut non valet sententia à non suo iudice lata: in de iudic.* At si Clericis. *Fatetur tamen, non ideò periisse eos qui bona fide credebant talem esse suum Prælatum. Vnde, sicut peribant, qui bona fide hoc non credebant, ita vt talis Prælati absolutio pro eis non valeret, sic electio, v. g. non valet in fauorem illius qui sciens eligentem esse ipso iure priuatum voce actiua, illum ad capitulum admisit. Confirmatur, quia Innocentius III. cap.* Ad probandum, *de sent. & re iudic. cassandam dicit esse sententiam latam à publicè excommunicato, vno ex iudicibus, vbi Glossa ait verbo,* cassata, *cassandam esse sententiam etiam quo ad alios iudices, quia impedimentum erat notorium.*

*Quod*

*Quod arguit acta iuridica ab inhabili facta, non valere in fauorem scientium talem inhabilitatem. Ita Calderinus ibi; Abbas in cap.* Veritatis, *de dolo, & cont. num.* 43. *Azorius citato, & alij. Confirmatur ex cap.* Cùm dilectus, *de consuetudine; vbi Papa electionem à suspensis factam*, Iustitia exigente cassauit; *hoc est, vt Glossa explicat, cassam, & nullam declarauit.*

*Aliqui tamen, prædicta procedere solùm dicunt, in excommunicato vitando, hoc est, nominatim excommunicato, & publicè denunciato; vel publico Clerici percussore: non autem in aliis qui sunt tolerati: Et eadem est ratio de suspensis ab Officio, vel beneficio, ideóque, & à iurisdictione, & ab actis illius, v.g. beneficij collatione, electione, præsentatione, &c. Et hæc, ratione Extrauagantis Martini V.* Ad euitanda, *quæ dicitur facta in Concilio Constantiensi, & fuit renouata in Concilio Basiliensi, & habetur in concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. Galliæ Regem, in Conc. Lateran. sess.* 11.

*Verùm, contrarium sentiunt præcitati Auctores, & cum illis Caietanus verbo,* Excommunicatio, *in fine; ibi:* vbi scito. *Deindè Filliucius tractatu 2. de censuris, cap. 6. dicit, excommunicatum etiam non vitandum, initio electionis posse repelli: quia nullus fauor ei con-*

*fertur, per Extrauag.* Ad euitanda. *Soares verò disput.14.de excommunicatione, sect.2.n. 18.dicit:* Ante electionem factam, excommunicationis exceptio iure potest obiici excommunicato, etiam tolerato; vel ab aliis electoribus qui excommunicatum nolunt admittere, vel ab aliquo eorum qui eligi cupiunt. Tum quia Extrauagans, *Ad euitanda*, nullum fauorem fecit excommunicato, vndè nullum ius ei contulit. Tum etiam, quia licet permiserit aliis communicationem cum illo, neminem tamen ad hoc obligauit: ergo quilibet potest eum repellere, neque ipse habet ius aliquod quo se tueatur. *Cùm ergo excommunicatus nullum ius habeat ad electiones vi prædictæ Extrauagantis, quæ alioquin illi faueret; ad illas, etiam toleratus, non aliter potest admitti, quam ille qui non est de corpore Capituli; ideóque de consensu omnium, ne vno quidem refragante, vt diximus cum Nauarro, & Passarello, verbo,* Electio, *p.167. Vnde si vel vnus se opponat, non potest admitti: ídque, non solùm si se opponens sit de corpore Capituli, sed etiãsi nõ sit, ex mẽte Soaris vbi suprà; & hoc in odiũ sceleris excõmunicati: & etiam ne per talẽ admissionẽ, bonũ cõmune, quod omnes respicit, lædatur. Aliquando enim vnius admissio sufficit*

*ſufficit ad variandam penitùs electionem.*

*Prætereà, cùm (vt ibidem etiam oſtendimus) admitti poßint ad Capitulum, qui non ſunt de corpore Capituli; non in omni caſu, ſed in dubiis tantùm: clarè patet, quòd cùm conſtat de excommunicatione alicuius, ille non poteſt admitti ad actus capitulares & electiones, nequidem de conſenſu omnium: quod pro bono totius Religionis, ab aliquo Generali Capitulo deſiderarem expreſsiùs definiri.*

*Inſuper, ſicut Epiſcopus poteſt repellere à beneficio, eum qui illi præſentatur ab excommunicato etiam tolerato habente ius patronatus, vt docent Soares & Filliucius locis citatis: quia ſcilicet, vt aduertit Soares ibid. num. 30. per Extrauagantem,* Ad euitanda, *nullus ſit fauor excommunicato; vt etiam expreſſè habetur in eadem Extrauaganti: ſic, electiones factas ab admittentibus, etiam vnanimiter, excommunicatum notorium ad Capitulum, caſſare poſſunt Superiores, quorum eſt illas confirmare: in iure enim, electio & præſentatio æquiparantur, cap. vltimo* de Electione, *iuncta Gloſſa, in 6. vt enim ius præſentandi, ita & eligendi, per excommunicationem aufertur.*

*Hanc autem caſſationem fieri vtique expedit, in execrationem ſceleris excommunicati. Tùm, quia, ſi excommunicati non arcentur à*

*Fidelium communione, nisi sint nominatim denunciati, vel publici Clerici percussores; hoc fit, vt habetur expressè in eadem Extrauaganti,* Ad euitanda scandala, & multa pericula, subueniendúmque conscientiis timoratis. *At admissio excommunicatorum ad electiones, potiùs scandala parit quàm vitet: nullum ab exclusione imminet periculum, cùm è Capitulo de facili possint expelli, & sine illis fieri electiones; nec illorum admissio, in bonorum potest vtilitatem cedere, vel subuenire conscientiis timoratis; sed illas potiùs conturbare: dùm vident margaritas, sine vlla necessitate, vel vtilitate proiectas ante porcos. Quæ autem hactenus de excõmunicatis diximus, de suspensis, & priuatis voce capitulari, suo modo debent intelligi: vt fusè docent omnes præcitati Doctores.*

Ex dictis Colligo, *electiones illas esse nullas, in quibus admittuntur ipso facto priuati voce actiua, propter transgressionem alicuius statuti; quando transgressio est ita nota capitulantibus, vt nulla possit tergiuersatione celari, si contra talem admissionem, aliqua fiat oppositio. Item, quando dubitatur de illa; facilè tamen & per iuridicas, breues, & faciles inquisitiones, potest illa verificari: negligitur tamen, vel transgressio palliatur, à cæteris electionibus, ipso facto priuato fauentibus, & perfunctoriè*

*tantùm*

*tantùm in tali inquisitione se habentibus, quo nihil facilius iniquo Iudici. Denique, Superiorem talem electionem confirmantem, dùm pro illa annullanda, seu nulla declaranda recurritur, teneri in conscientia diligenter examinare, an scienter non admittendi fuerint admissi; an protestatio de illis excludendis, ore tenus, nō corde, facta fuerit in fraudem legis: an debita, & possibilis diligentia sit facta, ad verificandas priuationes quæ Capitulo proponantur: an illæ, contra ius sint palliatæ, & sim. & si aliquem huiusmodi defectum Canonicum substantialem repererit, electionem inde sequutam irritare, & annallare, seu irritam, & nullam declarare.*

NEC VALET DICERE, *tempus Capituli, non esse tempus processuum, sed electionum. Cum hac enim futili responsione, admitteretur publicus Clerici percussor ad actus Capitulares, si vel minima fingeretur difficultas, in tali percussione verificanda; pro quo non est valdè sudandum: sufficeret enim negatio delinquentis, cum illa frigida responsione. Sanè in Capitulo 5. Valent. 3. ostenditur euidentissimè, tempus legitimationis Capituli, esse tempus talium processuum; cùm ibi, accusatis duobus vocalibus de admissione quarundam puellarum in claustra Conuentus ad instantiā Vicarij & Seniorum eiusdem Conuentus Valentinensis, etsi*

*non essent de Corpore Capituli, illorum causa sex Patribus Gener. commissa fuerit,* Vt diligenter viderent, testes examinarent, factum comprobarent, & Capitulo referrent. *Vnde tali facto comprobato, accusati, iudicati sunt à Capitulo, non debere admitti ad actus capitulares, &* Ab illustrissimo Præside sententia publicata, *intellige declaratoria,* ab omnibus actis Capituli Generalis exclusi.

## *Pœnitentiæ.*

*Graues, vt imponenda.*

Vbicunque in Correctorio agitur de quorumcumque delinquentium incarceratione, suspensione, depositione, aut priuatione: Intelligatur huiusmodi, primitùs semper fraternis ac discretis monitionibus, habitóque Seniorum consensu. Nisi fortè super aliquo quatuor Votorum, aut alio graui casu, vel scandalo, rationabiliter legitiméque conuicti fuerint ipsi delinquentes. *Cor.* 23.

*Graues casus de quibus fit mentio in hoc statuto, sunt illi omnes, ad quorum punitionem, in Correctorio dicitur imponenda grauis aliqua pœnitentia,* ipso facto; *vel,* statim. *Vt cùm dicitur Cor.* 38. Si quis introierit in Monasteriorum Monialium interiores officinas, si Prælatus sit, ipso facto ab Officio deponatur.

natur. *num.* 39. Si quis intra Conuentus Ordinis, permiserit ingredi quascumque mulieres, præter, &c. si talis Prælatus sit, statim ab Officio deponatur. *& num.* 69. *vbi, Prælati eligentes in Superiorem, non habentem triennium professionis, ipso facto ab Officio deponendi dicuntur, & sic de aliis. Particulæ enim,* ipso facto, *&*, statim, *manifestè excludunt omnem monitionis necessitatem: nec apponuntur in Correctorio, nisi in delictis magni momenti, licèt non in omnibus: neque enim apponitur Cor.* 76. *in priuatione Magisterij gradum assumentis, quam tamen statim esse imponendam nullus ambigit, & patet in c.* 5. *Val.* 10. *Certè, tali gradu suscepto, sera nimis, immò prorsùs inutilis esset monitio quælibet; & sic tanta transgressio maneret impunita, quod humilis, vt pius Legislator, non intendit.*

Caueatur, ne ipsi Correctores, Professis coram Nouitiis pœnitentias iniungant: nec ipsos Professos astringant culpas suas dicere, extra secretum Capitulum Professorum: nisi vbi tales Professi coram Nouitiis publicè deliquissent. Si quis autem contrarium fecerit, vna feria sexta comedat panem, & aquam duntaxat. *Cor.* 67. *Pœnitentia corã Nouitiis.*

Localibus Correctoribus eorúmque Capitulis, *Corã Superioribus Prælatis.*

Capitulis, in præsentia Generalis, aut alicuius Vigilum, vel Prouincialium, aut suorum Vicesgerentium, absque Superioris ipsorum Prælatorum ibidem præsentis licentia; carceres, aut alias pœnas graues, cuiquam imponere non licebit: nec pœnitentias tam in Correctorio taxatas, quàm non taxatas: sed ipsi Superiori Prælato inibi præsenti, talia primitùs intiment. Et indè, ipsius Superioris, suorúmque Sociorum sententiæ relinquent, exceptis Votorum pœnis. Si quis verò Localium Correctorum, contra præsentem ordinationem aliquem incarcerauerit, seu incarcerari fecerit; ipsemet personaliter incarceretur: paríque pœna plectatur, qua plecti meruerat taliter delinquens: vel per Superiores Prælatos grauiùs puniatur. Quod verò dictum est de Localibus Correctoribus, in præsentia Superiorum Prçlatorum; intelligendũ est de Prouincialibus, in alicuius Vigilũ præsentia: & de Vigilibus, ac omnib⁹ ipsis inferioribus, in Generalis præsẽtia. *Ibid.* 105.

*Potestas Prælat. super pœnitẽtias.* Super cunctis pœnitentiis, tàm in Correctorio taxatis quàm non taxatis, habeant Prælati plenariam iurisdictionem; tam illas imponendi, quàm ab eis (de

Socio

Sociorum ſuorum conſilio) delinquentes liberandi, ac pœnitentias ipſas augendi, & minuendi. *Ibid. Vide*, Collega.

*Diximus verbo*, Iudicare, *huius ſtatuti verba, & alia ſimilia, non dare facultatem Prælatis, vt ad libitum quaſcumque voluerint pœnitentias, ſubditis delinquentibus imponant; vel ipſos ab eis eximant: ſed requirere iudicium prudentis viri. Et confirmatur, quia aliàs iniuſtitiæ præberent aditum. Quis enim dicat, abſque iuſtitiæ detrimento, ſilentium, v. g. frangenti, à Prælato infligi poſſe priuationẽ vtriuſque vocis? Ideò, in ſtatuto præcedẽti dicitur, à Prælatis imponendas, vel non imponendas, augendas, vel minuendas pœnitentias, non ad libitum, ſed* de Sociorum conſilio: *quia ſcilicet Prælatus cum Sociis prudenter debet ponderare, an imponenda ſit pœnitentia, an non; an augenda, an minuenda, attentis circunſtantiis, hic & nũc, loci ſcilicet, tẽporis, perſonæ, & ſimilibus. Itẽ, Cor. 36. violatoribus Caſtitatis pœnitẽtia taxata, augẽda eſſe dicitur, provt Generali, Vigili, vel Prouinciali, cũ ſuis Sociis*, ſecundũ Deũ meliùs expedire videbitur: *non autẽ ad merũ illorũ beneplacitũ. Item ib. 78. punitio promotorũ ad ſacros Ordines ſine licẽtia, provt Superiori* ſecũdùm Deũ expedire videbitur. *Et ibid. 79. pœnitentia prædicantiũ & cõfeſſiones audiẽtium*

*ſine*

*ſine licentia, prout alicui Superiorum Prælatorum*, meliùs fieri videbitur.

*Cæterùm, quod dicitur de habendo Sociorum conſilio, intelligendum eſt de pœnitentiis grauibus, vt etiam ex numeri præallati ſtatuti Correctorij titulo, & contextu colligitur; & ratio ipſa dictat. Quis enim putat Superiori conſulendos eſſe Socios, ſeu Seniores, pro leui pœnitentia, panis, & aquæ, v. g. Clerico imponenda, ſiue pro commiſſo leui delicto, ſiue cauſa mortificationis?*

MAIOR EST DIFFICVLTAS, *Vtrùm ad imponendas, vel relaxandas, augendas, vel minuendas pœnitentias graues, requiratur non ſolùm* conſilium, *ſed etiam* aſſenſus *Sociorum. Et quidem Paſſarellus in Scholiis ex Barchin. num.* 17. *reſolutiuè negat: & colligit exinde, Superiorum Socios, Officiorum illorum haudquaquam eſſe comparticipes.* PRIMO, *quia Socij non concurrunt cum Prælato ad iudicandum tanquam Iudices, quia ſecundùm Correctorium, nullam ſpecialem auctoritatem, neque præeminentiam habent: imò ſi quam vſurpant, priuantur voce: ſunt enim merè ſubditi obedientiæ ſuorum Prælatorum, ſicut cæteri fratres.* SECVNDO, *quia non etiam concurrunt vt participes Officij, ſicut concurrit Coadiutor cum Epiſcopo, ob eaſdem rationes: ſed ſolùm*

*lùm vt consiliarij, quia de ipsorum consilio tenentur Prælati negotia definire: sed de iure est, quòd qui tenetur consilium petere, non tenetur sequi.* TERTIO, *quia Correctorium non requirit assensum Sociorum, in materia Votorum: nec in casibus grauibus: nec in punctis in Regula insertis, & in Correctorio non specificatis, vt patet ex superiori statuto, & sequenti; sed tantùm consilium. His non obstantibus,*

DICO, *ad imponendas, vel relaxandas, augendas, vel minuendas pœnitentias graues, extra Votorum infractionem, & grauium scandalorum pœnas, requiri non solùm consilium; sed etiam assensum Sociorum: ideóque Socios comparticipes esse Officiorum suorum Prælatorum.* PROBATVR I. *ex Correctorio, num.* II. *vbi dicitur Superiorum Prælatorum esse*, deliberare vnà cum suis Sociis, *super Correctoris facta à Capitulo Locali; sicut est Capituli Generalis, vel Prouincialis, deliberare super depositione Superiorum Prælatorum; vt habes verbo*, Depositi. *Ergo non est solius Superioris Prælati, sed etiam Sociorum, super hac materia deliberare, hoc est illam definire & diiudicare; sicut non est solius Generalis deliberare super depositione Prouincialis, sed omnium qui intersunt Generali Capitulo.*

PROBATVR I. *expressè ex eodem Correctorio,*

*rectorio, num.23.vbi dicitur, nullum à Prælato esse incarcerandum, suspendendum, deponendum aut priuandum, nisi* habito Seniorum consensu.*vt habes verbo*, Collega.

PROBATVR 3.*ex eodẽ Correct. n.*105.*præallato, vbi localibus Correctoribus prohibetur, pœnas graues imponere in præsentia alicuius Superiorum Prælatorum, ipso inconsulto: & subditur, quòd huiusmodi pœnitentias imponendas*, ipsius Superioris, suorúmque Sociorum sententiæ relinquent; exceptis Votorum pœnis. *Ergo pœnis huiusmodi exceptis, Sociorum est, sicut & Prælatorum, sententiam ferre super aliis quibuscumque pœnis grauibus imponendis: ideóque in illis procedere, non vt Consiliarij solùm, sed vt Iudices. Ergo requiritur eorumdem assensus.*

PROBATVR 4. *quia si Prælatorum Socij essent tantùm consiliarij, & non Iudices; ita vt eorum consilium solùm requireretur, non autem assensus; sequeretur Prælatum negotia quælibet se solo posse definire, etiam contra omnium suorum Sociorum opinionem, quam sequi non tenetur ex ipso Passarello. At hoc est directè contra statutum, c.4.Valent.*41.*quod habes verbo*, Discordia, *confirmatum in cap.* 1. *Barch.* 17. *in quo statuitur, quod in differentiis inter quoscumque Prælatos & eorum Socios subortis, vbi*

vbi vnanimiter contradicerent dictorum Prælatorum Socij, stetur definitioni factæ per Capitulum Locale: non autem factæ per Prælatum, nisi in casu quo vnus Sociorum concordaret cum Prælato, tunc enim præualeret ratione dignitatis. Sanè miror Passarellum hanc rationem non ponderasse.

DICES, ex illo statuto sequi, Socios Prælatorum non esse Iudices, sed tantùm consiliarios; cum tametsi contradicant omnes Socij, non ideò illorum standum sit definitioni, sed ad Capitulum Locale recurrendum. RESPONDEO, illos esse Iudices, sed cum hac modificatione ad Capitulum Locale recurrendi in prædicto casu, apposita non solùm à Capitulis præcitatis, sed à Beato Patre in Correctorio, num. 97. vt explicant dicta Capitula. Quamuis, vt aperiam quod sentio, statutum illud Correctorij videatur intelligi debere, de discordiis inter Prælatos, & eorum Socios subortis, extraiudicialiter: v.g. quando tres Socij vnanimiter contradicunt, ne Prælatus ad aliquem scribat; quod in prædicto statuto Correctorij exprimitur: non autem de subortis in negotio aliquo diiudicando. Si enim Prælati opinioni aduersentur tres Socij cum illo iudicantes, cur illorum non stabitur sententiæ? Respondeamus obiectis in contrarium.

AD PRIMVM, respondeo, negando Socios

*cios non concurrere cum Prælato ad iudicandum tanquam Iudices: contrarium enim manifestè patet ex prædictis. Nec obstat quod sint merè subditi, & quod nullam habeant auctoritatem, & præeminentiam, sed nec habere debeant, vt habes verbo,* Primogenitura: *hæc enim vera sunt quando sumuntur sigillatim, non autem quando cum aliquo Prælato Religionis diiudicant negotia: tunc enim negari non potest, illos saltem habere quandam auctoritatem. Præterea, vocales Capituli Localis, ad quos, Prælatos remittit Correctorium in statuto præallato, in casu differentiæ ipsorum, & omnes eorum Socios respectiuè; sunt merè illorum subditi, nullam habent, aut habere possunt auctoritatem, & præeminentiam maiorem quàm Prælatorum Socij: & tamen in casu dictæ differentiæ definiendæ capitulariter, procedunt tanquam veri Iudices, vt patet. Sic & Prælatorum Socij quilibet, in definiendis cum Prælatis collegialiter, & in vnum collecti, negotia Religionis.*

AD SECVNDVM, *patet ex prædictis, Socios Prælatorum non concurrere solùm cum ipsis vt concurrunt Consiliarij, sed etiam tanquam Iudices: ideóque vt comparticipes Officij.*

AD TERTIVM, *respondeo negando Correctorium non requirere assensum Sociorum*

*in*

*in casibus grauibus: nec in punctis in Regula insertis, & in Correctorio non specificatis. Contrarium enim manifestè patet, quò ad casus graues, ex expresso, & formali textu Correctorij 23. allato probatione 2. Item, quò ad pœnitentias in Correctorio non specificatas, vt euidenter etiam patet ex statuto Correctorij 105 sub hoc titulo allato: vbi dicitur, Correctorem pœnas graues non debere suis imponere subditis in præsentia Superiorum Prælatorum; sed illas debere relinquere*, Superioris suorúmque Sociorum sententiæ. *Non dicit Sociorum consilio, sed sententiæ; quod suprà expendimus. Deinde subditur, hoc etiam intelligendum esse, de omnibus pœnitentiis tam taxatis in Correctorio, quàm non taxatis. Ergo illæ omnes pœnitentiæ, saltem graues, sunt relinquendæ, Superiorum suorùmque Sociorum sententiæ. Nec obstat quòd subdatur statim, Prælatos super illis omnibus pœnitentiis, habere plenariam iurisdictionem, tam illas imponendi, quàm ab eis ( de Sociorum suorum consilio ) delinquentes liberandi; ac pœnitentias ipsas augendi, & minuendi. Ibi enim,* consilium, *sumitur pro sententia, & assensu: aliàs in eodem statuto manifesta reperiretur contradictio: ex vi enim priorum verborum illius, ad imponendas pœnitentias graues requireretur sententia Sociorum: ex vi autem verborum posteriorum,*

*riorum, sufficeret consilium. Quod euidentiùs comprobatur, ex præcitato statuto Correctorij, num.23. vbi expressè ad pœnitentias graues imponendas requiritur* assensus Sociorum. *Et euidentissimè, sublatis penitùs quibuscumque difficultatibus, demonstratur; ex hoc, quod in Regula F. num. 50. dicitur, non licere Correctori Conuentum exire,* Nisi de Capituli scientia, & ASSENSV Seniorum. *In Correctorio verò num.* 112. *habetur;* De Capituli scientia, & Seniorum CONSILIO. *Ex quibus patet, Beatum Patrem, consilium pro assensu & sententia sumere. Et confirmatur potentissimè, quia in eodem Correctorio, num. 72. ordinatur Correctori, vt non omittat capitulare consilium, vbi & quando idipsum haberi expedierit: in casibus scilicet quos afferemus, verbo,* Seniores. *Ex quibus omnibus & singulis, patet manifestissimè, in illis non solùm requiri capitulare consilium, quatenus condistinguitur ab assensu, & sententia; sed etiam quatenus cum illis identificatur. Dicitur enim in R. F. 8. Oblatos posse Officia minora exercere,* Iuxta Capituli Localis Ordinationem. *Et num.24. subueniendum esse Fratribus,* Per Correctoris & Capituli Localis Ordinationem. *Item, Cor. 50. non licere Superioribus Prælatis Conuentus alicuius bona transferre, &c.* Absque speciali consensu

ſenſu Correctoris, & Capituli Conuentus: *& ſic de cæteris.*

*Quo ad Votorum pœnas, ſeu pœnas Votorum transgreſſionibus taxatas; admitto ad illas non requiri Sociorum aſſenſum, vel ſententiam. Sed nec etiam Prælatorum, vt patet ex prædicto ſtatuto Correctorij 105. Quod nihil eſt aliud, quàm tales pœnitentias non eſſe imponendas ad Prælatorum, & Sociorum arbitrium; ſed rigorosè, pro vt taxatæ ſunt in Correctorio. Ideò Cor. 107. prohibetur Prælatis, ſuper alicuius quatuor Votorum fractione quempiam remiſsè punire: vel citiùs quàm in Correctorio decernitur, aliquem de carceribus liberare: vt habetur, verbo,* Vota.

Si quis contra quoſcumque punctos Regulæ, in Correctorio non ſpecificatos, offenderit: iuxta ſui delicti grauitatem, & exigentiam, proprij ſui Superioris arbitrio, puniatur. *Cor. 124. Et hoc ſtatutum, in ſenſu præcedentis intelligendum.*

Publicæ pœnitentiæ in Correctorio taxatæ, pro publicis duntaxat culpis imponantur. *Ibid. 115.* *Publica.*

Pœnitentias humiliter ſuſcipere ſtudeat vnuſquiſque, cum ſibi per Superiores ſuos, propriis exigentibus delictis, iniungentur: quatenus illæ meritoriæ ſibi *Vt ſuſcipienda.*

sint ad salutem. *Ibid. Vide*, Defectus. Prælati.Punitio.

*Præcepta.*

*Dei, & Ecclesiæ.* Huius Ordinis Minimorum vniuersi Fratres, Sorores, & Fideles vtriusque sexus; decem mandata Diuina, & Ecclesiæ Præcepta, salubriter obseruent. *R.F. R.S. R.V.S.* 1. *Vide*, Statuta.

*Prædicatores.*

*A quibus assignãdi.* In suis officiis non ordinentur, & confirmentur; nisi per huius Ordinis Generalem Correctorem, aut per Vigiles, vel Prouinciales, aut illorum Vicesgerentes: idoneitate ac sufficientia prouidè consideratis. *R.F.*42.

*Non assignatorũ pœna.* Si quis verò sine speciali alicuius prædictorum approbatione prædicauerit, ad huiusmodi Officium per biennium non assumatur: vel grauiùs puniatur, pro vt alicui dictorum Prælatorum meliùs fieri videbitur. *Cor.*79.

*Residentia:* Cùm quis huius Ordinis Prædicator, alicubi pluribus diebus ordinariè, ac subsequutiuè prædicare habuerit: locum sibi congruum, & honestum ibidem procurari faciat, vbi sine discursu pacificè residere valeat. *Conuiuia non frequentẽt.* Et quoniam tutius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conui

uiuij: ad ſecularium conuiuia, niſi raro; & tunc ab huiuſmodi inuitatus, accedere deuitet Prædicator. Si quis autem contrarium fecerit, per aliquem Superiorum Prælatorum, iuxta delicti exigentiam puniatur. *Ibid.* 80.

*Contrav. pœna.*

Cuilibet Prædicatorum, diuturnæ prædicationis tempore durante, vbi licitè fieri poterit, dentur fideles ſocij, ſaltem tres; vel plures, aut pauciores, iuxta facultatem cuiuſlibet loci: quorum ſaltem vnus, ſemper cum Prædicatore maneat, ad ſibi benignè ſuccurrendum. Reliqui verò, ſi Confeſſores fuerint, in Eccleſia, vel aliis in locis, ſecularium confeſsiones audire poterunt. *Ibid.* 81.

*Prædicatorum. Socij.*

Prædicatores, ſuarum Prædicationum tempore, in audiendis cōfeſſionibus quorumcumque de hoc Ordine non exiſtentium, rariſſimè ſe occupent. Non tamen, tunc, per quoſcumque Prælatos, ſeu Superiores, ad hoc ipſum peragendum aſtringantur. *Ibid.* 82.

*Confeſſiones rarò audiant.*

Adhuc ſtudentes, poſſunt de licentia Superiorum, eleemoſynas à ſuis auditoribus largitas, in neceſſitatum ſuarum ſolutionem conuertere: dummodo nō prædicent in oppidis, in quibus Conuentus

*Eleemoſyna ſtudentium.*

ſolent facere quæſtas. *cap.* 1. *Bonon.* 18. *c.* 1. *Valent.* 25. *Vide*, Paupertatis Votum.

*Prælati.*

*Honorificè recipiendi.* Huius Ordinis Generalem, & Vigiles, ac Prouinciales, cùm ad Conuentus aliquos diuerterint; illorum Fratres reuerenter ſuſcipiant; & illis debitum honorem humiliter impendant. *R.F.* 38.

infrà.

*Qui ſint.* Vbicumque in Correctorio fit mentio, de huius Ordinis Superioribus Prælatis; intelligendum eſt, de Generali Correctore, ac de propriis Vigilibus, & Prouincialibus. *Cor.* 11.

*Verùm*, in Iure, *Prælati nomine, veniunt particularium Eccleſiarum Rectores, Priores, &c. Ideóque & Correctores, in Extrauaganti*, Ambitioſæ, *de reb. Eccl. non alien. vbi alienantibus ſuorum beneficiorum bona*, ſi Pontificali, vel Abbatiali dignitate præfulgeant, *ingreſſus Eccleſiæ interdicitur, &c. Poſteà ſubditur;* Inferiores verò Prælati, commendatarij, & aliarum Eccleſiarum Rectores, beneficia, vel adminiſtrationem quomodolibet obtinentes Prioratibus, Præpoſituris, &c. ſecularibus, & Regularibus beneficiis, quorum res & bona alienarunt duntaxat, ipſo facto priuati exiſtant. *At, quinam ſunt Prælati inferiores Abbatibus, niſi*

*Priores?*

*Priores? Quod si Priores sunt Prælati, sunt & Guardiani, Correctores, Rectores, & similes. Qui apud Regulares, Prælati inferiores Episcopis, seu habentibus potestatem, & iurisdictionem quasi Episcopalem, quales sunt Generales, & Prouinciales, nisi Conuentuum particularium Superiores prænominati? Qui apud nos inferiores Prælati, nisi Correctores Locales; cùm ex statuto præcedenti, Generalis, Vigiles, & Prouinciales, sint Prælati Superiores?*

*Adde, Paulum V. in Bulla, quæ incipit,* Admonemur, *contra impetrantes fauores via de hoc Ordine non existentium, dicere:* Dilectis filiis Correctori Generali, ac Prouincialibus, & reliquis Ordinis Fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum Prælatis. *Qui proculdubio sunt Correctores, quos certum est æquè respicere prohibitionem talis Bullæ, de qua, verbo,* Litteræ, *ac Generales, & Prouinciales.*

In Capitulis Generalibus, *Prælati nomine venit etiam Corrector Localis. Vt cùm dicitur in Capitulo Malachitano 6.* Si Prælati studium destruxerint, si talis Corrector Localis fuerit, admoneatur, &c. *Item cùm dicitur in c. 1. Genu. 8. & Paulit.* 27 Singuli Fratres & Sacerdotes, in die Cœnæ Domini, sacram Eucharistiam sumant de

manu Prælati. *Quod vbique, & à singulis fieri non posset, si nomine Prælati non veniret Corrector. Alij enim Superiores, eodem die non sunt in singulis Conuentibus, de quibus loquitur statutum istud; vt etiam docet praxis.*

In Regula *etiam, Correctores vocantur Prælati, num. 43. vbi dicitur*, Sacrista, *&c.* eligantur per Correctorem, *&c.* vel per alios Superiores Prælatos, *&c. Non dicit, per Prælatos simpliciter; nec per Superiores Prælatos; sed, per alios Superiores Prælatos; hoc est, per alios Prælatos, qui scilicet sunt Superiores. Illud autem*, alios, *cùm sit relatiuum, supponit Correctores, de quibus facta fuerat mentio, verè etiam Prælatos esse. Simili argumento, sic concludit D. Augustinus, tractatu 74. in Ioannem.* Quod ait, Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis: ostendit & seipsum esse Paraclitum.

*Et certè, Sororum Correctrices, expressè Prælatæ vocantur in ipsarum Regula num. 28. vbi hæc habentur.* Nulla Sororum, in Prælatarum, seu Correctricum electione vocem habeat, nisi, &c. *Cur non ergo, & Correctores Prælati vocabuntur, cùm Correctrices multò minorem respectiuè potestatem & iurisdictionem habeant, quàm Correctores? cúmque eiusdem Generalis, & Prouincialis Obedientiæ subdantur.*

ADDE

ADDE, *statutum de quo hîc, dicere quidem per Superiores Prælatos intelligi Generales, Vigiles, & Prouinciales; non vbique, sed in Correctorio: de Regula, vel Cæremoniis nullam mentionẽ faciens. Vnde, ex illo non potest argui, in Regula & Cæremoniis Correctores nõ esse Prælatos.*

*Denique* in ipsomet Correctorio, *Prælati nomine Correctores insigniuntur: vt cùm dicitur, num. 53. vbi determinatur punitio cibos Paschales in Conuentum intromittentium:* Si quis contra præsentem ordinationem fecerit, si Prælatus sit huiusmodi, ab officio suspendatur, & incarceretur; quovsque secùs ordinetur per huius Ordinis Generalem, aut per proprium Vigilem, vel Prouincialem. Si autem subditus sit, &c. *At, quis est iste Prælatus sub Prouinciali, cuius transgressio à Prouinciali debet examinari, & puniri, nisi Corrector Localis?*

*Præterea, num. 69. dicitur;* Quicumque elegerint Superiores ante triẽnalem terminum, *&c.* Si taliter eligentes Prælati existant, ipso facto ab Officio deponantur. Fratres verò subditi similiter offendentes, voce Capitulari, *&c. Vbi Prælatis manifestè opponuntur merè subditi: sicut etiam num. 35. 51. 53. 97. & alibi sæpè. Ex quibus constat, illos omnes qui non sunt merè*

*subditi*

*ſubditi eſſe Prælatos, ideóque, & Correctores.*

ADDE 1. *quod aliàs in hoc ſtatuto Correctorij 69. (eadem eſt ratio de aliis mox citatis) imponerentur pœnæ Prælatis Superioribus, & etiam ſimpliciter ſubditis, eligentibus ineligibiles: nullæ verò Correctoribus ſimiliter delinquentibus, quod nullo fundamento, vel etiam probabilitate nititur: maximè cùm Corrector æquè deponi mereatur in illo caſu, ac Prælatus Superior: cúmque ſubditus quilibet incapax ſit depoſitionis, vnde nec illi eſt iniuncta in hoc ſtatuto de quo agimus.*

ADDE 2. *nomine ſimpliciter ſubditi, non venire Correctorem Localem, ſicut nec Prouincialem, licet vterque ſubditus ſit, reſpectu ſui Superioris. Quod neruoſiùs corroboratur ex Regula num. 39. (vt alios multos omittam) vbi triennium profeſſionis non habentes, arcentur ab electione Superiorum: quod debere intelligi etiam de electione Correctorum Localium, nullus ambigit. Inſuper, Cor. 82. Prælati & Superioris nomina, vt ſynonyma vſurpantur cùm dicitur:* Prædicatores, per quoſcumque Prælatos, ſeu Superiores, ad hoc peragendum non aſtringantur. *Vbi, ſeu, ſignificat*, id eſt: *ſicut in R. F. num. 16. cùm dicitur,* Laïci ſeu Conuerſi: *& in R. S. num. 28. vbi habetur,* Nulla in Prælatarum, ſeu Correctricum

rectricũ electione vocem habeat, nisi, &c. *Que otiã modo Cor.35. dicitur.* Si Prælatus, seu Localis Corrector culpabilis inueniatur, alicui Superiorum Prælatorum puniendus reseruetur. *Agitur enim in hoc numero, de modo sedandi discordiam inter Prælatum, qui Correctoris nomine explicatur, & subditum. In numero autem 97. de eadem sedanda inter quemcumque Prælatum, & eius Socios: vbi etiam Prælati nomine venit Corrector, aliàs de illo nihil statueretur in tali casu, quod tamen necessitas exigit.*

*Item, facta mentione de Superioribus Prælatis, Cor.66. & de Correctoribus ibid.67. sequenti num.68. dicitur;* Si aliquando per supradictos Prælatos cuiquam foret imposita disciplina, illam manu propria suscipiat ipse delinquens. *At hoc etiam habere locum in imposita à Correctore Locali, non est dubium, licet alibi non statuatur: maximè cùm statim pænitentia imponatur, primò Correctoribus Localibus; posteà Prælatis Superioribus contrafacientibus.*

*Rursus, ibid. 76. Gradum Magisterij suscipienti, taxatur pænitentia perpetuæ priuationis,* ab omni Prælationis Officio. *At quis dicat, talem in Correctorem Localem posse eligi? Quod si non potest ex vi statuti huius (neque enim*

*enim aliud de hac materia reperitur) ergo Prælationis nomine venit Correctoriatus: ergo Prælati nomine venit etiam Corrector.*

*Denique ibidem* 87.*dicitur Correctores posse excommunicare, quod solis Prælatis competit, cap.* Cùm ab Ecclesiarum Prælatis, *de Officio Iudicis, adiuncta Glossa; cum qua Nauar. in Manuali, cap.* 27.*num.* 5. *Non autem simplicibus Parochis, ex Tridentino sess.* 25. *cap.* 3. *Parochi enim habent solam iurisdictionem in foro interiori, non autem in exteriori. Priores verò, ideóque & Correctores, habent vtramque, vt patet; & notat Auila de censuris, p.*2 *c.*1.*disp.* 1.*dub.*2.

NEC OBSTAT *statutum Cor.* 11. *de quo agimus: illud enim dicit quidem, Generalem, Vigiles, & Prouinciales, in Correctorio dici Prælatos Superiores: non negat tamen, Correctores simpliciter esse Prælatos, Prælati enim sunt, sed Inferiores, vt ostendimus. Vndè, nunquam in tribus Regulis, Correctorio, vel Cæremoniis reperitur; Generalem, Vigiles, aut Prouinciales vocari Prælatos simpliciter; sed semper,* Superiores Prælatos: *ad distinctionem* Inferiorum, *qui sunt Correctores Locales: vel saltem facta priùs mentione de Superioribus Prælatis, posteà subditur,* præmemorati Prælati, prædicti, *vel quid æquiualens; quo explicatur mentionem fieri*

*fieri de Superioribus Prælatis.Nec obſtat quòd in eodem Correctorio, n.78. dicatur ;* Si quis abſque Localis Correctoris, & ſui Capituli licentia, ſe aliquando promoueri fecerit ad Ordines ſacros ; aut etiam ad Preſbyteratus Ordinem, abſque alicuius Prælatorum licentia,&c. *vbi Prælati nomen, abſolutè Superiores alios à Locali Correctore ſignificat. Non obſtat, inquam ; primò cùm ſit ſermo de Prælatis aliis à Correctore Locali, manifeſtum eſt mentionem fieri de Prælatis Superioribus, abſque alia expreſſione. Deinde, verba illa,* ad Preſbyteratus Ordinē, abſque alicuius Prælatorum licentia, &c. *intelligenda ſunt ad exigentiam verborum antecedentium : ex quibus numero immediatè præcedenti, expreſſè conſtat, ad ſuſcipiendum Presbyteratus Ordinem, requiri licentiam* Superiorum Prælatorum, vel ſuorum Viceſgerentium. *Sicque, dicere nullum eſſe promouendum ad Ordinem Preſbyteratus abſque alicuius Prælatorum licentia, idem eſt ac dicere, talem promotionem non debere fieri abſque licentia Prælatorum, non quorumcumque, ſed quorum eſſe illam dare conſtat ex præcedentibus, id eſt, Superiorum Prælatorum. In ſimili ſenſu dicitur 1. Petri 4. nos debere eſſe* hoſpitales inuicem : *non enim vult Apoſtolus, ſine diſcrimine oportere omnes ab*

*omnibus*

*omnibus hoſpitio recipi: ſic enim, diuites à penitùs nihil habentibus eſſent hoſpitio recipiendi; quod & abſurdum eſt, & impoßibile. Sed ſolùm vult, diuites, ſeu illos qui poſſunt, debere inopes hoſpitio recipere. Eodem modo ſumenda ſunt verba Cor. 86. vbi dicitur, quatuor Votorum abſolutionē reſeruari Fratribus* à quolibet Prælatorum deputatis pro ſpecialibus Confeſſoribus: *quod manifeſtum eſt intelligi debere de Prælatis, quorum eſt Confeſſores deputare: ideóque de Superioribus Prælatis, non autem de Inferioribus, ex numero 85. immediatè præcedenti.*

Quando Corrector Generalis, ac Vigiles, & Prouinciales, ſuíque Viceſgerentes, ad huius Ordinis Conuentus diuerterint; in primis pulſetur Capituli campana, & debitè recipiantur. Primò, Corrector Generalis, in prima ianua cuiuſlibet Conuentus; ſumma cum reuerentia, cum cruce, & aqua benedicta, ſuſcipiatur à Locali Correctore; ſingulis Fratribus locum ipſum inhabitantibus, eidem illuc vſque proceſſionaliter obuiam venientibus. Vigiles verò, abſque vlla proceſſione, omni cum honore, recipiantur in prima Eccleſiæ porta. Prouinciales autem & ſui Viceſgerentes, etiam abſque aliqua

aliqua proceſſione, ſimpliciter ſuſcipiantur, in ianua Chori Eccleſiæ cuiuſlibet Conuentus. Prænominati verò Prælati, ſuíque Viceſgerentes, taliter ſuſcepti; illos ſic recipientes, humiliter benedicant. Si quis autem contrarium fecerit, & dictos Superiores Prælatos, aut eorum Viceſgerentes, ita recipere neglexerit; ſemel pro qualibet vice, in terra comedat panem & aquam duntaxat. Inſuper, præmemorati Prælati in Monaſterium taliter introducti, iuxta cuiuſlibet loci facultatem, benignè tractentur: & velut ardentes lucernæ, omnibus lucis exempla præbere conentur. *Cor.* 61.

*Fratres benedicant.*

*Contrau. pœna.*

*Vt tractandi.*

*Exemplũ illorum.*

*Non potuit diſtinctiùs deſignari, qualiter eſſent recipiendi ſinguli Superiores Prælati. Et tamen, cùm expreſſè dicatur in hoc ſtatuto, Prouinciales recipiendos eſſe in ianua Chori Eccleſiæ, ídque abſque aliqua proceſſione: adhibetur modo Proceſſio in illorum receptione, in qua, & illis Proceſſionaliter obuiam itur, etiam extra Eccleſiam. Adhibetur & Thuribulum fumigans, in receptione Generalis. Quæ nullo ſtatuto firmata, ſenſim à variis introducta fuere. Adhibebunt proculdubio paucos poſt dies, Baldachinum; qui Superiorum captare ſolent auram, ſi qui ſint, niſi obſtet hodierni Generalis humili-*

 *tas;*

*tas; cuius vsque in diem hanc ( dictis absit adulationis virus ) nec sermone solo, sed opere, non pauca dedit argumenta, tota Religione teste.*

*Præscriptis Beati Patris Fräcisci, standum nobis esse concludo: cum afflatus Diuino Spiritu, non solùm Regulam, sed etiam Correctorium nobis dederit. Prælatorum nostrorum honorificæ receptioni, nihil voluit detrahere: sed ipsos semper Minimos, non Pontifices, esse meminit.*

Quo ad receptionem Correctorum, *cùm primùm ad Conuentus suorum Correctoriatuum veniunt, nihil decreuit Beatus Pater: petendam illam iudicans, proportione facta, à Superiorum Prælatorum receptione. Adeò tamen neglecta fuit aliquibus in partibus; vt maiori cum solemnitate, in Officij sui possessionem veniat apparitor, quàm Corrector. Laudabilis & imitanda per vniuersam Religionem, consuetudo immemorabilis Prouinciarum totius ferè Galliæ: in quibus, veniente Correctore nouiter electo, & in Prouinciali, seu Intermedio Capitulo confirmato; de mandato sui prædecessoris, (Correctoris Officium adhuc exercentis, donec ipsi constet iuridicè, de electione & confirmatione alterius Correctoris ) ad sonum campanellæ, Fratres omnes Conuentus in Capitulo congregantur. Sedet Corrector veteranus in Correctoris sede. Articulum electionum, & confirmationum Correcto-*

*rum*

*rum legi mandat, in nouissimo Prouinciali, seu intermedio Capitulo contentum. Cúmque nominatur electus & confirmatus in Conuentu in quo hæc fiunt, surgit è sede Correctoris dictus Corrector veteranus: assurgit nouiter electo, & confirmato: illum in sede collocat, & veneratur genuflexus: quod & post illum, sigillatim Conuentus Fratres singuli qui sunt in eodem Capitulo, suo ordine faciunt. Et sic Iuridicè, & honorificè, Corrector in Officij sui possessionem mittitur.*

Si aliquando, sathanica procurante versutia, aliqui huius Ordinis Prælati, etiam ipse Corrector Generalis, ac Vigiles transcenderent huius Ordinis Regulæ ordinationum limites, seu terminum ipsis Prælatis inibi præfixum, etiamsi fortè aliquando super hoc Apostolicas litteras obtinerent: ipso facto, vniuersos eiusdem Ordinis Fratres, præsentes ac futuros, ex nunc ab eorum Obedientia penitùs absoluimus, & eximimus: ac illis de cætero Obedire, plenaria nostra auctoritate expresse inhibemus: & ad nouam electionem statim procedendum fore decernimus. *Cor.* 110. *Vide*, Pœnitentiæ. Superiores. *Transcẽdẽtes officij limites.*

*Per Ordinis Regulæ Ordinationum limites,*

*idem debet intelligi, quod per terminum ipsis Prælatis inibi præfixum: ita vt, vnum per aliud explicetur; & particula,* seu, *idem sit,* ac, id est. *Constat enim ex ipso Correctorio, ob singulas statutorum Regulæ transgreßiones, Prælatos nostros non esse ipso facto ab Officio depositos; nec statim debere Religiosos, ab illorum exemptos Obedientia, ad alias electiones procedere. Quia, præter quàm quòd hoc esset nimis durum, in infractionibus parui momenti, respectu tantæ pœnæ, quam Capitulum 1. Bonon. 15. vocat,* Vltimum terribilium; *Correctorium paßim leuiores pœnas eisdem Prælatis aßignat, quibus à Superioribus, vel eorundem Prælatorum Capitulis puniri debent, si Regulæ statuta transgrediantur. Imò, priuationes, seu depositiones Votorum violatoribus taxatæ, non sunt latæ sententiæ, sed comminatoriæ: non impositæ ipso facto, sed imponendæ. Adde, quod hoc statutum de quo agimus, aliter intellectum, maximas confusiones pareret; & subditorum aduersus Superiores, Superiorum aduersus subditos altercationes: si ob infractionem silentij, v.g. contra statuta Regulæ, Officium Prælati vacaret, & subditi ab illius obedientia exempti censerentur: quod mitem & pacificum Patrem intendisse, prorsus est incredibile.*

*Intelligatur ergo statutum, de Prælatis, ita*

*(Sathanica*

*(Sathanica procurante versutia) transcendentibus huius Ordinis Regulæ ordinationum limites, vt transcendant terminum ipsis Prælatis inibi præfixum: quod etiam indicat verbum* transcendendi, *quo Beatus Pater vsus est, non autem verbo transgrediendi: primum enim nimiam ascensionem indicat, non secundum. Itaque*

*Taliter transcendentibus statuta Regulæ, obedientiam denegare non solùm possumus, sed debemus: obedire enim magis oportet Deo, in Beato Patre nobis loquenti; quàm hominibus nimis alta sapientibus: quibus de cætero obedire*, plenaria sua auctoritate, *quæ est Dei*, eo ipso, & expressè, *nobis inhibet humilis Legislator. Idque, etiamsi fortè aliquando super hoc literas Apostolicas obtinerent: quas subreptitias fore, proculdubio existimat, iuxta ea quæ diximus, verbo*, Breuia Apostolica, *& verbo*, Laïci: *nec motu proprio emanatas à Pontifice Maximo, sed ad instantiam ab humilitate Minimitana deuiantium, obtentas: ideo dicit*, obtinerent.

*Cæterùm, si Summus Pontifex, motu proprio, & ex certa scientia, statueret vt Prælati transcẽderent ipsis in Regula præfixum terminum, obtemperandum foret (vt ibidem etiam diximus) donec humiliter expositis Sanctitati*

*ipſius præſcriptio Regulæ, & rationibus in contrarium, ſi quæ eſſent, ad priſtinum ſtatum dignaretur cuncta reducere. Sic Sixtus V. transtulit celebrationem Capituli Generalis ad diem S. Pentecoſtes. Sic Paulus V. idem Capitulum de ſexennio in ſexennium celebrandum fore decreuit, vt diximus, verbo,* Capitulum Generale : *ſicque Generalatum ad ſexennium protraxit, vt diximus in* Serie Generalium, *in Generali 33. Quæ omnia ſunt in vſu. Certè, primum, prædicationes RR. PP. Prouincialium prædicantium per Quadrageſimam: duo verò poſteriora, non dicam paupertas, ſed dilatata valdè Religionis amplitudo, à nobis manifeſtè exigunt.*

*Delinquentiū punitio.* Superiores Prælati, ſi deliquerint, in ſequentibus eorum Capitulis puniantur. *R. F.* 21. *Cor.* 63. *Vide*, Generalis.

*Præſes*

Capituli Generalis, eligendus eſt, vel cùm nulla eſt electio Generalis, vel cùm
1520. abſens eligitur. *c. Pariſ* 6. *c. Gratian.* 9. *c.* 1. *Val.*
1529. 14. *c.* 5. *Val.* 10. *c.* 4. *Val.* 25. in quo vltimo hoc
1541. extat ſtatutum: in aliis, praxis. Ita tamen,
1562. vt in 1. & 3. Valent. per ſcrutinium, in Prę-
1571. ſidem electus fuerit Generalis præteritus, abſente Generali nouiter electo. *Vide*, Capitulum Prouinciale.

*Prandium.*

*Prandium.*

*Vide*, Refectorium.

*Primogenitura.*

Vbique ordinatè ſedeant Nouitij, iuxta receptionis ſuæ tempus debitum, & vniuſcuiuſque gradum: putà, Preſbyteri cum Presbyteris, ſuo Religionis ordine, immediatè poſt vltimum Sacerdotem profeſſum: deindè, Diaconi cum Diaconis: poſteà, Subdiaconi cum Subdiaconis: & poſtmodum cæteri, ſuo ingreſſionis ordine. *Cor.* 18. *Nouitiorum.*

Nouitij Choro deputati, debent præcedere Fratres Laïcos profeſſos, in proceſſionibus, & vbique; etiamſi non ſint ſacris Ordinibus initiati. *c. Maſſil.* 40. *1611.*

Quoniam iuſtum eſt, & rationabile, vnumquemque iuxta receptionis ſuæ locum & ſtatum, gradúmque ſedere, & loqui: quilibet in hoc Ordine expreſsè profeſſus, de negotiis palàm propoſitis, ſuo gradu, & ordine ſecundùm Deum loquatur. *Ibid.* 30. *Profeſſorum.*

Seniores, ſuis in locis Religionis ordine ſedeant, abſque vlla præeminentia. Si quis verò ipſorum Seniorum contrarium fecerit, & aliquam ſibi præeminentiam vſurpauerit, ſex menſibus priuetur actiua *Collegarum.*

 & paſ

& passiua vocibus: vel grauiùs puniatur, pro vt Superiori secundùm Deum videbitur. *Ibid.* 84. *Vide*, Socij Prælatorum.

*Lectorũ.* Ipsi etiam Lectores ordinarij, sui Minimi nominis reminiscentes, ad sublimia nequaquam tendant: sed humilis professionis suæ sedem humiliter retineant. Pariformiter faciant, quantumcumque literati viri, ad hunc Ordinem Minimorum vndecumque venientes: ac in eo iam recepti, etiam expresse professi, in suo receptionis loco simpliciter sedentes. Neque alicui etiam præstantissimo viro, sic stare molestum sit: cùm Rex gloriæ, sic pro nobis vermiculis, in puluere humiliter sederit. Si quis autem contrarium fecerit, & præter Ordinis ingressus locum, cæteros præcesserit; locum suum perpetuò teneat, immediatè post vltimum Fratrem professum, iuxta sibi concessum statum, ordinem & gradum. *Ibid.* 85.

*Litteratorum.*

*Omnium.* In Choro, Capitulis, mensa, & vbique, hoc ordine sedere debent nostri Ordinis Religiosi, iuxta ordinationem R. D. Cardinalis Senogaliensis, Capituli Præsidis. Post Generalem, Vigiles, quando erunt creati. Post Vigiles, Prouinciales. Post Prouinciales, Locales Correctores. Post

Corre

Correctores, Sacerdotes. Postea, Clerici. Deinde, Conuersi, seu Laïci. Denique, Oblati. Singuli autem non Superiores, secundùm ordinem suæ professionis. Quo etiam ordine, in Capitulis vocem dare debent capitulantes. *c.1.Rom 9.* 1507.

Primogenitura computanda est à die professionis, non à die sumptionis habitus. *c.1.Valent.*12.*c.1.Barchin.*28. Imò, etiam si professio facta sit, ante tempus à Regula institutum. *Eodem c.Barch.ibid.* *A quo die computanda.* 1541. 1581.

Priuati Primogenitura, non possunt quandiu sunt priuati, promoueri ad dignitates Ordinis. *c.4.Valent.*17. *Illa priuati.* 1571.

Primogenitura Prouinciarum, sumenda est ab earum constitutione. *cap. 1. Barchin.*25. *Prouinciarum.* 1581.

Conuentuum verò, ex acceptatione eorum, à Capitulo Generali, vel Prouinciali. *c.2.Auen.*12. *Conuentuum.* 1599.

SED QVID, *si Conuentus priùs acceptatus à Capitulo Prouinciali, posteriùs acceptetur à Capitulo Generali? quod sæpiùs fuisse factum aduerti, in disponenda Serie Conuentuum huius Ordinis; sed non semper; cùm mei non fuerit instituti, Conuentuum acceptationes in Capitulis Prouincialibus factas inuestigare.* RESPONDEO, *Conuentum priùs accepta-*

*tùm à Capitulo Prouinciali, licèt posteriùs à Generali, gaudere debere primogenitura. Tùm quia, nullum est statutum quo statuatur Conuentus acceptari debere à Capitulo Generali, vt constat ex dictis verbo*, Conuentus. *Tùm, quia sunt quamplurimi, antiqui, post obitum B. Francisci de Paula; & noui, quorum acceptatio non reperitur in Capitulis Generalibus (vt patet ex eadem Conuentuum Serie) qui non ideò nouißimis in iisdem Capitulis Generalibus acceptatis postponuntur, nec postponendi existimantur. Tùm denique, quia statutum de quo hîc, declarat illum debere gaudere primogenitura, qui priùs fuit acceptatus à Capitulo Generali, vel Prouinciali; hoc est, ab aliquo Capitulo, modo illud sit Generale, vel Prouinciale.*

*Priuationes.*

*Electionũ tempore.* Licèt non sint faciendæ electionum tempore, nisi in casu quo aliquis fuisset electus non canonicè; sub pœna nullitatis eorum omnium, quæ indè sequerentur. *c.4.Valent.*28. Reiici tamen possunt ab

1571. electionibus, reiiciendi. Sic in *c. Paris.* 2. & 3. examinata fuit causa trium Collegarum depositorum, & cõclusum illos non rectè fuisse depositos, ideóque Officio esse restituendos: alios verò qui eorum loco suffecti fuerant, non esse admittendos

dos ad actus Capitulares. Et in *c.* 5. *Valent.* 3. ad instantiam Vicarij, & Seniorũ Conuentus Valentiæ, *licet non essent de Corpore Capituli*, sex Patribus, duobus scilicet ex qualibet Natione, remissa fuit causa vnius Collegæ Generalis, & vnius Commissi, vt diligenter viderent, testes examinarent, factum comprobarent, & Capitulo referrent. Ad quorum relationem, eò quòd dicti Collega & Commissus, puellas in Conuentus claustrum introduxissent, ad Capitulum non fuerunt admissi. Immò, ab Illustrissimo D. Archiepiscopo Capituli Præside, prolata sententia, *intellige declaratoria*, ab eo exclusi fuêre. *Vide*, Pœnæ.

*Priuatus*

Voce actiua, non debet electionibus interesse, nec aliis negotiis in Capitulo tractandis. *cap.* 5. *Genu.* 17. *Vide*, Primogenitura.

*Priuilegia.*

Ordinatum fuit, vt procuraretur confirmatio Priuilegiorum à Christianissimo Galliarum Rege nobis concessorũ, sumptibus omnium Prouinciarum Galliæ. Quodque claues capsæ, in qua conseruantur dicta Priuilegia, in quatuor Conuentibus

*Nobis à Rege Galliarũ concessorum.*

uentibus Prouinciæ Turoniæ, videlicet Turonensi, Ambasiensi, Genabensi, & Montis-Gaugerij, intra capsam quatuor clauium teneantur. Quas claues, ad Generalis, vel Prouincialis mandatum, Correctores illorum Conuentuum; vel, si fuerint legitimè impediti, alij Fratres illorum loco, per Capitulum ad hoc electi, deferre habeant. Sine quorum præsentia, & Sociorum Prouincialis, ipsemet Pro-
1539. uincialis non præsumat aperire. *c.* 1. *Bon.* 26. *Vide*, Tridentinum Concilium.

*Processiones.*

Tenemur facere diebus singulis Ro-
1550. gationum. *c.* 2. *Valent.* 20.

*Processans.*

*Per monopoliū, seu litteris subreptitiis.*

Superiores, vel Fratres, & subreptitios processus faciens; seu litteras testimoniales, manibus quorundam Fratrum subscriptas, procurans: non aduertens quòd sicut sententia à non suo Iudice lata non tenet; ità quæcumque acta sunt à non suo Iudice, esse nulla ipso facto, absque alia declaratione: processus, seu litteræ, per eos taliter factæ, sint ipso iure nul-
1571. læ, & irritæ. Inhibentes Superioribus, ne

ne vigore illarum litterarum, vel processuum quidquam iudicent. *c.* 4. *Valent.* 44. 1571.

*Processus.*

Attendentes Patres, finem seruationis processuum, vltra infamiam Fratrum, fieri ad incutiendum timorem processatis; vt deinceps, non quæ velint faciant: ordinauerunt, quòd si processus non fuerint à Superioribus, elapso tempore suorum Officiorum, iudicati & puniti; & quovis quæsito colore reseruati; à successoribus non iudicentur, neque puniantur: & de illis nulla habeatur ratio. Sed potiùs puniantur Superiores, qui eos sic iniudicatos & impunitos seruauerunt. Mandantes, vt post notitiam huius statuti, quicumque aliquos processus secum habuerit, siue Superior, siue subditus sit, teneatur illos comburere: aliàs, legitimè conuictus, ad instantiam partis puniatur. *c.* 5. *Genu.* 6. 1584.

*Ad quid seruatur.*

*Quando pro nullis habētur.*

Infrà.

Processus, in quantum fieri potest, finire debent Prouinciales, in suis Visitationibus. Quòd si non possunt, consignentur Generali, vel eius Vicario, tempore Visitationis. Aliàs si per fraudem occultati fuerint, vel denegati; vt timore quodam pœnæ Fratres attonitos teneant, nullius

*Finiendi.*

*Quando pro nullis habētur.*

*Occultãtium, & retinentium pœna.* nullius roboris sint. Item, nulli liceat, conclusos, & integrè perfectos processus, vel eorum exemplaria retinere, sub pœna priuationis vtriusque vocis per
1599. triennium.*c.2.Auen.23.*

Prohibetur Fratribus sub pœna excommunicationis, seruare quoscumque processus, vel copiam & memorialia, contra suos Prælatos, vel Fratres, de rebus iam
*Vbi & cur seruandi.* iudicatis. Hæc enim, vt & Visitationes, seruari debent in archiuo, quod in qualibet Prouincia fieri debet, quo ad Visitationes Prouinciales: vel in archiuo Conuentus Sanctæ Trinitatis in camera Patris Zelosi, quo ad Generales; finito Officio tam Generalis, quàm Prouincialis, ídque pro bono pacis. Possent enim accusari Fratres de eo quod non est in processu, quod vertitur in
*Quando comburendi.* perniciem honoris. Quando autem Fratres fuerint mortui, comburi debent eorum processus.
*Archiui claues.* Cæterùm, prædicti Archiui claues habebũt, vnam Generalis, aliam Zelosus, aliam Corrector Sanctissimæ Trinitatis, aliam Corrector Sancti Andreæ. Sícque, suo modo, poterit Prouincialis diuidere claues Archiui suæ Pro-
1617. uinciæ.*c.6.Rom.14.*

*Procurator Nationis.*

Decreuerunt Patres, vt pro commoditate Prouinciarum Italiæ, perpetuis futuris temporibus teneatur R. P. Generalis, vnum ex Fratribus Prouinciæ Neapolitanæ, quem maluerit, constituere Procuratorem pro expediendis negotiis dictarum Prouinciarum Neapoli occurrentibus: qui & in Conuentu Neapolitano residebit, in loco tamen suæ professionis, & obedientiæ Prouincialis solùm subiicietur, modò à præfato Conuentu non amoueatur, nisi ratione scandali, si ab eo perpetraretur. Teneatur autem Prouincialis, illi socium assignare, ordinarium, vel extraordinarium. *cap.* 4. *Valent.* 58. *Neapoli.* 1571.

Parisiis, debet esse vnus Procurator pro Gallia: alius Madriti pro Hispania: sumptibus Prouinciarum suæ Nationis, quo ad necessaria. *c.* 1. *Auen.* 19. *Parisiis.* *Madriti.* 1578.

*Professi alterius Ordinis.*

Non possunt recipi in nostro à Prouincialibus, sine assensu Generalis in scriptis; sub pœna priuationis Officij. *c.* 1. *Gen.* 13. *c. Paulit.* 33. *c.* 6. *Genu.* 24. *Vt recipiendi.* 1531. 1535. 1596.

Possunt esse Superiores in nostro Ordine, post triennium professionis. *cap.* *Possunt præfici.*

6. *Ge*

1596. 1606. *6.Genuensi 24.cap.7.Genuensi 16.*

*Nec obstat Regula num. 39. vbi statuitur, quòd nullus præficiatur, etiam post triennium professionis,* demptis solis Presbyteris tantùm in hoc Ordine professis. *Ponenda est enim virgula post* tantùm; *ita vt sensus sit, demptis tantùm solis Presbyteris in hoc Ordine professis; non autem, demptis Presbyteris in hoc Ordine tantùm professis. Licèt autem in priori sensu, particula,* tantùm, *superabundare videatur; addita tamen fuit, ad magis inculcandam Sacerdotij necessitatem: si tamen Scriptoris, vel Typographi non irrepsit inaduertentia. Cæterùm, præallatum statutum Regulæ, in sensu quem attulimus intelligi debere, manifestè declarat praxis & consuetudo, quæ est optima legum interpres, cap.*Cùm dilectus, *de consuet. Nam, etiam in cap. 1. Religionis, electus fuit in primum Generalem, sicut & sæpiùs in Capitulis subsequentibus, Reuerendissimus Pater Franciscus Binet, quondam Prior, ideóque Professus, Maioris Monasterij apud Turones, Ordinis Sancti Benedicti, nunquam tamen ab aliquo, vel leuiter obiecta fuit illi professio, in alio Ordine emissa.*

*Professio.*

*Quando emittẽda*

Elapso continuæ probationis anno, & non antea; quacumque dispensatione

Supe

Superioribus huius Ordinis super hoc penitùs interdicta; Nouitij, seu Nouitiæ, si à Fratribus, seu Sororibus professis, & potissimum ab Informatore suo, seu Informatrice sua, bonum testimonium habuerint, ad professionem recipi poterũt. Ipsi verò taliter recepti, seu ipsæ taliter receptæ, in statu Professionis suæ perpetuò remaneant. *R.F.3.R.S.4.*

*In illius statu perseuerandum.*

*Forma autem Professionis, hæc est.*

*Forma professionis Fratrum.*

Ego Frater N. Voueo, & promitto Deo omnipotenti, B. Mariæ V. ac toti Curiæ cœlesti, & tibi Patri, huícque Sancto Ordini; stare & perdurare toto tempore vitæ meæ, sub vita & Regula Fratrum Ordinis Minimorum, S. Francisci de Paula, per S. D. N. Iulium II. post fœlicis recordationis Alexandrum VI. Romanos Pontifices, approbata, & confirmata: perseueranter viuendo sub VOTIS PAVPERTATIS, CASTITATIS, OBEDIENTIÆ, & QVADRAGESIMALIS VITÆ: iuxta determinationes & circunstantias, in ipsa Regula positas & limitatas. Huius verò Ordinis Oblati (& etiam Oblatæ. R.S.12.) vltra dictã professionem subiungant hãc clausulam. Et vlteriùs promitto fidelitatẽ eidem

Ordini seruare, & eiusdem Ordinis eleemosynas fideliter exponere. *Cor.* 18.

*Sororum.* *Eodem modo, mutatis mutandis, profiteri debent Sorores. Ita declarauit R.D. Cardinalis Bernardinus tit. Sanctæ Crucis, Ordinis olim Protector, iuxta determinationem S.D. Iulij Papæ II. vt patet ex Bulla super approbatione Coronæ nostræ, &c. quæ incipit,* Vniuersitati. *Data Romæ anno* 1507. 18. *Aprilis.*

*Cæterùm quando aliquis Frater, vel aliqua Soror emittit professionem, debet se subscribere professioni, ad faciendam fidem, & apponere diem, mensem, & annum, quo fit professio, ad effectum sciendi suæ primogenituræ tempus.*

*Forma autem Professionis Fratrum, & Sororum Regulæ vtriusque sexus, hæc esse debet, vt eadem auctoritate declarauit idem Protector, in Bulla præcitata.*

*Tertiariorum.* Ego N. promitto Deo omnipotenti, totique Curiæ cœlesti, & tibi Patri, mores meos, ac vitam meam in melius emendare, & Ordinis Minimorum vtriusque sexus fidelium Regulæ, per S. D. N. Iulium Papam II. confirmatæ, salutifera præcepta pro posse obseruare, & Fratri Francisco de Paula, suisque successoribus, eiusdem Ordinis Minimorum Generalibus

neralibus Correctoribus pro tēpore existentibus obedire: necnon prædictæ Regulæ salubribus consiliis, ac monitis me conformare, & prædicti Ordinis honorem & vtilitatem fideliter procurare.

*Proprietarij.*

*Vide*, Paupertatis Votum.

*Protector.*

Vt Regula & Correctorium meliùs obseruentur, petatur à D. N. Papa vnus de sacrosancto Reuerendissimorum Cardinalium Collegio: qui huius paruulæ Religionis Zelosus Protector, benignus amator, peruigilque custos existat. Et quidquam, quod huius sacræ vitæ, ac Regulæ puritatem eneruet, aut pœnitentiæ robur euertat, nullatenus admittat. *R.F.* 54. *Ad quid impetrādus.*

Ne importunis Fratrum precibus infestetur Reuerendissimus Protector, statutum fuit, per triennium inhabiles ad quemlibet Superioratum reddi, quicumque ad illum rehabilitationis causa confugerint. Eadem pœna toto triennio plectantur, qui huiusmodi rehabilitationis clādestinos Procuratores elegerint. Prohibetúrque Zeloso, ne quenquam per R. Protectorem rehabilitari volentem, ad-

mittat: nulliúsque, propria ope, & auxilio,
1559. rehabilitationem procuret. *c.* 3. *Gen*, 30.

*Quæ per eum impetranda.* Prohibetur ob eandem causam, per viam R. Protectoris aliquid impetrare, quod sit contra tenorem Bullæ Gregorij XI. confirmatæ à Sixto IV. in hoc Capitulo publicatæ, & acceptatæ: sub pœnis in eadem Bulla contentis, ipso facto, absque alia declaratione incurrendis. *c.* 4.
1571. *Valent.* 55. *Vide*, Prouincialis.

*Hanc Bullam referunt Passarellus, & Roderigues in Bullario in Sixto IV. sub his verbis.*

## SIXTVS EPISCOPVS
### Seruus Seruorum Dei.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Motiua Constitutionis huius.* SACRA Minorum Religio, quæ agrum militantis Ecclesiæ sanctis operibus, & exemplis copiosissimè fœcundat, & sapientiæ splendore Catholicam illustrat Ecclesiam; tantò vberioribus fructibus fertilior esse conspicitur, quantò in se quietior permanet & consistit: & maior promptiórque à subditis eiusdem Ordinis Fratribus suis Prælatis obedientia exhibetur, nullúsque extrinseci impedimenti perturbationibus agitatur, & molestatur, quin in ea Caput vnum sit & esse videatur, à quo omnia dictæ Religionis negotia, & causæ administrentur; & cui omnes, & singuli dicti

dicti Ordinis Fratres pareant,& illius subiaceant disciplinæ.

Dudùm siquidem Gregorius XI. prædecessor noster,cognito quòd nonnulli dicti Ordinis Protectores,dùm maiorem,quàm eis ex eiusdem Ordinis Regula conceditur, authoritatem vendicare,& vsurpare sibi ipsis voluerunt, vera subditorum præfati Ordinis ad suos Prælatos obedientia submouebatur: vndè perturbationes, inconuenientia multa, inutiles Fratrum discursus, & grauia scandala fuerant exorta,in magnam ipsius Ordinis iacturam,præiudicium,& detrimentum, litteras sequentis edidit tenoris.

1 GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cunctos Christi fideles,super quibus curam ex debito Officij Summi Pontificis gerere obligamur; per Præsidentes eisdem sic charitatiuè, sicque prouidè,ac iustè cupimus gubernari, quòd illi in viam mandatorum Domini dirigantur, & hi ex merito Præsidialis solicitudinis, vberius supernæ remunerationis præmium nanciscantur.

2 Sed hoc nimirum in illis desideramus ardentiùs,& affectuosiori studio procuramus, quorum alij à mundanis abstracti, & grauibus pœnitentiis dediti,cœlestibus inhiant; & ad illa per contemplationis pennas, suauiùs & altiùs eleuantur vt aquilæ, & cum Maria parte optima perfruuntur: alij verò sanctam solicitudinem Marthæ sectantes, celebrationi diuinorum vacant solertiùs: alij discunt, & docent Dei scientiam: & alij plebem instruunt in eadem: aliique feruentioris spiritus ardore succensi, non timentes, sed amantes *Religiosorũ virtutes, & vtilitas quanta.*

Nationes barbaras, ad illarum conuersionem pergunt intrepidi; vt valeant ad Dominicam aream multos afferre manipulos; & de talentis eis creditis, bonam Domino reddere rationem.

3 Hi profectò sunt Fratres Minorum Ordinis in Dei Ecclesia multiplicibus splendoribus radiantes, quorum sonus prædicationis & sanctitatis opera, præ cæteris Religionum professoribus, vsque ad extremum terræ noscitur exiuisse. Hi sunt quos Deus numero multiplicauit, & meritis, quibusque, sicut & aliis benecurrentibus in stadio Militantis Ecclesiæ, æternum brauium quod certatim apprehendere satagunt, elargitur. Et propterea nos de ipsis curam vigilem gerimus, vt eos in his sanctis operibus nihil impediat, nihil perturbet; sed ipsi opportuna quietis dulcedine potiantur.

4 Sanè cum in B. Francisci Regula, cuius iidem Fratres existunt, hæc verba contineantur expressè, videlicet: *Per Obedientiam ad hæc iniungo Ministris, vt petant à Domino Papa vnum de S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius fraternitatis, vt semper subditi & subiecti pedibus eiusdem S. Romanæ Ecclesiæ, stabiles in Fide Catholica, Paupertatem, & Humilitatem, & sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus*: iidem Fratres existentes pro tempore, huiusmodi Protectores dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales successiuis temporibus petierunt à Sede Apostolica, & etiam habuerunt.

5 Sed aliqui eorundem Protectorum, putantes fortè, benè, & licitè, à certis temporibus suam potestatem

testatem nimiùm extendisse dicuntur in pluribus: ex quibus in ipso Ordine graues perturbationes, & scandala sunt exorta.

6 Nos igitur, vt idem Ordo in sua primæua quiete remaneat, de virtute in virtutem eat assiduè; & quibuslibet amotis præpediis, eradicatisque spinis & tribulis, fructum non solùm consuetum, sed etiam vberiorem afferat; ad radicalem submotionem turbationum & scandalorum huiusmodi iam exortorum, & ne oriantur in posterum prouidere, ac eiusdem Ordinis Protectoribus, qui erunt pro tempore (cùm nullus sit ad præsens Ordinis præfati Protector) transgressionis suæ potestatis occasionem tollere, efficaci remedio cupientes; Authoritate Apostolica eisdem Protectoribus districtiùs inhibemus, ne præsumant quæcumque ordinata, statuta siue disposita; aut ordinanda, statuenda, seu disponenda, per Generalia, vel Prouincialia, aut Custodialia Capitula infringere, reprobare, corrigere, suspendere, dispensare super ipsis, seu contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, nisi contra præmissos articulos in præfata Regula, vt præfertur, vel aliquem ipsorum existeret manifestè: aut quemcumque Prælatum, seu Officialem dicti Ordinis, seu alicuius loci eiusdem, quocumque nomine nuncupetur, ponere, seu instituere; aut deponere, destituere, seu priuare, aut à suo Officio suspendere, seu impedire super eius libero exercitio quovis modo: aut aliquem Fratrem Ordinis antedicti, ad lectoratum, aut quamcumque lecturam, seu studium, vel gradũ promouere, aut promotos ab eis remouere, seu etiam reuocare, aut de

*Motiua Constit. huius.*

*Declaratur E E. Protectorum authoritas.*

de loco ad locum mittere,aut mutare: siue alicui Fratrum eorundem eundi ad quodcumque Monasterium, vel locum alium, aut dominum, vel aliquam personam,licentiam impartiri.

7 Et ne insuper quemuis singularem Fratrem memorati Ordinis, de quocumque crimine, vel delicto punire,vel à pœna,seu pœnitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel immutare: aut etiam alicui Fratri locum, cameram, cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel eius vsui deputare:aut quæcumque per Prælatos eiusdem Ordinis,aut alios deputata, quomodolibet mouere: nec etiam de rebus,aut correctione Fratrum dicti Ordinis (nisi in casibus præmissis, contentis in præfata Regula,seu eorum aliquo)se aliquatenus intromittere quovis modo, ita quòd dictus Ordo,seu Fratres eiusdem Ordinis,in nullo subsint futuris Protectoribus, nisi duntaxat in casu in quo ipsorum Fratrum communitas, vel generale Capitulum(quod absit)à prædictis articulis, vel eorum aliquo deuiaret. Alioquin si secùs fecerint,id decernimus irritum & inane.

*Pœna Fratribus contrauenientibus taxata.*

8 Et nihilominus,Fratres qui contra huiusmodi inhibitionem nostram quidquam impetrabũt; seu post inhibitionem huiusmodi, vtentur etiam per alios impetratis, puniantur illis pœnis, quibus essent pro grauibus culpis secundùm statuta dicti Ordinis puniendi;& sint nihilominus actibus priuati legitimis,& à suis (si quæ habent)suspensi Officiis,ipso facto.

*Hortatio ad EE. Protectores.*

9 Cæterùm, nos eosdem futuros Protectores hortamur attentiùs, quòd per facti efficaciam sic nominis sui Officij procurent effectũ,quòd Ordo ipse

ipſe per eos non lædatur in aliquo: ſed potiùs in aduerſis (ſi quando forſitan imminebunt) ſuo opportuno defenſionis clypeo protegatur, & à noxiis præſeruetur: ſic acturi proinde, & æquitatis, ac modeſtiæ limites ſeruaturi, vt non trahatur ad noxam, quod prouiſum extitit ad ſalutem: ſed ex charitatiuis geſtis eorum, Ordo præfatus quietem & conſolationem percipiat; & Protectores magnum apud Deum præmium ſortiantur; & ſuper contrario, non oporteat dictæ Sedis prouidentiam aliud remedium adhibere.

10 Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ inhibitionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum apud Pontem Sorgiæ Auenionenſis Diœceſis 6. Kalend. Iunij, Pontificatus noſtri anno 3.

*Contrauenientium pœna.*

11 NOS autem cùm in minoribus conſtituti, ipſius Ordinis generalis nobis cura, & adminiſtratio incumberet; ſaluberrimum, & opportunum, & neceſſarium dicto Ordini eſſe conſpeximus, vt Protectores vltra præfixum terminum, ac eiuſdem Ordinis Regulæ, authoritatem non extenderent. Nam experti ſumus & vidimus, quanta pax, quies, vtilitas, quantáque commoda, præfato Ordini, ac Fratribus eiuſdem, ex firma & inconcuſſa dictarum litterarum obſeruantia proueniunt: quot & quantæ perturbationes, iacturæ, incommoda, damna & grauia ſcandala, in dicto Ordine ſuſcitata ſunt, quoties dicti Ordinis Protectores ſuæ authoritatis limites excederent: attentantes

*Conſtitutionis huius obſeruatio, quàm vtilis.*

*Violatio maximè damnoſa.*

tentantes in particularibus dicti Ordinis, & Fratrum eiuſdem cauſis, & negotiis ſe intromittere, & vſurpata ſibi authoritate ea videre, cognoſcere, iudicare, & decernere voluerunt.

12 Cupientes vt Religio & Ordo præfatus, quem affectuoſiſſima charitate complectimur, vtpote quia in eo à teneris annis enutriti, & doctrina, ac regularibus diſciplinis, & moribus inſtituti fuimus; ac vti firma fide tenemus, certiſſimíſque in nobis experimentis didicimus, ad Officia, & Dignitates ad quas in minoribus promoti fuimus, & ad hunc ipſius Summi Pontificatus apicem, meritis & precibus Seraphici illius Patriarchæ Franciſci, eiuſdem Ordinis Patris & Fundatoris, prouecti ſumus; quieto conſiſtens ſtatu, virtutibus & meritis augeatur, ac multiplicetur, ac ſolidum fundamentum ex eiuſdem Ordinis Fratrum operibus & exemplis, ſapientiæ ſplẽdore, & fructuoſis ſtudiis, & prędicationibus proueniant; promptiſſimo, & liberali animo, vt dignum cenſemus & debitum, ea quæ pro ipſius Ordinis quiete, pace, tranquillitate, & proſperitate, à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris prouidè ſtatuta & ordinata ſunt, vt illibata perdurent, noſtræ approbationis munimine ſolidamus, interpretamur, & declaramus, provt ipſius Ordinis tranquillitati conſpicimus ſalubriter expedire.

*Motiua Conſtitutionis huius.*

13 Vt igitur de cætero ipſius Profeſſoribus, omnis euagandi extra Religionem occaſio tollatur; & vera ſuis Prælatis Obedientia, in qua ipſius Religionis verius, & ſolidius firmamentum, & robur conſiſtit, exhibeatur, præfatíque Ordinis,

nis, & Fratrum eiuſdem negotia & cauſæ, non alibi, neq; per alios, quàm in ipſo Ordine, & ipſius Prælatos tractentur, agitentur, iudicẽtur, & determinentur; dilecti filij Zaneti de Vtino Generalis dicti Ordinis Miniſtri, & totius Generalis Capituli in hac parte ſupplicationibus inclinati, Inhibitionem, & Litteras prædictas prædeceſſoris præfati, authoritate Apoſtolica, præſentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus: & per eas Protectori præfato qui in tempore erit, niſi in illis caſibus, & articulis in Regula dictorum Fratrum expreſſis, & præfati prædeceſſoris litteris declaratis, neque in illis dum non vniuerſi, ſed aliqui ipſius Ordinis Profeſſores, in quovis numero à Fidei vnitate & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientia deuiarent, vel Regulam pręfatam non ſeruarent, ſe de eorumdem deuiantium, & non obſeruantium Regulam, correctione, aut reductione, ac aliis quibuſlibet cauſis, & negotiis dicti Ordinis ſe impediat, inhibitum fore, dicta authoritate decernimus & declaramus.

*Sixt. IV. approbat, & declarat Cõſt. Greg. XI.*

*Prohibitio.*

14 Hortamúrque illum, qui ad Officium Protectoris huiuſmodi (quod in præſentiarum per obitum bonæ memoriæ Beſſarionis Epiſcopi Sabinenſis, dicti Ordinis olim Protectoris, nuper vita functo, vacat) aſſumi & deputari contigerit, & ipſius ſucceſſores dicti Ordinis Protectores, ac eis in virtute S. Obedientiæ diſtrictè præcipiendo inhibemus, ne extra prædictos articulos & caſus in Regula prædicta contentos, & expreſſos; nec etiam in illis (cùm non vniuerſus Ordo, ſed aliqua ipſius pars, & ſpecialis perſona erraret)

*Hortatio.*

*Diſtrictior prohibitio.*

erraret) ipsorum Fratrum querelas audire, seu de ipsorum causis, & negotiis, contra litteras, & declarationes huiusmodi, intromittere se quoquomodo præsumant: sed curent (vti est eorum proprium officium), & præfati Sancti Francisci, & Apostolicæ Sedis intentio extitit) ipsorum Ordinem, in quieto, tranquillo, & pacifico statu conseruare, & augere: & ab impugnatoribus, molestantibus, & perturbantibus defendere, & tueri: ne secùs agendo, Ordinem præfatum non solùm non protegant, conseruent & exaltent; sed in animarum suarum perniciem, & dicti Ordinis detrimentum & scandalum, confundant, & destruant.

*RR. Protectorum Officium.*

*Cõtrauenientium pœna.*

15 Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, & declarationis infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno 1472. 4. Kal. Febr.

*Verùm, Constitutiones Clementis VIII. facultatem faciunt Eminentissimis Ordinum Regularium Protectoribus, dandi obedientiam Regularibus adeundi Romã. Et Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit,* Ex Pastoralis, *dicit Fratres ad illos posse recurrere in casu grauaminis.*

*Prouincia.*

*Prouinciarũ diuisio.*

R. Cardinalis Senogaliensis, declarauit, quòd succedente tempore, & Religione

gione cum Dei adiutorio multiplicata, Prouinciæ posſint in plures diuidi, ſingula ſingulis referendo, prout Generale Capitulum declarabit expediens. *cap.* 1. *Rom.* 10.

Prouincia in qua Capitulum Generale celebratur, primum locum obtineat, ob Capituli reuerentiam. *cap. Pariſ.* 4. *cap.* 1. *Barchin.* 25. *Prouincia celebrationis. Cap. Gen.* 1520. 1581.

Prouinciæ primogenitura, ſeu antiquitas, metiri debet ex illius Conſtitutione. *c.* 1. *Barchin.* 25. *Vide*, Conſilia noſtra, *in quibus varias enodamus difficultates, in fine huius Operis. Sequenti autem modo fuerunt ordinatæ Prouinciæ Ordinis.* *Primogenitura.* 1581.

Ad euitandam confuſionem circa ſeſſionem Prouincialium in Capitulis Generalibus, hunc ordinem ſeruandum eſſe declarant Patres. Prouincia B. P. N. Franciſci primum locum habebit. 2. Prouincia Turoniæ. 3. Meſſanæ. 4. Franciæ. 5. Genuenſis. 6. Aquitaniæ. 7. Granatenſis. 8. Neapolitana. 9. Aquileiæ. 10. Caſtellæ. 11. Calabriæ. 12. Lugdunenſis. 13. Valentiæ. 14. Tuſciæ. 15. Cataloniæ. 16. Prouencæ. 17. Campaniæ. 18. Panormitanæ. 19. Hiſpalenſis. 20. Lũbardiæ. 21. Maioricenſis. 22. Marchiæ.

23. Abru

23. Abrutiæ. 24. Aragoniæ. 25. Flandriæ. 26. Lotharingiæ. 27. Venetiarum
1617. Vicariatus. *c.6.Rom.*16.

*Primogenitura Prouinc. German.* 1519. 1523. 1629. Locum verò antiquum primogenituræ Prouinciæ Germaniæ, (id est, octauum. *c.2.Rom.*1.*c.3.Rom.*2.) eidem Prouinciæ restituère Patres. *c.3.Barch.*51.*Causam, vide infrà, in Prouincia VI.*

## *PROVINCIARVM erectiones, & diuisiones.*

IN Capitulo primo Generali, repertus fuit Ordo, in quatuor Prouincias distributus. *Per Prouincias Nationes intellige.* Videlicet, in Prouinciam Calabriæ (quæ num. 3. Italiæ dicitur) Franciæ (quæ ibidem dicitur Galliæ) Hispaniæ, & Bohe-
1507. miæ. *c.1.Rom.2.Vndè constat, quatuor illas Prouincias erectas fuisse à B.P.Francisco de Paula; à quo, vt quatuor flumina à terrestri Paradiso, sunt orta, ad irrigandum aquis spiritualibus, vniuersum terrarum orbem. Notandum est autem, tum in fauorem Almæ Prouinciæ Turonensis, tum ad omnem tollendam ambiguitatem; in lista Fratrum Prouinciæ Galliæ, in eodem c.num.4.R.D. Cardinali Senogaliensi Præsidenti exhibita, tres reperiri Galliæ Prouinciales, ideóque & tres Prouincias in ipsa Gallia. Primum, Turonensem; secundum, Franciæ; tertium, Aquitaniæ. Quod arguit, B. P. Franciscum de Paula sex Prouincias sequentes erexisse.*

I. ITALIÆ, quæ & supra Calabriæ dicitur: nunc S. FRANCISCI DE PAVLA, *c.4.Genu.9.* Primus eius Prouincialis, qui in Capitulis Generalibus

ralibus reperitur, fuit R. P. Paulus de Paterno, *c.* 1. *Rom.* 4. *De illo egimus, verbo,* Beatificatio, *& in Conuentu Paternensi.*

II. TVRONIÆ, cuius Prouincialis fuit R. P. Bartholus de Hidruncto. *c.* 1. *Rom.* 4. Hic pro Voti vitæ Quadragesimalis, & quartæ Regulæ acceptatione, mirificè certauit. *Ibid.* 6. *Sufficiat de eo dicere, illum à B. P. in Prouincialem Prouinciæ in qua ipsemet degebat, fuisse delectum.*

III. FRANCIÆ, seu PARISIENSIS, *nunc* IV. Cuius primus Prouincialis fuit R. P. Germanus Lionet, *perperàm nominatus* Vguet (*vt constat ex Actis M. SS. Conuentus Nigeonensis.*) *Ibid.* 4. Hic etiam pro eiusdem Voti, & Regulæ acceptatione admodùm pugnauit. *Ibid.* 6. *Fuit tertius Ordinis Generalis, de quo ibi.*

IV. AQVITANIÆ, *nunc* VI. Cuius Prouincialis erat R. P. Iacobus Lesprinier. *Ibid.* 4. qui pariter pro eodem Voto, & quarta Regula, miro modo certauit: vtpotè qui maxima familiaritate coniunctus fuerat cum B. P. Francisco de Paula, qui ipso vt Scriba vtebatur, ad scribendum ad Summum Pontificem, & RR. Cardinales, pro suæ Religionis confirmatione, vt in huiusmodi negotiis experto. *Ibid.* 6. Vndè & electus fuit primus totius Ordinis Zelosus. *Ibid.* 22.

V. HISPANIÆ, *nunc* VII. & dicitur GRANATENSIS. Cuius Prouincialis erat R. P. Marcialis de Vicinis, *Gallus. ibid.* 4. Qui supplens pro Correctore Malachæ, dixit ex parte sua, & omnium Fratrum Hispaniæ à quibus fuerat missus, vt constabat per litteras patentes, se Vouisse quatuor Vota, & Votum Quadragesimalis vitæ

vt le

velle tenere, secundùm quartam Regulam, quam suscepit in omnibus, & per omnia, & rogauit ab omnibus suscipi. *Ibid.* 6. Hic fuit postea Prouincialis Aquitaniæ. *c.* 1. *Bonon* 30 *& Generalis, de quo vide Generalem VII.*

VI. GERMANIÆ, seu BOEMIÆ, *nunc* VIII. cuius Prouincialis fuit R. P. Dionysius Barbier. *Gallus. Ibid.* 4. Qui & Votum vitæ Quadragesimalis, & quartam Regulam, cum modificatione tamen Correctorij, tam pro se, quàm pro Fratribus in Germania degẽtibus, acceptauit. *Ibid.* 6. Hic posteà ex Prouinciali Franciæ, electus fuit in Zelosum, *c. Tholos.* Et ex Zeloso, Collega Generalis. *c.* 2. *Rom.* 4. *Cæterùm, diuisis Prouinciis, Genuæ primò, posteà Messanæ, à Prouincia quæ nunc Sancti Francisci dicitur, vt mox videbimus*; Messanensi tertius locus est assignatus, Genuensi quintus, Ger-
1517. maniæ octauus, *c.* 2. *Rom.* 1. *Hæc vltima Prouincia, hæreticorum feritate perierat. Restituta verò fuit nostris temporibus, zelo, scientia, & prudentia R. P. Francisci Richardi Comitatus Burgundiæ prædicatoris facundi: qui apud Serenissimum Imperatorem Ferdinandum II. Serenissimum Bauariæ Ducem Romani Imperij Electorem, aliósque Principes, benè admodùm audiebat. Hic, antiquis Conuentibus recuperatis, quamplurimos nouos, eósque magnificos adiunxit: vt constat ex c.* 3. *Barch. sess.* 5. *à num.* 45. *ad* 50. *& ex Serie Conuentuum huius Prouinciæ, cuius fuit primus Vicarius Generalis, primúsque Commissus ad Capitulum Generale destinatus.* Hanc denuo in Prouinciam erexit, S. D. Vrbanus VIII. *c.* 3. *Barch.* 45. assignans ei in Prouincialem, R. P. Antonium à Sancto Blasio, *Italum, vt patet ex subscriptione PP. eiusdem*

*dem Capit.* Primogenituræ huius Prouinciæ locum antiquum, id est, VIII ipsi restituêre Patres, quia culpa Religiosorum Prouincia deperdita non fuerat, sed hæreticorum prauitate diruta: Religiosis in ea degentibus, aut crudeli manu occisis, aut in exilium amandatis. *Ibid.* 51.

VII. GENVÆ, *nunc* V. diuisa fuit à Prouincia *Sancti Francisci, quæ ibi dicitur* Romana, à Reuerendissimo Cardin. Senogaliensi. *Ibid.* 10. *Primum Prouincialem non reperi.*

VIII. MESSANÆ, quæ Romana ibidem dicitur, & in c. 2. Rom. 2. Neapolitana, quia tunc Conuentus circa Romam & Neapolim continebat. *cap.* 1. *Rom.* 10. *nunc* III. diuisa fuit ab eadem Prouincia *Sancti Francisci* (*quæ ibidem, &* Calabri, *&* Apuliæ *nominatur*; quia etiam tunc, totam Calabriam, & Apuliam comprehendebat. *Ibid.*) ab eodem R.D. Card. Senogaliensi. *Ibid.* 17. Primus eius Prouincialis ab eodem etiã R.D. Card. delectus, fuit R. P. Paulus de Paterno, *de quo supra*; qui vtriusque Prouinciæ ante ipsius diuisionem Prouincialis erat. *c.* 1. *Rom.* 17. Prouinciæ verò Calabriæ, seu Sancti Francisci, idem R. Cardin. Prouincialem assignauit R. P. Bernardinum de Cropulatu, *à B. P. valdè dilectum, ipsius Confessorem, & ab ipso* Vicarium Generalem *totius Ordinis, vsque ad proximum Generale Capitulum ante obitum constitutum. Ibid. De hoc Patre vitæ sanctæ, & columbinæ, agimus in Conuentu I. Neapolitano.* Facta autem fuit ista diuisio, ad petitionem eiusdem R. Patris, vt Italia & Gallia pares essent in dandis vocibus in electione Generalis. *Ibid.* *Quod illum solius Iustitiæ, non ambitionis propriæ, vel Na-*

*tionis Zelo, fecisse credo: cùm inter tot vota huc illuc dispersa, votum suum dederit R. P. Francisco Binet Gallo: qui de facto à pluralitate fuit electus in Generalem, vt patet ibid. num 20. Nec mireris dictum R. P. Binet non illi votum suum dedisse, sed R. P. Iacobo Lesprinier. Hoc enim ideò fecit, vel quia idem R. P. Bernardinus, mox pro regenda Prouincia Calabriæ à Reuerendissimo Cardin. Prouincialis fuerat destinatus: vel quia dictum R. P. Lesprinier aptiorem iudicabat, intuitu illorum, quæ de eo diximus in Prouincia Aquitaniæ.*

IX. NEAPOLITANA, quæ Terræ laboris ibi dicitur, diuisa fuit à Prouincia Calabriæ,
1535. *nunc Sancti Francisci. cap. Paulit.* 14. Primus eius Prouincialis, fuit R. P. Franciscus de Vano. *cap.* 1. *Bonon.* 3.

X. APVLIÆ, diuisa etiam fuit à Prouincia Calabriæ. *cap. Paulit.* 14. Primus eius Prouincialis, fuit R. P. Hieronymus Sammarchus. *cap.* 1. *Bonon. in Patrum subscriptione.* Hæc Prouincia, Neapolitanæ fuit vnita, ad petitionem Patrum vtriusque, quia commodè per se stare non poterat. *cap.* 2. *Valent.* 9. Deinde, cùm hæc vnio votis
1553. non succederet, separata fuit denuo *cap.* 2. *Genu.* 7. Primus Prouincialis, fuit R. P. Franciscus de Monopoli. *c.* 2. *Foroiul. in subscriptione Patrum.*

XI. CASTELLÆ, diuisa fuit à Granatensi,
1535. quæ ibi Andalosiæ dicitur. *cap. Paulit.* 14. Primus eius Prouincialis, fuit R. P. Ioannes Lusitanus Portuensis. *c.* 1. *Bonon.* 3.

XII. CALABRIÆ superioris, diuisa fuit
1571. à Prouincia Calabriæ inferioris. *cap.* 4. *Valent.* 10. Primus eius Prouincialis, fuit R. P. Augustinus de Arexona.

Arexona. *Ibid.* 59. Ordinatum autem fuit, vt Prouincia inferioris Calabriæ, deinceps diceretur S. Francisci: superioris verò, simpliciter, Calabriæ. *c.* 4. *Genu.* 9.

XIII. LVGDVNENSIS, diuisa fuit à Prouincia Aquitaniæ. *c.* 4. *Valent.* 11. Primus eius Prouincialis, fuit R. P. Ioannes Segnoret. *Ibid.* 59. Hic, fuit etiam, saltem bis, Prouincialis Aquitaniæ: vt patet ex subscriptione Patrum. *c.* 1. *Barch. cap.* 5. *Valent.*

XIV. VALENTINENSIS, diuisa fuit à Prouincia Castellæ, datúsque ei titulus Prouinciæ Aragoniæ. *c.* 4. *Genu.* 24. Primus eius Prouin- 1574.
cialis, fuit R.P. Gabriel Hispanus. *Ibid.* 39.

XV. TVSCIÆ, diuisa fuit à Genuensi, quæ ibi *contra primam impositionem nominum Prouinciarum, in c.* 1. *Rom.* 10. *perperàm* Lumbardiæ *dicitur, vt & alibi sæpè, eò quòd Lumbardiam tunc comprehenderet. c.* 1. *Barch.* 24. Primus eius Prouin- 1588.
cialis, fuit R.P. Matthæus à Machia. *c.* 5. *Genu. in subscriptione Patrum.*

XVI. CATALONIÆ, diuisa fuit à Valentinensi, quæ hîc Aragoniæ dicitur. *Ibid.* Eidem tamen revnita. *c.* 5. *Valent.* 25. Et vt rursus diuideretur, remissum fuit Reuerendissimo, & ipsius Collegis. *c. Massil.* 57. *quod si quando factum fuerit,* 1611.
*sicut & eius primum Prouincialem, non reperi. Vide,* Consilia nostra.

XVII. PROVENCÆ, diuisa fuerat à Prouincia Aquitaniæ, constans ex solis Conuentibus Gratianopolitano, & Foroiuliensi, & decimus ei locus assignatus. *c. Paulit.* 14. 15. Ad instantiam tamen Patrum illius, ob Conuentuum paucitatem,

Aquitaniæ fuit revnita. *c.1. Bonon.32.* Tandem à Lugdunẽsi fuit diuisa, ad instantiam R.P. Ioannis
1596. Francisci, Commissi Lugdunensis. *cap.6. Genu.11. Hic, est R.P. Ioannes Franciscus de Binans, Anglus, deuotissimus, & zelantissimus Prædicator, hæreticorum malleus: qui anno 1605. electus fuit in meritissimum Prouinciæ huius Prouincialem: cuius ego sum, vel indignus, filius in eadem Prouincia primogenitus. Viri huius Diuini amoris igne flagrantis, & cœlestibus iisque continuis meditationibus addicti: Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ (quam me docuit) Professoris, vitam, virtutes, & merita non vulgaria, vide eleganter descripta, in Histor. generali Ordinis, l.3.* Prouinciæ huius primus Prouincialis, fuit R. P. Hieronymus Durandus. *Ibid.26. circa finem sui Prouincialatus, in totius Ordinis Generalem assumptus. De quo vide Generalem XXXI.*

XVIII. Campaniæ, diuisa fuit à Parisiensi. *Ibid.* 12. Primus eius Prouincialis, fuit R. P. Ioseph le Tellier. *Ibid.26. Fuerat & hic antea totius Ordinis Generalis vigilantissimus, & quarto Prouincialatu Prouinciæ Franciæ meritissimè functus, obiit in Conuentu I. Parisiensi, die 4. Nouemb. 1613. De quo vide Generalem XXV.*

XIX. Panormitana, diuisa fuit à Messanensi. *Ibid.* 12. Primus eius Prouincialis, fuit R.P. Michaël à Messana. *Ibid.*26.

XX. Hispalensis, diuisa fuit à Granatensi, quæ & suprà Andalosiæ, & hîc Betica dicitur. *c.1. Barchin.24. Eidem fuit revnita; quo autem tempore; non reperi.* Denique ab eadem diuisa, remanentibus sigillis vtriusque Prouinciæ, quando erant vnitæ, in Granatensi, vt in antiquiori.

c.2.

c. 2. *Auen.* 5. Primus illius secundò diuisæ Prouincialis, fuit R.P. Hieronymus Agasai. *Ibid.* 28. 1599.

XXI. LVMBARDIÆ, diuisa fuit à Genuensi. *cap.* 2. *Barchin.* 13. Qui in vtraque erat Prouincialis, remãsit Prouincialis Lumbardiæ. *Ib.* 27. 1602.

XXII. MAIORICENSIS, diuisa fuit à Valentinensi. *Ibid.* 13. Primus eius Prouincialis, fuit R.P. Simon Palafius. *Ibid.* 27.

XXIII. LAVRETANA, *Ex Prouinciis Marchiæ & Abrutiæ constans; quarum erectiones, vel diuisiones, in Capitulis Generalibus non reperi; sed solùm illarum nomina, in cap. 6. Rom. 16. vbi eis 22. & 23. locus inter Prouincias assignatur. Fuerunt autem vnitæ, ab Eminentissimo Hippolyto Cardinali Aldobrandino Ordinis Protectore, & à Reuerendissimo P. Ægidio Camart Correctore Generali, quibus remissum fuerat negotium istud, in c. 7. Rom. sessione* 10. *Vndè, in cap.* 3. *Barch. cui Patres omnes ad vnum subscripserunt, propter causam de qua in Generali* 37. 1623. *Prouinciales Marchiæ, & Abrutiæ non reperiuntur; sed illorum loco, Prouincialis Lauretanus.*

XXIV. ARAGONIÆ, diuisa fuit à Valentinensi. *c.* 6. *Genu.* 7. Prouincialis vtriusque, scilicet R. P. Ioannes à Barreda (*de cuius vita sanctitate conspicua, Montoya, & Historia General. Ordin. l.* 4. *& nos in Conuentu Cæsar-Augustano*) remansit Prouincialis Aragoniæ. In Prouinciæ verò Valentinensis Prouincialem, electus fuit R.P. Petrus Moraga. *Ibid.* 9. 1596.

XXV. FLANDRO-BELGICA, erecta fuit. *c.* 6. *Rom.* 10. *Hanc & plantauit, & rigauit: huic sub Dei auspitiis & incrementum dedit, R. P. Ioannes Sauuage, totius Galliæ Prædicator eximius;* 1617.

*cuius melliti erant ſermones ſuper oleum, & ipſi Diuini amoris iacula, & peccatorum exterminium: vndè in omnibus ferè Parlamentis, & pulpitis celebrioribus Galliæ, Lotharingiæ, & Belgij, prædicauit; intra triginta circiter prædicationis annos: licet obierit ſexagenario minor, Lugduni, anno 1630. die 22. Iunij, pietate, doctrina, & humilitate Illuſtris: omnium, tam ſecularium, quàm Religioſorum lacrymis proſequutus, maximè Eminentiſſimi D. Alphonſi Cardinalis du Pleſſis de Richelieu, Lugdunenſis Archiepiſcopi, Galliarum Primatis, &c. qui illum ſæpiùs inuiſebat, & mirificè colebat. R. hic Pater, licet affectu quo poterat maximo dignitates Ordinis fugeret; anno tamen 1623. eodem die, electus fuit in Prouincialem Prouinciæ Aquitaniæ, & Prouinciæ Comitatus Burgundiæ; & in hac cõfirmatus. Deputatus; ergo ad Sereniſſimos Belgarum Principes, anno 1614. à Prouincia Lugdunenſi; vt ipſis gratias ageret pro Conuentibus acceptatis in Burgundiæ Comitatu: inſtigante Nobili D. Hieronymo de Liſola, Conuentus Veſuntionenſis fundatore; Ordinis, & ſpecialiter R. huius Patris amiciſſimo; qui Religionis noſtræ in Belgio propagationis ardebat deſiderio; Antuerpiæ prædicauit: ad cuius prædicationem, Nobilis D. Ioannes Auguſtinus Balbi Genuenſis, tactus erga nos amore cordis intrinſecùs, de conſtruendo nobis Antuerpiæ Conuentu cogitauit: hac lege, vt proximis Aduentu, & Quadrageſima, Antuerpiæ prædicaret R. P. Sauuage. Cuius prædicationibus illis temporibus fauſtè exantlatis, Bruxellis & alium acceptauit Conuentum: & à R. P. Arias de Valcarcel tunc Generali, illis in partibus per triennium factus eſt Vicarius Generalis. Scripſit, præcepto ſibi ſuper hoc facto à Reuerendiſſimo in virtute S. Obedientiæ, ad inſtantiam Sereniſſimæ Ducissæ*

*tissæ Lotharingiæ; tres orationes funebres, quas in honorem Serenissimi Henrici II. Lotharingiæ, &c. Ducis, in Ecclesia Nanceensi pronunciauerat.* Primus Prouinciæ huius Prouincialis, fuit R.P. Claudius du Viuier, *Gallus. ibid. 17. Hic fuit bis Prouincialis Parisiensis, & ter prouincialatus officio dignissimè functus est in Belgio, vbi pro secunda vice electus fuit, anno* 1623. *Illum Serenissimi Belgarum Principes Albertus, & Isabella Clara Eugenia Archiduces Austriæ, &c. in suum ordinarium Prædicatorem, vtpote eximium, delegerunt. Primus omnium Gallico idiomate B. P. N. Francisci de Paula vitam, sermone admodùm eleganti, & diffuso, scripsit. Mortuus est Leodij, Flandriæ Prouincialis pro tertia vice, anno* 1630. 7. *August.*

XXVI. LOTHARINGIÆ, vt diuideretur à Prouincia Campaniæ conclusum fuit. *cap. 6. Rom.* 8. Huius tamen conclusionis exequutio, remissa fuit Reuerendissimo, vel eius Visitatori. *Ibid. Et tandem facta diuisio fuit à Reuerendissimo, eiusque Collegis anno* 1620. *Primus eius Prouincialis fuit R. P. Hippolytus Raulinus, Gallus, ex totius Galliæ celebrioribus Prædicatoribus: qui, etiam Nouitius, in Auenionensi Ecclesia Metropolitana, optimè prædicauit, licet admodùm iuuenis. Fuit in discurrendo publicè & priuatim, maximè de iis quæ ad Theologiam mysticam, & pietatem spectant, disertissimus. Inter seculares, ædificationis maximæ. Anno* 1602. *electus Prouincialis eodem die, in tribus Prouinciis, Aquitaniæ scilicet, Lugdunensi, & Prouenca: & in hac confirmatus. Anno* 1608. *Lugduni secundò in Prouincialem fuit electus. Anno* 1614. *ibidem pro tertia vice, in Prouincialem etiam assumptus fuit. Tandem anno* 1620. *Lotharingiæ factus est Prouincialis pro quarta vice,*

*à Reuerendissimo. In Prouinciis sibi concreditis, quamplurimos Conuentus acceptauit. Innumeros penè Nouitios & Professos, Ordini aggregauit. Permultos hæreticos confutauit, & ad fidem conuertit. Scripsit de Liliorum Galliæ antiquitate, dignitate, nobilitate, & splendore. Et mortuus est anno* 1628.

XXVII. VENETIARVM, erecta fuit, *c.* 6. *Genu.* 12. Primus eius Prouincialis fuit R.P. Nicolaus de Christianis. *Ibid.* 26. *cuius opera & studio, habemus acta Capitulorum Generalium, quæ à diebus Passarelli ad sua vsque tempora fuere celebrata. Verùm huius erectionis Priuilegio, saltem quò ad primogenituram, non vtitur hæc Prouincia, cùm 27. locus inter Prouincias ei tribuatur. capit. 6. Rom. 16. vbi, non Prouincia; sed Vicariatus dicitur. Hoc ideò, vt arbitror, quia Prouinciales Venetias missi à Generalibus, ex aliis Prouinciis oriundi, non fuerunt recepti. Hæc enim habentur in eodem c.* 6. *Rom.* 10. Declarauerunt Patres, quòd quando in Prouincia Veneta erit libertas eligendi Superiores ex vniuerso Ordine, vt fit in aliis Prouinciis Religionis: & quando secundùm nostras Constitutiones, omnes Fratres in illa gaudebunt voce actiua & passiua: tunc & non aliàs, poterit Reuerendissimus cum suis Collegis, illam in Prouinciam erigere. *Quod an & quando factum fuerit, non reperi. In subscriptione tamen Patrum, cap. 3. Barchin. subscripti sunt Prouincialis, & Commissus Venetiarum: idque constanter, sub Prouinciali, & Commisso Lotharingiæ; saltem in illis actis, in quibus protestantes de nullitate electionis Generalis, ab aliis non sunt separati. Quod me mouet, ad locum istum Prouinciæ huic assignandum.*

XXVIII. MEDIOLANENSIS, diuisa fuit à Prouincia Lumbardiæ Apostolico diplomate, circa annum 1620. & in c.7. Rom.14. Ordini aggregata. *Primum eius Prouincialem non reperi.* 1620.

XXIX. COMITATVS BVRGVNDIÆ, diuisa fuit à Lugdunensi, Apostolico etiam diplomate, anno 1621. & in eodem cap.7. Rom.14. Ordini etiam aggregata. *Primus eius Prouincialis, fuit R.P. Guillelmus Baoulz; qui etiam hodie, eiusdem Prouinciæ Prouincialatus Officio meritissimè fungitur: eruditissimus à multis annis S. Theologiæ Professor: disertissimus Prædicator: meus in Philosophia Magister.* 1621.

XXX. DVCATVS BVRGVNDIÆ, diuisa pariter à Lugdunensi, Apostolico diplomate, anno 1623. & in eodem cap.7. Rom.14. Ordini aggregata. *Primus eius Prouincialis, fuit Illustriss. & Reuer. P.D. Renatus le Clerc, nunc Episcopus Glandeuensis, ex Ordine nostro assumptus, Theologus & Prædicator. De cuius nobilissima prosapia agimus, cùm de Conuentu Bellouacensi Prouinciæ Parisiensis, ab ipsius Fratre fundato. Huic immediatè successit in Prouincialatu, Illustriss. & Reuerendiss. P.D. Ludouicus Dony - Dattichi, nunc ex hoc Ordine Regiensis Episcopus, Theologus, virtutum, & prosapiæ nobilitate clarus. Hic Historiam generalem nostri Ordinis, suaueolentes miræ pietatis flores redolentem, octo libris distributam, piè, & eleganter scripsit Gallico idiomate.* 1623.

*Prouincialis.*

Inquantum sibi à suis Superioribus Prælatis, & eorum Vicesgerentibus permissum fuerit, suum ordinatum officium exerceat. *Cor.64.* *Officij exercitium.*

*Hoc statutum debet intelligi, non vniuersaliter, ita vt in omni casu intelligatur illud*, In quantum sibi à suis Superioribus Prælatis, &c. permissum fuerit: *hoc enim manifestè repugnat statuto immediatè sequenti: nec ratio patitur, Generalem posse impedire sine causa Prouincialem, ne Officium suum exerceat. Intelligatur ergo, in casibus particularibus, cùm causa iusta & euidens, à Generali assignanda, subest. Item, de pœnitentiis grauibus, quæ ex Correctorio 105. nō debent imponi à Prælato inferiori in præsentia superioris, absque illius cōsensu. Vel denique, de rerum notabilium conclusione & exequutione: existimo enim, Prouincialem in Præsentia Generalis nihil posse concludere notabile, nec conclusum exequi, absque Generalis consensu: sicut, ex Capitulo 1. Bononiensi, num. 14. nec Correctores in præsentia Prouincialis, vel Generalis; cùm ex Correctorio 105. eodem modo se habeat Prouincialis ad Generalem, quo Corrector ad Prouincialem.*

*Cæterùm, ad Superioris conclusionis nostræ probationem, faciunt omnia & singula argumenta, quibus Peirinis in Constitutione 7. Pauli V. § 3. à num. 36. ad 57. fusè & doctissimè probat, Prouincialem non posse absque causa legitima, auferre authoriattem à Correctore: Nec Officium Correctoris exercere: Nec expendere pecu-* nias

*nias Conuentus: Nec in generali vetare Correctori, ne Fratres extra Conuentum mittat. Quæ apud illum vide.*

Vbi quis in Prouincialem electus fuerit, & postmodùm confirmatus; Fratris Francisci de Paula vita durante, in præsentia ipsius Francisci, vel alicuius per eum specialiter deputati: post ipsius verò Francisci decessum, in præsentia sui successoris Correctoris Generalis, aut sui Vicesgerentis, vel etiam alicuius Vigilũ: sui Prouincialatus officiũ, liberè poterit exercere: & sua annua Capitula Prouincialia, in sua duntaxat Prouincia, celebrare: vbi in alio nouissimè celebrato Prouinciali Capitulo, fuerint asignata. Poterit vlteriùs ipse Prouincialis, super singulis Prouinciæ suæ Fratribus, & Oblatis, ac Conuentibus, liberè disponere in his quæ Diuinum cultum, salutem subditorum, & huius Ordinis commodum concernere noscuntur. *Ibid.* 102. *Vide*, Corrector. Electio Prouincialium.

*Electionis confirmatio: & officij exercitium.* Infrà. *Potestas.*

Prouincialis exiens è Conuentu, debet intimare Correctori, pro honestate, & reuerentia: per se, vel per interpositam personam. *c. Turon.* 37. *c. Tholos.* 64.

*Exiens è Conuẽtu.* 1511. 1514.

Prouinciales omnes, in primo Capitulo

*Prouincialatus finis.*

Pro

Prouinciali ſequente Capitulum Generale, ſuum ſemper terminabunt Prouin-
1517. cialatum.*c.*2.*Rom.*9.

Præſidere debent in Capitulis Prouincialibus, & Prouincialium authoritate fungi, donec noui Prouinciales electi fuerint. *Ibid.*24.

*Supponere videtur ſtatutum iſtud, nouos Prouinciales ſtatim ac ſunt electi habere ius præſidendi in Capitulo, etiamſi non ſint de corpore Capituli: quod alibi clare explicatum, ſeu definitum non reperi. Si enim Prouincialis veteranus tantùm debet præſidere, donec nouus electus fuerit, & non vltrà (particula enim,* Donec, *ſiue ſignificet quoadvſque, ſiue quandiù, hoc indicat) quis poſt talem electionem præſidebit, niſi Prouincialis electus, ſi adſit Conuentui, cùm de alio Præſide eligendo nullibi fiat mentio?*

*Cæterùm, licèt ex vi huius ſtatuti Prouinciales non poſſint præſidere in Capitulis Prouincialibus, vltra nouorum Prouincialium electiones (intellige, quando præſentes, ſaltem Conuentui, eliguntur) in illis tamen præſidere poſſunt, quando eliguntur abſentes, ex ſtatuto c.* 1. *Auenion.* 24. *de quo infrà.*

*Sedes.* Sedere debent Prouinciales vbique, iuxta ordinem ſuæ Prouinciæ: alij verò non Superiores, iuxta ordinem ſuæ primoge

mogenituræ. *c.*1. *Rom.*11. *c. Parif.* 4. *cap.*3. 1507.
*Rom.*12.*c.*1.*Genu.*2.*c.Paulit.*15. 1520.
1523.

Prouincialis,non poteſt eligi in Colle- 1532.
gam, ſui immediatè ſucceſſoris. *c.Gratian.* 1535. *Non eligatur in Collegă.*
7. *cap.* 1. *Genuen.* 30. *cap.*2. *Genuen.*5.*cap.*5.
*Valent.*19.

Poteſt eligi in Zeloſum non autem in 1529. 1532.
Collegam Generalis, niſi expirato Pro- 1593. *Eligibilis in Zeloſum, non in Colleg. Gener.*
uincialatu. *c.*5.*Valent.*19. Et tunc, Generalis de ſuorum Collegarum conſilio, de Vicario Prouinciali prouideat, vſque ad proximum Capitulum prouinciale.*cap.*2. *Rom.*5.*c.*1.*Genu.*5.*c.Paulit.*24. 1693.

Non debet in menſa facere ſignum, 1517. 1532.
nec loqui, abſque expreſſa licentia Ge- 1535. *Vt ſe habebit præſente Generali.*
neralis, ſi adſit:nihil concludere notabile, vel exequi concluſum, niſi de ipſius ſcientia,& aſſenſu.*c.*1.*Bonon.*14.

Statim vbi eſt electus, ſuum exerceat 1538. *Electionis confirmatio, & officij exercit.*
Officium. Debet tamẽ à Generali ſtatim ſuam requirere confirmationem. *c.*2.*Rom.* 34.*c.*1.*Genu.*14.*c.Paulit.*23.

Suam confirmationem non petat ab 1514. 1532.
Illuſtriſsimo Protectore, ſed à Generali, 1535.
ob maiorem noſtri ſtatus conſeruationem: niſi velit grauiter puniri. Non in contemptum Illuſtriſsimi Protectoris noſtri, ſed vt ius Officij Generalis integrè ſeruetur.

seruetur. De quo Illustrissimus D. Protector, à P. Generali est humillimè monendus. *c.2. Foroiul. 1. Vide*, Protector.

*Depositio.* Collegæ, qui præsumpserant sine causa legitima, Prouincialem deponere, fuerunt depositi. *c.1. Bonon. 2.*

1538. *Adeat Cap. Generale.* Prouincialis, Capitulum Generale non adiens, nec litteras excusatorias mittens: ab officio fuit depositus, & vtraque voce priuatus; à solo Capitulo Generali rehabilitandus. *Ibid. 7.*

*Vox in elect. Cōmissi.* Habet vocem in electione Commissi, ad Capitulum Generale mittēdi. *Ibid. 10.*

*Eius Vic. ad Cap. General.* Cùm non potest ire ad Capitulum Generale, potest de consilio suorum Collegarum, ad illud Vicarium mittere vnum ex illis, vel alium; etiam qui triennio præcedenti fuerit Prouincialis. *c.2. Valent. 2.*

1550. *Sedes in Cap.* Suo officio functus, quandiù durat Capitulum, immediatè post successorem sedeat. *Ibid. 7.*

*Eius Vic. in Cōuentu particulari.* Potest constituere Vicarium super Correctorem, rationabiliter; vbi necesse fuerit, & quandiu expedierit. Quo non obstante, Corrector inquantum sibi à suis Superioribus, vel eorum Vicariis permittitur, suum ordinarium officium exerceat. *Ibid. 10. Vide*, Vicarius Correctoris.

ris. Vicarius Generalis. Vicarius Prouincialis.

*Intelligi debet statutum istud, non de Vicario absolutè, omnimodam potestatem habente; sed de Vicario duntaxat in emergentibus. Patet ex Correctorio* 106. *vbi habetur:* Poterit Generalis, & quilibet Prouincialis, ad cuncta sibi subdita loca, Fratrē aliquem idoneum suo loco delegare, pro emergentibus ibidem negotiis debitè terminandis. *Et paulò post.* Prædictus etiam Generalis, poterit (quoties expedierit) ad quascumque voluerit Prouincias, cum sua omnimoda potestate delegare aliquem Fratrem idoneum, suæ potestatis plenitudinem habentem; etiam super cunctos huius Ordinis Vigiles, & Prouinciales. *Ex quibus patet, maiorem facultatem dari Generalibus quàm Prouincialibus: Vbi enim Beatus Pater illis æqualem potestatem dedit Vicarios constituendi pro negotiis emergentibus, subdit;* Prædictus etiam Generalis, &c. *illa enim particula,* Etiam, *est ampliatiua. Clementina,* Religiosus, *de Procurat. vbi Cardin. num.* 1. *& Clementina,* Religiosis, *de testament. vbi Cardin. num.* 1. *Denotat enim facultatem aliam concedi à iam concessa, vt docet Nauarr. in cap.* Si quando, *de Rescriptis, except.* 2. *n.* 2. *tomo* 4.

At

*At Generalis, quò ad Vicarios constituendos, non potest habere maiorem potestatem, quàm illos constituere in solidum, & cum tali plenitudine potestatis, vt non solùm in emergentibus, sed ordinariè etiam sedeant, & præsideant super Prouinciales. Ergo Prouinciales qui tantam potestatem non habent, non poterunt talem Vicarium super Correctores constituere; sed tantùm Vicarium pro negotiis emergentibus.*

*Vndè eligibilis.* Potest eligi ex aliena Prouincia. *cap.* 3.
1561. *Valent.* 8. & electus, statim, etiam ante confirmationem, Prouinciam in qua electus est petere: & officium suum exercere. *Ibid.* 9.

*Pracedit Correctores.* In aliena Prouincia, præcedere debet Correctores, etiam in eorum Conuentibus; in refectorio, choro, & processionibus: etiam in absentia proprij Prouincialis: cùm ibi, non sit locus Iudicij, sed Dignitatis: vndè, & Episcopis, & Abbatibus
1571. datur. *c.* 4. *Valent.* 48.

*Quandiù Vicarius remanet.* Vicarius remaneat, post electionem noui Prouincialis, donec ipse personaliter veniat: etiam vsque ad Capitulum Prouinciale, proximè celebrandum. *cap.* 1.
1578. *Auen.* 24.

*Quandiù non potest reeligi.* Finito prouincialatu, potest esse Vicarius in nouis Conuentibus, pro fabrica perfi

perficienda: & agere omnia quæ Corre-ctor faceret ex officio, provt bonum sibi videbitur: est enim amouibilis ad voluntatem Prouincialis, vel Generalis. Post triennium autem, potest ad quævis officia reeligi. *c.6.Genu.20. Vide quæ de hoc statuto diximus, verbo,* Electio Correctoris. 1596.

*Quandiu non potest reeligi.* Transacto triennio subiectionis, non potest de nouo reeligi, nisi facta fuerit visitatio de tempore sui muneris. *cap. 2. Auen.20. Vide,* Corrector. Electio Collegarum. Electio Prouincialium. Superior. 1599.

*Punitio.*

*Vt facienda.* Defectus secreti, secretè; publici, publicè sunt puniendi. *c.Tholos.75.* 1514.

## Q

### *Quadragesimalis vita.*

*Vt in ea viuendũ.* Singuli Fratres, & singulæ Sorores huius Ordinis, à cibis carnalibus omnino abstineant: & dignos pœnitentiæ fructus in cibo Quadragesimali taliter agant; quòd carnes, ac omnia sementinam originem à carnibus ipsis trahentia, penitùs vitent. Carnes igitur & pinguedo, oua, butyrum, caseus, & quæcumque lacticinia; & ex eisdem congesta, & producta

quæcumque intùs ac extra ( saluis modificationibus infrascriptis ) omnibus, ac singulis Fratribus, Sororibus, ac Oblatis, sint omnino & irrefragabiliter interdicta, *R.F.*25.*R.S.*19.

*Non deferenda.* Caueant autem omnes Fratres, & Sorores, Oblati, & Oblatæ, ne quemquam Medicorum pro Quadragesimali vita deferenda; & Paschali, seu pingui assumenda: per se, nec per interpositam personam, inducant: præsertim cùm eisdem Medicis de iure prohibeatur, ne pro corporali salute aliquid ægrotis suadeant, quod in periculum animæ conuertatur. *R.F.*27. *R.S.*21. *Vide*, Infirmaria, Infirmi & Infirmæ.

*Regula V.S.* Fratres & Sorores Regulæ vtriusque sexus, à carnibus abstineant à festo Beatæ Luciæ, exclusiuè; vsque ad Domini Natalem. Tribus etiam diebus ante cunctos communionum dies; & singulis quartis feriis totius anni. *R.V.S.*13.

*Excusati.* A dictis autem abstinentiis, piè secludantur omnes in puerperio iacentes, pregnantes, lactentes, ac itinerantes: similiter & senes, ac debiles, & in graui labore desudantes: priùs postulata à propriis Confessoribus licentia. *Ibid.*14.

Si

Si deuotionis gratia, sanctam Quadragesimalem vitam, perpetuò ducere voluerint: illam cum Dei benedictione laudabiliter ducant. Veruntamen, in spiritu libertatis, plenè & integrè dimittuntur. *Ibid.* 15. *Perpetua.*

Si quis vitæ Quadragesimalis Votum infregerit, tribus mensibus, vel pluribus, carceribus mancipetur; & iure primogenituræ perpetuò priuetur: nisi per Generale, vel Prouinciale Capitulum rehabilitetur, primitùs considerata ipsius qualitate. Et si talis delinquens Prælatus esset; vltrà prætaxatam pœnitentiam, confestim ab Officio deponatur. *Cor.* 51. *Infringētiū pœna.*

Prætereà, solicitè caueant omnes huius Ordinis Prælati & subditi; ne intrà loca, seu Conuentus ipsius Ordinis, recipiant aliquod alimentorum, veniens contra Quadragesimalem vitam. Nec etiam quæcumque cocta, de quibus verisimile est, quòd sint contra vitam Quadragesimalem præparata. Si quis verò cõtrarium fecerit, si Prælatus sit, ab officio suspendatur; & incarceretur, quovsque secùs ordinetur per huius Ordinis Generalem, aut per proprium Vigilem, vel Prouincialem; aut per aliquem suorum Vicesgerentium; *Paschales cibi nõ introducendi in Conuentus.* *Contrauenientium pœna.*

rentium, ad quorum discretionem, puniatur ipse delinquens. Si autem subditus sit taliter offendens, pariformiter incarceretur; quovsque per aliquem dictorum Superiorum Prælatorum, vel suorum Vicesgerentium, liberetur. Prætereà, si aliquando Ianitor, aut aliquis Frater, vel Oblatus, in aliquem Conuentum huius Ordinis, carnes, aut alia quæcumque lacticinia, vel ex eisdem confecta, seu congesta, victui conuenientia, & apta, scienter intromiserit, & non reuelauerit: vbi super hoc conuictus fuerit; tam permittens, quàm consentiens, & non reuelans; per tres menses carceribus mancipetur: & per medium annum, iure primogenituræ priuetur. *Ibid.* 53.

*Ianitoris & aliorum.*

*Permittens, consentiens, & nõ reuelans.*

Quadragesimalis vita, acceptata fuit sub Voto, à maiori parte Religiosorum, qui aderant in Capitulo primo Religionis Romæ celebrato, 28. Decembris. *Ibid.* 5.

*Vita Quadragesimalis est Votum apud nos.*

1507.

Illos qui hoc quartum Votum noluerunt acceptare, deinceps in omnibus futuris in Ordine electionibus, inhabiles ad vtramque vocem declarauit R. Cardinalis Senogaliensis, Capituli Præsidens de mandato Sanctissimi. *Ibid.* 8.

*Illud non acceptãtium inhabilitas.*

Tandem,

Tandem, qui hoc quartum Votum, priùs emittere renuebant; illud, omnes vsque ad vnum, acceptauerunt; & vouerunt in manibus prædicti Cardinalis. *Ibid.* 12.

*Ab omnibus acceptatum & emissum.*

Illud ità obseruauit B.P.Franciscus de Paula, vt etiam in grauissima infirmitate constitutus, nunquam voluerit ipsum violare. Ita declarauit F.Franciscus Binet, coram prædicto Cardinali. *Ibid.* 6. Adiiciens, eundem B. Patrem Franciscum sibi mandasse, vt post eius obitum, Quadragesimalem vitam obseruari faceret in suo Ordine. *Ibid.* Pro quo & plures litteras misit idem B.P. ad Summum Pontificem, & nonnullos RR.DD.Cardinales. Ita deposuerunt F.Iacobus Lespriuier, Prouincialis Aquitaniæ; & F. Ludouicus, discretus Conuentus Sanctissimæ Trinitatis. *Ibid.*

*Vt à B. P. obseruatum.*

*Mandauit, & procurauit, vt obseruaretur.*

Hoc Votũ, Corrector S. Andreæ Prouinciæ Germaniæ, *nomine, & professione verè* Minimus, se vouisse; velleque quamuis esset infirmus obseruare (secundùm moderationem quartæ Regulæ) cùm de hoc Voto acceptando ageretur, professus est. *Ibid.*

*Ab infirmo obseruatum.*

Fratres Clerici, Laïci, & Oblati, nullo

*Vt obseruandum,*

modo ſe intromittant de prouiſione ciborum carnalium, vel à carnibus originem trahentium, pro refectione ſecula-
1511. rium. *c.Turon.*28.*c.Tholoſ.*56.
1514. Ad conſeruationem vitæ noſtræ Quadrageſimalis, per quam à cæteris Religionibus diſtinguimur; declarant Patres, nõ licere nobis, ad præcauendam futuram infirmitatem, nos purgare: cùm iure noſtro caueatur; non niſi tempore infirmitatis cibis Paſchalibus veſci, & hoc de conſilio Medici. Qui autem contrarium fecerit, ſi ſubditus ſit, ſubiaceat pœnis in Correctorio poſitis contra Votum Quadrageſimalis vitæ violantes. Superior autem qui permiſerit, eiſdem etiam pœnis
1581. ſubiaceat, *c.*1.*Barchin.*19. *Vide*, Infirmaria. Infirmus. *Item*, Conſilia noſtra, *in fine huius Operis: vbi variæ quæſtiones ad Quadrageſimalis vitæ Votum ſpectantes, enodantur.*

*Qualitas perſonarum*

Attendenda, cùm agitur de equitatura Fratrum. *R. F.* 11. *Cor.* 22. & de perpetua priuatione ab officiis Ordinis, primogenitura, vel confeſſionibus audiendis. *Cor.*36.39.46.47.*&* 51. *Vide, quæ de hac materia diximus, verbo*, Paupertatis Votum,

*cùm*

*cùm de annuis redditibus egimus, pagina* 113.

*Quarta*

Funeralium, à nobis non est soluenda. Audita enim Patrum Prouinciæ Calabriæ querimonia de his Ecclesiis Parochialibus, quæ neglecto iure priuilegiorum nostrorum, quartam partem funeralium extorquent: Censuerunt Patres, ius nostrum per Breue Apostolicum tuendum esse. *c.* 3. *Genu.* 8. 1559.

*Hoc Breue Apostolicum obtinuimus cum cæteris Mendicantibus, à Pio V. anno* 1567. 17. *Kalend. Iunij, sub datum Romæ apud Sanctum Petrum, & incipit,* Etsi. *In illo, Summus Pontifex refert quadraginta grauamina illata Mendicantibus, ab Episcopis & Parochis, à quibus eos liberat, loca Concilij Tridentini declarando. Dicítque inter alia multa:* Nec ad Quartam, seu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ, Palliorum, Planetarum, Cortinarum, pannorum, & aliorum, quæ dictis Ecclesiis, *Mendicantium*, relinqui, vel dari contigerit, etiam si pro victu Fratrum, aut aliàs relinquantur; *Mendicantes* aliquid contribuere teneantur. *Idem autem Summus Pontifex, eodem anno, die* 9. *Nouembris, per suam Bullam quæ incipit,* Apostolicæ, *declaravit,*

*rauit, Ordinem nostrum inter Mendicantes esse connumerandum, eíque omnia priuilegia Mendicantibus concessa communicauit. Vtramque Bullam afferunt Passarellus, & Peirinis, in Pio V. Priorem verò, etiam Roderigues, Quaranta, & Cherub.*

*Cæterùm, Priuilegia nostra de quibus in præcedenti statuto, cap. 3. Genuensis, obtinuimus à Iulio II. vt refert idem Peirinis in constitutione eius prima, §. 33. & Constitut. eius 2. §. 26. in quibus Constitutionibus, nos, Ecclesias, & domos nostras, tam receptas, quàm recipiendas, eximit à solutione cuiuscumque Quartæ*, tanquam Sedis & Ecclesiæ Romanæ specialia Oratoria, Ecclesias, domus, ac loca; *& paulò pòst subdit*, Ac sub B. Petri, & dictæ Sedis, ac nostra protectione, immediatè subiaceant. *Quæ verba desumuntur ex Constitutione prima, quæ incipit*, Dudum, *sub datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno* 1506. *5. Kalend. Augusti, ideóque adhuc viuente in terris B. P. Francisco de Paula. Habemus etiam ad eandem exemptionem spectans priuilegium à Leone X. concessum, in sua Bulla quæ incipit*, Exponi, *in qua*, Mandat Archidiacono, & Cantori Ecclesiæ Maioris Consentinensis, vt præcipiant sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ac aliis censuris Ecclesiasticis,

clesiasticis, nc Rectores, Vicarij, Beneficiati, Plebani & alij Clerici, Fratres nostros molestent super Quarta funeralium, legatorum, & alia quæcumque, directè, vel indirectè, quovis quæsito colore, per se, vel per alios, contra tenorem prædicti priuilegij Iulij II. *cuius expressam mentionem facit. Habemus etiam declarationem Sacræ Congregationis, factam supplicante R. P. Petro de Mena tunc Prouinciæ Castellæ Prouinciali, posteà in cap. 6. Genuensi, anno 1596. totius Ordinis electo XXX. Generali, qua sacra Congregatio declarat*, Priuilegio prædicto Iulij II. ante quadraginta annos ante Concilium Tridentinum concesso, quo nullam Parochis Ecclesiarum Quartam funeralium tenemur persoluere, minimè derogatum esse eiusdem Concilij Decretis. *Valet autem hæc declaratio pro exemptione cuiuscumque Quartæ, à qua nos eximit idem Priuilegium Iulij II. vt prænotaui. Hanc autem declarationem refert Quaranta, verbo*, Priuilegia Regularium, *pagina 516. & habemus Authenticam in Archiuo Ordinis in Camera R. P. Zelosi, seu Procuratoris Generalis, in Conuentu Sanctissimæ Trinitatis, & in Conuentu Neapolitano titul i Sancti Ludouici. Plura vide apud Peiri-*

*rauit, Ordinem nostrum inter Mendicantes esse connumerandum, eique omnia priuilegia Mendicantibus concessa communicauit. Vtramque Bullam afferunt Passarellus, & Peirinis, in Pio V. Priorem verò, etiam Roderigues, Quaranta, & Cherub.*

*Cæterùm, Priuilegia nostra de quibus in præcedenti statuto, cap. 3. Genuensis, obtinuimus à Iulio II. vt refert idem Peirinis in constitutione eius prima, §. 33. & Constitut. eius 2. §. 26. in quibus Constitutionibus, nos, Ecclesias, & domos nostras, tam receptas, quàm recipiendas, eximit à solutione cuiuscumque Quartæ*, tanquam Sedis & Ecclesiæ Romanæ specialia Oratoria, Ecclesias, domus, ac loca; *& paulò pòst subdit*, Ac sub B. Petri, & dictæ Sedis, ac nostra protectione, immediatè subiaceant. *Quæ verba desumuntur ex Constitutione prima, quæ incipit*, Dudum, *sub datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno 1506. 5. Kalend. Augusti, ideóque adhuc viuente in terris B. P. Francisco de Paula. Habemus etiam ad eandem exemptionem spectans priuilegium à Leone X. concessum, in sua Bulla quæ incipit*, Exponi, *in qua*, Mandat Archidiacono, & Cantori Ecclesiæ Maioris Consentinensis, vt præcipiant sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ac aliis censuris Ecclesiasticis,

clesiasticis, nc Rectores, Vicarij, Beneficiati, Plebani & alij Clerici, Fratres nostros molestent super Quarta funeralium, legatorum, & alia quæcumque, directè, vel indirectè, quovis quæsito colore, per se, vel per alios, contra tenorem prædicti priuilegij Iulij II. *cuius expressam mentionem facit. Habemus etiam declarationem Sacræ Congregationis, factam supplicante R. P. Petro de Mena tunc Prouinciæ Castellæ Prouinciali, posteà in cap. 6. Genuensi, anno* 1596. *totius Ordinis electo XXX. Generali, qua sacra Congregatio declarat*, Priuilegio prædicto Iulij II. ante quadraginta annos ante Concilium Tridentinum concesso, quo nullam Parochis Ecclesiarum Quartam funeralium tenemur persoluere, minimè derogatum esse eiusdem Concilij Decretis. *Valet autem hæc declaratio pro exemptione cuiuscumque Quartæ, à qua nos eximit idem Priuilegium Iulij II. vt prænotaui. Hanc autem declarationem refert Quaranta, verbo*, Priuilegia Regularium, *pagina* 516. *& habemus Authenticam in Archiuo Ordinis in Camera R. P. Zelosi, seu Procuratoris Generalis, in Conuentu Sanctissimæ Trinitatis, & in Conuentu Neapolitano titulis Sancti Ludouici. Plura vide apud Peiri-*

 *nis*

*nis locis citatis, & super Constitutione Pyrrhi,* §. 12.

# R

## *Reconciliatio.*

*Quando faciēda.* Diebus in Regula Communioni deputatis, ad minùs singuli non Sacerdotes, legitima causa cessante, capitulariter se reconcilient: & ita reconciliati, sacram Communionem deuotè sumant. *R.F.* 18. Idem faciant Sorores. *R.S.* 14.

*Quomodo.* Si qui verbis, vel nutibus se mutuò lęserint, quolibet Communionum die in Capitulo ante sacram Communionem se inuicem reconcilient: & in ipso Capitulo, si vsque ad Nouitiorum notitiam non venerit tale delictum; in refectorio verò, si vsque ad ipsorum Nouitiorum notitiam peruenerit, vel aliàs indè scandalum exortum fuerit; iniunctam sibi prouidè pœnitentiam suscipiant, in signum futuræ pacis. *Cor.* 26.

## *Recursus.*

*Vt possit fieri.* Iuxta Bullas Bonifacij IX. Leonis X. & Gregorij XIII. potest fieri, vel per litteras, vel personaliter, in casu grauaminis: personalis autem promptior est. *c.* 5.

*Valent.*

Valent. 14. Vide, Appellatio. Fugiens. 1593.

Recursus ad Superiores in casu veri grauaminis, est de Iure naturæ: vndè illo priuari non debent Regulares, vt docet Innocentius in cap. Ad nostram, de appellat. & Glossa ibi, verbo, Minus, Nauarrus commentario 3. de Regularibus, num. 51. & comment. 2. num. 61. Roderigues tomo 1. quæst. Regul. q. 29. art. 2. Passarellus, vt diximus, verbo, Fugiens, Azor tomo 1. institut. moral. lib. 12. cap. 11. quæst. 8. & alij multi: inter quos est Peirinis de Subdito, quæst. 1. cap. 20. vbi materiam istam quò ad omnes sui partes fusè prosequitur. Solùm adiiciam limitatum fuisse Regularium Recursum ad Superiores Ordinis, Protectorem, & Summum Pontificem, per variorum Summorum Pontificum Decreta, vt Bonifacij IX. quod incipit, Sacræ Religionis, relatū à Confetio in Compendio priuilegiorum Mendicantium, in Bonifacio IX. fol. 21. Leonis X. quod incipit, Romani Pōtificis, sub datum Romæ apud S. Petrum 29. Aprilis 1518. & Gregorij XIII. quod incipit, Ex pastoralis, sub datum Romæ apud S. Petrum 27. Martij 1576. Vndè recurrentium Fratrum causæ, illarùmque omnes circunstantiæ, æqua lance sunt ponderandæ ab iis ad quos recurritur, ne prædicti Iuris naturalis violatio, per iniquam iniustitiam facta, Fratrum imperfectionibus admixta, nouis

*nouissimum errorem peiorem priori faciat, inducendo illos ad secularium tribunalia recurrendum* (*quod est prorsus abominabile: de quo, verbo,* Secularium negotia, Iudicia, Tribunalia) *dum etiam inauditi condemnantur. Execracrabilis namque* Ptolemæus, *pecuniis corruptus Regem adiens & à sententia deducens, qui* Menelaum vniuersæ malitiæ reum criminibus absoluit: miseros autem, *ad Regem recurrentes*, qui etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes iudicarentur, hos damnauit. 2. *Machab.* 4. *à n.* 44. *ad* 47.

*Refectorium.*

*Ad illud, alij à nostris admittendi.* Cibationis tempore, in huius Ordinis Refectoriis, tam in prima, quàm in secunda mensis, iuxta Superiorum discretionem, cum Fratribus admitti valeant nonnulli cæterorum Ordinum Fratres: necnon aliqui seculares, nostri Ordinis Minimorum Benefactores: & huiusmodi, deuotionis gratia seipsos aliquando inuitantes: ita tamen, quòd semper (pro vt in *Silētium in eo.* talium absentia fieri omnino expedit) continuum ibidem seruetur silentium. *Lectura.* Et cùm longè melior sit refectio mentis, quàm ventris: dum corpora reficiuntur, spirituali etiam lectione continuè animus pascatur. Sint vlteriùs singuli, vt decet,

cet, exemplares: & si forsan tunc aliqua cuiquam imposita fuisset pœnitentia; iuxta Superioris discretionem, poterit huiusmodi differri. *Cor.* 57. *Cær.* 19. *Exēplū. Pœnitentia.*

Fratres, diebus ieiuniorum, post solutionem Nonæ, ad sonum campanæ Refectorij, quæ pulsabitur spacio vnius *Miserere*, ad dictum Refectorium conuocati; Psalmo *De profundis*, cum versiculis, & oratione competentibus; ac benedictione iuxta formam Breuiarij debitè peractis; prandebunt, ad corporis refocillationem, non ad ventris ingluuiem. Diebus autem Quadragesimalibus, prandebitur post Vesperas. Diebus autem quibus non ieiunabitur, pulsabitur ad Prandium Nona dicta, hora decima. Et in sero, pulsabitur ad Cœnam post Vesperas. Tēpore verò ieiuniorum, pulsabitur ad Collationē non vibrando campanam, sicut in Prandio & Cœna: sed tinniēdo duntaxat: & fiet hoc, post primum pulsum Cōpletorij. Prandio verò, vel Cœna sic peractis, reddantur Deo debitæ gratiarum actiones, in Ecclesia, vel Refectorio, pro vt continetur in Breuiario. *Cærem.* 19. *In eo Fratres conueniant. Quando. Benedictio mensæ. Hora Prandij. Cœna. Collationis. Gratiarū actiones.*

*Non potuit exactiùs limitari, refectionum tempus: quod tamen aliquibus in locis, quò ad*

*Cœnam*

Cœnā & Collationem, immutatum fuit. Quò ad Collationem, prætextum nullum video. Quò ad Cœnam, durum videtur hora decima prāsis, hora quarta hyberno tempore cœnare. Durius, post Cœnam hora quinta cantare Completorium; & immediatè post, vacare orationi mentali. Durissimum, æstiuo tempore, toleratis diei ardoribus, in cameram se recipere post Completorium, & silentium seruare: quando aduenit aëris refrigerium, & tempus recreationi, & deambulationi admodùm opportunum. Optimè respondit his omnibus qui dixit, sibi etiam valdè durum videri, perpetuò in vita Quadragesimali viuere: media nocte ad Horas matutinas surgere, existente Sole in Leone cum habitu dormire, sicut aliis temporibus, & similia agere quæ in Regula præscribuntur: à quorum tamen obseruatione non propterea eximimur. Rectè sanè, hæc est enim arcta via, quam delegimus, quæque ad cœlum rectà ducit. Certè, difficultates de quibus agimus non esse tantas, quin à volentibus facilè superari poßint, docet statuti præcedentis, in tota saltem Gallia (vnica Prouincia duntaxat excepta) perfecta obseruatio. Cœnatur in illis post Vesperas, hora quarta cum dimidia: sicque, à prādio ad cœnam, ferè sex horæ fluunt: quod sobriè pransis, sufficit. Pulsatur ad Completorium hora sexta, vel sexta cum dimidia pro vltimo; cùm Correctoris discretioni

*tioni remittatur pulſatio Completorij.* Cærem. 7. *Sicque poſt cœnam, plus quàm per horam deambulare licet Religioſis, digeſtionis iuuandæ cauſa: & hoc pœnitentibus ſatis. Nec oratio mentalis quæ fit poſt Completorium, quemquam terrere debet; nam, ſi paulò poſt cœnam nimis videtur importuna, & intempeſtiua, ad aliud tempus remittatur, vt fit in hac Prouincia Lugdunenſi; ad hoc vt penitùs intactæ maneant limitationes Cæremoniarum, in quibus, ſicut nec in Regula, & Correctorio, de illa mentali oratione facienda poſt Completorium, ne vel minimum verbulum reperitur: vtque in cameras recepti Fratres finito Completorio, alacriores ſint ad ſurgendum ad horas Matutinas, quibus contraria praxis cœnandi poſt Completorium, aduerſatur omninò, & ſilentio vaccet in Regula præſcripto, quod aliter fieri difficillimè poteſt. Deuotioni feruenti, omne tempus meditationi congruum: remiſſæ, vel extinctæ, quodlibet importunum. Non protrahitur vltra horam ſecundam poſt mediam noctem, mentalis oratio, quæ perſolutis horis Matutinis quotidie fit inuiolabiliter in hoc Conuentu Lugdunenſi, etiam diebus ferialibus. Nec eſt exceſſus nimius, per duas horas media nocte vacare Deo (à quibus etiam demendus horæ quadrans, qui præciſè fluit dum pulſatur ad Matutinas) cùm ſtudiis vacantes lectum non repetant*

*poſt*

*post mediam noctem, nisi hora tertia pulsata. Cæterùm, si sex horæ à prandio ad cœnam non sufficiunt digestioni faciendæ: non sufficient etiam ad eandem digestionem faciendam, à cœna, quæ quando fit post Completorium, finitur hora septima, ad vsque mediam noctem, & horas Matutinas: & tamen dicit Diuus Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem:* Si ad vigilias surgere indigestum cogis, non cantum, sed planctum potiùs extorquebis.

*Reformatio Monialium.*

*Nihil ad nos.*

De illa non se intromittant Fratres nostri, sicut nec de quibuscumque aliis negotiis de hoc Ordine non existentium: nisi fortè per modum consilij, cum expressa suorum Superiorum licentia: ídque charitatiuè, secretè, & spiritualiter.

1514. *c.Tholos.26.c.2.Rom.16.*

1517.

*Registrum.*

*De quibus faciendum.*

Sub registro teneantur singuli calices, & omnia Ecclesiastica paramenta, ad Sacristiam quomodolibet pertinentia: cunctique locorum libri: & omnia vtensilia.

*Prælatis quando ostendendum.*

Generali quoque Correctori, aut Vigilibus, vel Prouincialibus, aut eorum Vicesgerentibus; in suis visitationibus postmodùm ostendantur. Talibus etiam Superioribus

rioribus Prælatis, in ipsis Visitationibus, manifestentur omnium eleemosynarum pecunialium, vndecumque, & à quocumque receptarum, quantitas. Si autem aliquando super tali Registro faciendo, negligentes fuerint aliqui huius Ordinis Locales Correctores, & Officiales, ad quos specialiter hoc ipsum spectabit: aut si Correctores ipsi, in suorum Officiorum acceptatione, ac renunciatione; etiam negligentes extiterint talia Registra facere, seu fieri facere: vel ipsa iam facta tradere: à cunctis huius Ordinis Officiis perpetuò priuentur, ac per dictos Superiores Prælatos grauiter puniantur. *Cor.* 108. *Cõtraue-nientium pœna.*

*Per renunciationem Officij, intellige eiusdem Officij finem, in quo nostri Ordinis Superiores tenentur ab Officij exercitio desistere; imò in quo olim Officiis renunciabant, vt colligitur ex Capitulo Tholosano 5.*

*Regula.*

Quidquam facto, vel scripto contra Regulam impetrare, seu impetrari facere: aut etiam imposterum vlla statuta cõponere (*contra Regulam scilicet, vt immediatè præmittitur, & declarauit Cardinalis Senogaliensis authoritate Apostolicâ (de quo, verbo,* Statuta) vel innouare; seu etiam com- *Cõtra eã nihil impetrandum.*

poni, vel innouari facere, neque Superiores, neque Fratres, aut Sorores, Oblati, vel Oblatæ, quovis modo præsumant. *R. F.* 52. *R. S.* 34.

*Est mitis, sancta & obseruātibus vtilissima.* Hæc est, charissimi Fratres, & Sorores, lex ac Regula mitis, & sancta, quam vos hortamur humiliter suscipere, ac fideliter custodire: quatenus per ipsius obseruantiam, tandem de manu Domini, pro benedictione perenni, gratiam & gloriam sempiternam fœliciter consequamini. Amen. *R. F.* 54. *R. S.* 35.

*Vtriusque sexus,* Hæc sunt, quæ tanquam salubria, & ad sempiternam vitam recto calle ducentia, vos salubriter obseruare monemur. Fideles namque si fueritis in obseruando, fidelis erit Dominus in remunerando. *Legenda.* Et ne forsan obliuio, vel ignorantia vobis sit delinquendi causa; cùm opportunitas aderit, saltem semel in quolibet mense, vulgariter ac intelligibiliter, vobis hæc Regula legatur: vt per eius frequentem intelligentiam, cordibus vestris firmiùs imprimatur; ac per hoc, consequenter meliùs à vobis obseruetur. *Obseruātibus vtilissima.* Quatenus per illius obseruantiam, tandem de manu Domini, pro benedictione perenni, gratiam, & gloriam sempiternam fœliciter

liciter consequamini. Amen. *R.V.S.* 21.

Non intelligatur, quòd aliquid in huius Ordinis Minimorum Regula & Correctorio insertum, aliquem ex se obliget ad culpam; sed solùm ad pœnam, in Correctorio suis in locis pro quolibet delicto respectiuè taxatã & limitatam. Ad quam etiam peragendam nullus obligetur, nisi cùm ipsa sibi per aliquem suorum Superiorum, vel per aliquod Capitulorum imponetur. Omnes verò huius Ordinis Fratres, ac Oblati, à suis culpis absoluti teneantur, cùm eorum delictis in Correctorio taxatas & limitatas pœnitentias adimpleuerint. *Cor.* 116. *Regula, & Correctorii non obligant ad culpam.* *Ad pœnam, quomodo.*

Quatuor Regulæ Fratrum, à B.P. Francisco de Paula fuerunt compositæ, & Apostolica authoritate confirmatæ: sicut & Correctorium. *c.* 1. *Rom.* 2. 5. *Regula Fratrũ, quatuor.* 1507.

Regula quam habemus, & cui stamus, acceptata fuit in Capitulo primo Religionis, à Religiosorum nostrorum pluralitate. *Ibid.* 5. *Illa cui stamus, acceptata.*

Qui illam acceptare nolebant, declarati sunt à Cardinali Senogaliensi, Capituli Præside de mandato Sanctissimi Domini Iulij Papæ II. deinceps ad vtramque vocem inhabiles, in quibuscum- *Illam non acceptãtium, inhabilitates.*

que futuris electionibus. *Ibidem* 8.

*Modificata acceptatur ab omnibus.* Qui illam acceptare priùs renuebant, tandem omnes ad vnum vſque, eam acceptauerunt, cum quibuſdam modificationibus. *Ibid.* 12. *Hæ modificationes, ſunt Regulæ declarationes quædam, ab eodem Cardinali Senogalienſi factæ authoritate Apoſtolica, quas ponimus ſuis in locis.*

*Inuiolata maneat.* Obtinentium Breuia Apoſtolica contra illam, pœnæ. *Vide*, Breuia Apoſtolica, Laïci.

*Rehabilitatio.*

*Quomodo facienda.* Quando facienda eſt, proponatur cauſa inhabilitatis; ſcripta per manus delinquentis, vel alterius, ſi ille neſciat ſcribere. Et ſi fugæ ſint, ſpecificetur numerus, locus & cauſa fugarum. Si verò fuerint alij defectus, ſpecificentur; ſicut & illorum circunſtantiæ: & infrà petitionem rehabilitari poſtulantis, hæc omnia continentem; accedat Rehabilitatio & Superiorum ſubſcriptio: ad hoc vt Superiores cognoſcant, quibus conferre debeant
1581. gratias Religionis. *cap.* 1. *Barchin.* 28. *cap.* 5.
1593. *Valent.* 24.

*Rehabilitare quis poſſit.* Rehabilitandi poteſtas ex quacumque cauſa eſt penes Capitulum Prouinciale, quod ſingulis trienniis celebratur. *cap.* 5.

*Rom.*

*Rom.* 11. *Capitulum autem Intermedium, eandem prorsùs vim habet in omnibus, ac Capitulum Prouinciale, vt diximus, verbo,* Capitulum Intermedium. Datur autem rehabilitandi poteſtas, Reuerendiſſimo P. Generali, in omnibus ferè Capitulis Generalibus. Specialiter in cap.6. Romano 13. vbi dicitur; quòd poteſtas quæ ibi datur Reuerendiſſimo tunc exiſtenti, rehabilitandi quoſcumque Fratres, ex quacumque cauſa; talis eſt, vt rehabilitationes per ipſum factæ, à Capitulo Generali factæ intellígantur. Modò fiant cognita cauſa, iuxta Tridentinum ſeſſione vltima de Regularibus cap. 18. *Vide*, Vicarius Generalis.

*1584.* *1617.*

*Remißio Fratrum.*

*Vt puniēda.*

Superiores, qui Fratres in aliquem Conuentum, vel Prouinciam miſſos à Superioribus Prælatis, remiſerint; ſubiaceant pœnis inflictis Prælatorum authoritatem vſurpantibus. *c.*1 *Barch.*27. 1581.

*Renunciatio.*

*Quomodo fieri poſſit.*

Renunciare non poſſunt Religioſi, voci actiuæ vel paſſiuæ, ſine licentia: vndè, poſſunt cogi ad votandum, & acquieſcendum promotionibus de ſe factis. *cap.*1. *Barchin.*15. 1581.

Propositum fuit, 1. an liceat Fratri, renunciare iuri suo acquisito. *Acquiritur autem ius, per electionem, ante confirmationem, etiam Correctori, vt ostendimus, verbo,* Electio Correctoris. 2. an liceat renunciantem tali iuri; *id est, electioni, seu per electionem acquisito*; ad aliquod aliud Officium assumi, illicò post Renunciationem, dicta ipsius renunciatione admissa. *cap.* 5.
1593. *Valent.* 18. Responderunt Patres, licere Fratribus renunciare iuri suo, cum causa legitima, benè examinanda à Superioribus, antequàm admittatur Renunciatio. Qui verò alicui Officio renunciauerit, siue sit Collegatus Prouincialis, siue Generalis, siue Correctoris, *Officio scilicet*, non possint ad vllum Officium, in proximo festo Sancti Michaëlis immediatè sequenti eligi, nisi ad maiora. *Ibid.* 19.

*In hoc Statuto, ex contextu videtur pro eodem sumi, renunciare iuri acquisito per electionem, & renunciare Officio. Contrarium tamen (contra multorum grauium Patrum opinionem) declarauit Reuerendissimus (cui parendum) in confirmatione Collegatuum RR. PP. Stephani Sanceuerini, de quo in Conuentu Octauiani Prouinciæ Neapolitanæ, & Ioannis Antonij Maliuerni Theologi, & Prædicatoris iudiciosi, de quo*

*quo vide vitam R. P. Ioannis Francisci de Binans, in Historia Generali Ordinis lib.* 3. *Dicti enim Patres, in Correctores electi, suæ electioni antequàm confirmarentur renũciarunt: & postmodum in eisdem Capitulis, in quibus illorum Renunciationes fuerunt admissæ, in Collegas electi fuere, & denique à Reuerendissimo confirmati; ídque non subreptitiè, sed causa cognita, & coram illo variè exagitata.*

*Cæterùm præcedens statutum, omnino est Iuri conforme, vbi expressè prohibetur tenui beneficio renunciare ad pinguius obtinendum. c.* Si te, *de Renunciatione in 6. vbi dicitur.*

Si te præbendam, vel dignitatem, in aliqua Ecclesia proximò vacaturam, authoritate Apostolica expectante, aliquis præbendam, seu dignitatem tenuem obtinens in eadem, fraudulenter ei renunciet, vt illa primò sic vacante, præcludatur tibi via per consequens, ad obtinendum præbendam, vel dignitatem aliam pinguiorem, quæ per mortem alicuius, vel aliàs in ipsa Ecclesia creditur verisimiliter in proximo vacatura: per Renunciationem huiusmodi, dummodo de præmissa fraude appareat, saltem per aliquas probabiles coniecturas (*quæ ibi referuntur*) nullum tibi volumus obstaculum inter-

poni,&c.& *infrà*:Cæterùm ſi prædicto renuncianti huiuſmodi præbenda, vel dignitas pinguior forſitan conferatur: eò ipſo dicta fraus intelligatur eſſe probata: & idem renuncians, habita omnino careat,& ambita.*Hæc ibi.*

Iuxta declarationem Illuſtriſſimi D.N. Protectoris Cardinalis Aldobrandini, & Reuerendiſſimi Patris Generalis; Quicumque Fratrum noſtri Ordinis, ad aliquam Dignitatem, vel Officium fuerit aſſumptus; ſi illi renunciauerit, ad aliud æquale, vel ſuperioris qualitatis Officium, toto tempore à Regula Officio cui renunciauit præfixo, non aſſumatur: ita vt, nec Zeloſus, nec Collegæ Generales, in Prouinciales: nec Collegæ Prouinciales,in Correctores Locales:ſicut nec Prouinciales,in Collegas Generales:nec Correctores, Locales in Collegas Prouinc. ſi Officio renunciauerint, poſſint eligi: ſed toto reſiduo Officij tẽpore,ſubditi remaneat.*c.*3.*Barch.*63. *Vide*,Electio Correctoris.

*Patet Statutum iſtud fuiſſe factum, ad obſtandum Renunciationibus, quæ fraudulenter fieri poſſent, à renunciantibus vni Officio, vt alius quod magis appetunt obtineant. Non parua tamen oritur* difficultas *ſuper illis verbis*

*bis eiusdem Statuti* : Quicumque renunciauerit, *&c.* ad aliud æquale, vel Superioris qualitatis Officium toto tempore à Regula Officio cui renunciauit præfixo, non assumatur. *Licèt enim per hæc verba, præcludatur via fraudulentis Renunciationibus Zelosatus, vel Collegatus Generalis, quæ fieri possent ad effectum obtinendi Prouincialatum: & alijs in eodem statuto memoratis: non præcluditur tamen via Renunciationi Correctoriatus secundi anni Prouincialatus, quæ fieri posset ad obtinendum Correctoriatum tertij anni, quod multò maioris est momenti; cùm tertij anni Correctores, subsequentem eligant Prouincialem, non autem cæteri. Ex vi enim prædictorum verborum, videtur quòd qui renunciauit Correctoriatui secundi anni Prouincialatus, etiam postquàm per aliquot menses illum exercuit; possit, non quidem illo anno, sed illo reuoluto, ad alium Correctoriatum assumi, quod tamen nemo dicat. Itaque*

RESPONDEO PRIMO, *stando in terminis huius Statuti, per totum tempus à Regula præfixum Officio alicui, non solùm debere intelligi tempus quo tale Officium exercetur, sed etiam tempus subiectionis subsequētis, quod secum trahit: alioquin fraudaretur mens Regulæ conditoris. Si enim renuncians alicui Officio,*

*non posset ad aliud æquale, vel superius assumi, toto tempore à Regula Officio cui renunciauit præfixo: benè tamen transacto tali tempore: qui post decem menses renunciaret Correctoriatui, post duos alios in Correctorem posset eligi: cùm tamen ex Regula reuoluto sui Correctoriatus anno, ad minùs per annum subiici teneatur. Cùm ergo Correctoriatus secum trahat annum integrum subiectionis, existimo ex vi huius Statuti, illum qui renunciat Correctoriatui alicui, etiam in illius initio, non posse ad alium Correctoriatum assumi, non solùm toto anno talis Correctoriatus, sed etiam toto anno subsequenti qui est subiectionis: aliàs, non fuisset sufficienter prouisum fraudibus, quæ in huiusmodi Renunciationibus possent accidere.*

CONFIRMATVR, *quia ad illis prouidendum, finis Statuti de quo agimus est, vt nullum nouum ius acquirant renunciantes per Renunciationem, sed in eodem statu maneant, ac si non renunciassent. Vndè, cùm Zelosus, & Collegæ Generalis non possint in Prouinciales eligi ante quàm suis renuncient Officiis, sic nec postquàm illis renunciarunt: & ita de similibus, vt dictum Statutum legenti patet. At, qui est actu Corrector, non potest anno immediatè sequenti in Correctorē eligi, si Correctoriatui suo nō renunciauerit: ergo nec postquàm illi renūciauit.*

RESPON

RESPONDEO 2. *In hoc vltimo Statuto Capituli 3. Barchin. ne vel minimum quidem reperiri vestigium, reuocationis Statuti immediatè præcedentis Capituli 5. Valentinensis; quod expressè declarat & statuit, illum qui alicui Officio renunciauerit, etiam cum causa legitima, non posse ad vllum Officium in festo Sancti Michaëlis immediatè sequenti eligi, nisi ad maiora.*

*Atque hactenus dicta, valeant, non solùm ad aperienda quæ mihi visa sunt probabiliora; sed etiam vt Reuerendi PP. quorum intererit subsequentia celebrare Generalia Capitula, videant an clariùs explicandum sit dictum Statutum, ad præallatas fraudes præcauendas. Vt enim ingenuè loquar, nihil adductum in contrarium audiui, quod rationibus quibus mea sententia nititur, hactenus satisfaciat. Neque tamen me latet, aliquos, illósque graues PP. aliter sentire: confirmatúmque fuisse in Correctorem Mollinensem die decimanona Aprilis, anno 1632. ídque Reuerendissimo consulto, R. P. Antonium Simonnem, Theologum, & Prædicatorem, in Conuentu Mollinensi electum 15. Sept. immediatè præcedenti: non obstante Renunciatione, qua anno etiam immediatè præcedenti, Correctoriatui Belliregardensi (zelo sanè Religionis ductus, & ad maioris ponderis obeunda negotia)*

*negotia) renunciauerat, etiam confirmatus. Verùm, difficultatum quæ occurrunt exagitatio, legem non facit, vel infirmat iam factam; ſed faciendam requirit: vel iam factæ clariorem expoſtulat declarationem.*

*Reſponſoria.*

*Ad illa deputati.* Deputati ad prima, & ſecunda Reſponſoria dicenda, maneant in vltimis inferioribus ſedibus. *Vt cantanda.* Et quando volunt dicere breuia Reſponſoria horarum diei; vel verſiculos Matutinorum & Veſperorũ, ſi fuerit duplex feſtum, vadant ſimul ad medium Chori, modica tamen diſtantia inter eos habita: & facta ibidem reuerentia coram altari, ſimul incipiant breue Reſponſorium: deinde totus Chorus reſpondeat, repetẽdo idem Reſponſorium. Cùm verò ventum fuerit ad, *Gloria Patri*, Chorus ſe inclinet. Dicentes autem huiuſmodi Reſponſoria, nòn ſe inclinent, niſi finito, *Gloria.* Finito verò vltimo verſu breuis Reſponſorij huiuſmodi, ac facta coram altari, ac ſibi inuicem reuerentia cum profunda inclinatione, redeant ad ſedes proprias. *Cær.* 12.

*Reuelans.*

*Vt puniẽdus.* Secreta Ordinis de Ordine non exiſtentibus, etiam propriis parentibus, vndè

dè Fratri, vel Ordini infamia, vel damna
poſſint ſubſequi: præſertim quæ ad Fra-
trum punitionem, vel correctionem ſpe-
ctant, legitimè conuictus, per duos men-
ſes carceretur: & ſi bonum videtur, à
Conuentu in quo eſt amoueatur. *c.Tholoſ.* 1514.
71.*c.*2.*Rom.*33.*c.*4.*Valent.*63. 1517. 1571.

# S

## *Sacerdos.*

Ordinatus, nondum tamen celebrans, *Quis habilis.*
modo non ſit ob ignorantiam, eſt habilis
ad vtramque vocem. *cap.*1. *Barchin.*11. Per 1581.
ignorantiam autem, nunquam aut rarò;
ſibique aſſignatas certas Miſſas tantùm
celebrans, eſt priuatus voce paſſiua: nec
poteſt præfici ad Officia curam anima-
rum habentia, donec aliter didicerit. In
cæteris autem habilis eſt in omnibus. *c.*5.
*Genu.*12. 1584.

## *Sacrilegium.*

Si quis Sacrilegium perpetrauerit, & *Vt puniẽdum.*
rem per ipſum taliter ſublatam tandem
reſtituere non potuerit, perpetuis carce-
ribus mancipetur: niſi per aliquem Supe-
riorum Prælatorum, vel eorum Viceſ-
gerentium,

gerentium, indè miſericorditer liberetur. *Cor.* 14.

## *Sacriſta.*

*Eius Officium:* Infrà.

Summopere ſtudeat Sacriſta pulſare media nocte ad Matutinas, & Fratres ante primam pulſationem ad Officium Diuinum excitet, ad eorum cameras moderatè pulſando, cum virga, aut malleolo ligneo, vel aliàs, vſquequo vnuſquiſque de camera reſpondeat verbo, vel ſigno. Poſt dictam primam pulſationem, iterum ad ſingulas eorum cameras ſonet, vt cuncti ad nocturnum expergiſcantur Officium. *Cær.* 2.

*Socius ipſius.*

Ne Sacriſta nimia conſumatur vigilia, dabitur ſibi vnus Frater, qui pulſare habeat, *Aue Maria*, primam Miſſam, & ipſum Sacerdotem primam Miſſam celebraturum excitare, Eccleſiam aperire; altare, vinum & aquam, & alia huic Sacramento tam venerabili diligenter & charitatiuè præparare. *Ibid.* 8.

*Officium.*

Studioſam curam circa Euchariſtiæ cuſtodiam Sacriſta adhibeat, ne fortè per eius incuriam aliquid periculi indè contingat. Ad eum, de luminaribus Eccleſiæ cura pertineat: & Miſſarum celebrandarum meminerit, eas quibus voluerit diſtribuendo:

tribuendo:& tabulam Officiorum singulis hebdomadis componendo: oratoria, vasa, corporalia, & tobaleas; & alia Ecclesiæ, altaris, ac ministrorum ornamenta, munda & nitida custodiens. Omnia quæ ad eius Officium pertinent, prudenter, ac diligenter exerceat. *Ibid. 9. Vide*, Eucharistia.

## *Sanguinarius.*

*Vide*, Plagiarius.

## *Scriba.*

Debet esse de corpore Capituli, seu vnus ex eligentibus. *c. 4. Valent. 26.* *Vndè sumendus.* 1571.

Non potest esse is, qui est Generalis, Prouincialis, vel Corrector, in eorum Capitulis respectiuè. Vndè, vbi Scriba in Generalem, vel Prouincialem electus fuerit; statim de alio Scriba prouideatur. *c. 2. Auen. 7.* *Quis esse nequeat.* 1599.

## *Scrutator.*

Quatuor Scrutatores electi sunt, pro Scrutinio electionis Generalis à Reuerendissimo Cardinali Senogaliensi, vnà cum Vicario Generali. Inter quos nominantur dictus Vicarius Generalis & Capituli Scriba: quod omnium capitulantium approbatione fuit confirmatum. *c. 1. Rom. 16. Ex quibus colligi existimo, Superiores* 1507. *Quot eligendi.*

*in*

*in Capitulis suis respectiuè, & Scribas, esse Scrutatores natos: nec posse ipsis Scrutatoris officium denegari.*

Vnicus Scrutator cum Scriba, non sufficit. *c.2. Barch. num.* 17.

1602.

### *Secreta Ordinis.*

*Vide*, Reuelans.

### *Secularium negotia, Iudicia, Tribunalia.*

*Negotiis secularium se nō implicent Fratres.*

Nullatenus permittatur, quòd huius Ordinis Fratres personaliter se intromittant de quibuscũque processibus: nec de venditionibus & emptionibus: neque etiam tolerentur in Bancha, vel alibi, personaliter deponere pecunias aliquas: neque super his factas litteras, tangentes negotia quorumcumque de hoc Ordine non existẽtium. Cùm autẽ talia fieri opus fuerit, fiant de Capituli consensu per fideles Ordinis Procuratores; aut per Oblatos, vel aliquos speciales amicos, aut deuotos. Si quis verò contrarium fecerit, ab omni Officio perpetuò priuetur; nisi per Generale, vel Prouinciale Capitulum rehabilitetur, considerata ipsius qualitate. *Cor.* 46.

*Modificatio.*

Intellige, Fratres neque solos, neque proprio nomine; præterquàm in itinere defectu

defectu Oblatorum, vel deuotorum, pro quotidiano victu; vendere, vel emere poſſe: ſed benè per eorum Procuratores, ac deuotos & Oblatos, nomine domorum Ordinis: ita tamen quòd Fratres ipſi, dum hæc fient, ad conſenſum, vel diſſenſum ſuper huiuſmodi exhibendum, non ad mercandum, vel ad contractandum, præſentes eſſe poterunt. *Ita declarauit Cardinalis Senogalienſis, authoritate Apoſtolica.*

Non debemus acceptare ſecularium Iudicia; prohibetur enim ne quis poſſit ſuſcipere commiſſiones, cauſarum arbitria, ſeu Iudicia, ſiue exequutiones teſtamentorum, & aliarum rerum diſpenſationes: ſub pœnis ſuſpenſionis per ſex menſes, Superioribus; ſubditis verò, priuationis vtriuſque vocis per biennium. Et hoc, quia ex talibus ſolent ſequi odia, damna & ſcandala; Ordini & Fratribus. *cap.* 1. *Barchinon.* 13. *Vide,* Reformatio Monialium. 1581.

*Iudicia ſecularium, ne acceptemus.*

Recurrere, vel appellare ad ſecularium Tribunalia, prohibetur ſub pœna excommunicationis latę in Bulla Gregorij XIII. quam actis inſerendam receperunt Patres, in tota Religione obſeruandam. Nec ſolùm Fratribus & Sororibus noſtris; ſed

*Tribunalia illorũ vitemus.*

etiam Prouincialibus, & quibuſcumque Ordinis Superioribus, pro negotiis Fratrum huius Ordinis, quovis prætextu, illa quoquo modo adire prohibetur. Pœnæ autem prædictæ Bullæ, ipſo facto incurruntur: & ſunt latæ contra fautores directè vel indirectè. *Ibid.* 16.

*Sedes.*

*Vide*, Primogenitura.

*Seniores.*

*Illorum officium. Infrà.* In Seniores capitulariter aſſumpti, ſeu aſſumptæ; reſpectiuè ſuis Correctoribus, ſeu Correctricibus, conſilium, & auxilium, in cunctis ad hanc Regulam, & vitam quomodolibet ſpectantibus, maturè præbeant. *R.F.* 40. *R.S.* 29.

*Abſentiū loco, ſubſtitutio.* Quilibet Seniorum localium, vltra vnam diem foris remanſurus; Correctori priùs manifeſtet, quem de conſeniorum aſſenſu loco ſuo dimiſerit: alioquin, Correctoris arbitrio puniatur. *Cor.* 45.

*Qui & quomodo eligendi.* Seniores, qui & localium Correctorum Socij nuncupantur; illi ſemper intelligantur, qui moribus ac virtutibus præ cęteris pollentes, per locale Capitulum eligentur in præſentia proprij Vigilis, aut Prouincialis, vel alicuius ſuorum Viceſgerentium, vel de ipſorum conſenſu. Et cum

cum talibus Senioribus, ſua negotia maturè tractabit quilibet localis Corrector; consilium ab ipſis ſumendo, & cum eis conferendo, ſuper quibuſcumque libris, vendendis, vel emendis; & ſuper nouis veſtibus, ac ædificiis faciendis; & generaliter ſuper omnibus negotiis nouiter occurrentibus. Veruntamen non omittatur capitulare conſilium, vbi & quando idipſum haberi expedierit; provt in Regula & Correctorio expreſsè exprimitur. Ipſi verò Seniores, pro fideli manutentione Regulæ, & quatuor Votorum huius Ordinis, & Correctorij, fauorem & auxilium cuilibet Correctori præbeant, illi conſilium impertiendo, & ipſum benignè monendo. *Ibid.* 72.

*Consulẽdi.*

*Quando.*

*Officium illorum.*

*Negotia autem in quibus capitulare conſilium non eſt omittendum, in Regula & Correctorio expreſſa, ſunt hæc.* Oblatorum, & Oblatarum Officiorum minorum aſſignatio. *R. F.* 8. *R. S.* 8. Reparatio Eccleſiæ (*& à fortiori Conuentus*) Fratrúmque, ac Sororum ſubuentio, *quæ ſanè victum, veſtitum, & ſimilia reſpiciũt: in materia tamẽ notabili. R. F.* 24. *R. S.* 16. Punitio, grauis & violentæ percuſſionis. *Cor.* 6. Sanguinariorum ſine plaga, pœnitentiæ taxatæ

discreti, depositio. *Ibid.90.* Exitus Correctoris è Conuentu, Capitulo notificandus. *Ibid.112.* Et substitutio Collegæ, loco delegati à Prælato Superiore ad aliquem huius Ordinis Conuentum, visitandum. *Ibid. 113. In reliquis, non tenetur Corrector, vel Correctrix, ad Capitulare consilium postulandum; cùm (saltem quod aduerterim) in Regula, vel Correctorio non exprimantur. Quid autem significet,* Capitulare consilium, *quod in statuto de quo agimus non omittendum esse dicitur, explicuimus, verbo,* Pœnitentiæ, pag. 158.

Seniores, Correctoribus humiliter, vt decet, obediant: ac eis honorem & reuerentiam exhibeant: & suis in locis, Religionis ordine sedeant absque vlla præeminentia. Alias, sex mensibus vtraque voce priuentur: vel grauiùs puniantur, provt Superiori secundùm Deum videbitur. Si autem aliquando, Fratres in tales Seniores aliquos ineligibiles eligerent: tūc Generalis, ac Prouincialis, suique Vicesgerentes, super hoc debitè prouideāt, vnà cum Capitulo locali: & talibus Fratribus, pro sua indebita electione, pœnitentiam iniungant salutarem. *Ibid.74. Vide,* Correctör. Socij Prælatorum.

*Correctores venerentur.*

*Sedes illorum.*

*Electio ineligibilium.*

## Seræ.

*Ipsas violantium pœna.*

Quarumcumque portarum, fenestrarum, vel arcarum Seras; violare, & furtiuè aperire: prohibetur sub grauissimis
1514. pœnis, ad arbitrium Superioris. *c.Thol.*73.
*c.*2.*Rom.*32.
1517.

## Sigilla.

*Conuentualia.*

Conuentuale Sigillum, conseruabitur in arca, duabus duntaxat clauibus per locale Capitulum distribuendis, quarum nullam teneat Corrector localis: sed ipsas teneant duo Fratres per dictum locale Capitulum ad hoc ipsum specialiter electi. Recondatur verò arca ipsa in pecuniarum capsa, quatuor clauaturis claudenda. *Cor.*98. *Dicitur autem ibi, quòd hoc Sigillo sigillandæ sunt litteræ, quæ ex parte localis Capituli ad Prælatos Superiores diriguntur: Correctorem verò & quemcumque Superiorem suo nomine scribentem, vel obedientiam dantem; sigillare debere suas litteras; & obedientias Sigillo proprio: litteras verò à Correctore, & ipsius Conuentu simul alicui scriptas, vtroque sigillandas esse Sigillo. Ex quibus patet, Beatum Patrem supponere, in quolibet Conuentu duo Sigilla debere haberi; vnum Conuentuale, aliud Correctoris, seu Correctoriale: primum, cum maxima*

*cautela*

*cautela conseruandum; aliud in Correctoris manibus relinquendum.*

Cuncti falsificatores Sigillorum huius Ordinis Superiorum, vel aliorum quorumcumque Prelatorum, aut Principum, vel Dominorum, seu Dominarum; duobus mensibus incarcerentur, & capitulari voce per annum priuentur: vel grauiùs puniantur, per aliquem Superiorum Prelatorum, vel suorum Vicesgerentium; considerata grauitate, ac excellentia status, conditionis, & gradus, cuiuslibet talium Dominorum, vel Dominarum, *Ibid.* 99. *Falsificantium pœna.*

*Signum.*

Vbi Fratres Ecclesiam fuerint ingressi ad cantandum Diuinum Officium; Hebdomadarius, vel qui supplet vicem illius, faciat Signum propria manu, vt omnes apertè audiant; & surgentes dicant secretò, *Pater noster*, &, *Aue Maria.* Quibus dictis, Hebdomadarius reiteret Signum; & incipiat, *Deus in adiutorium. Car.* 11. *Quando, & quomodo faciendum.*

*Silentium.*

Vt omnibus Fratribus & Sororibus potior orandi detur occasio, moneantur, quatenus sollicitè dent operam Euange- *Cur institutum.*

 lico

*Vbi & quando seruãdũ.* lico Silentio: ita quòd, in Ecclesia, Claustro, ac Dormitorio omni tempore: in Refectorio verò, in prima & secunda mensis: & à Completorio vsque ad Primam, Silentium seruare studeant. Aliàs, *Quomodo.* submissè, ac religiosè loqui studentes. Nihilominus tamen, si quid in ipsis teporibus, aut locis Silentio dedicatis, necessariò loquendum contigerit, verbis paucis, ac demissis, quæ dicenda fuerint, breuiter concludantur. *R.F.* 36. *R.S.* 26.

*Frangentium pœna.* Si quis aliquando in prima, vel secunda Refectorij mensis, siue in Cœna fregerit Silentium: quod, iuxta præsentem declarationem, dictis refectionibus durantibus erit obseruandum: Correctoris arbitrio puniatur, primitùs pensata talis delicti grauitate. *Cor.* 59.

*Etiã Correctorum.* Insuper, prouideatur quòd Correctores locales, in Refectorij communitate, inter manducandum vix loquantur. Vbi verò ipsis quidquam dicendum contigerit, illud ante signum refectionis breuiter dicant. Si autem in ipsa Refectorij communitate, quidquam necessariò dicendum occurrerit; idipsum succinctè referant, ne de mensa Refectorij sedem faciant Capituli. Si quis verò Correctorum con

contrarium fecerit, iuxta delicti exigentiam corrigatur per aliquem Superiorum Prælatorum, vel suorum Vicesgerentium. *Ibid.* 60.

*Socij Prælatorum.*

Vocantur Collegæ. *R.F.* 45. *vbi dicitur*, Fiat Fratrum huius Ordinis Generalis Congregatio; ad quam singuli Vigiles, & Prouinciales, cum suis Collegis, seu Sociis, &c. capitulariter conueniant. *Et in Correct.* 97. *vbi dicitur*; Singuli Prælati, non habito suorum Collegarũ consensu, &c. *Licèt ergo denominatio ista non reperiatur alibi in Regula, vel Correctorio, quia tamen vsitatior est in Capitulis Generalibus, & per vniuersum Ordinem, ideò ferè omnia quæ de Prælatorum Sociis dicenda erant, attuli, verbis*, Collega. Collega Generalis Collega Prouincialis. *quæ ibi vide, paucis infrascriptis exceptis. Vide etiam, verbo*, Capitulum Generale, *quò ad præcedens statutum Regulæ* 45. *Collegæ.*

Nulla speciali authoritate, neque præeminentia fulgeant, Socij Prælatorum: nisi per eorum Prælatos, ad aliqua huius Ordinis loca, in actu visitandi delegati forent. *Cor.* 104. *Illorũ authoritas, & præeminẽtia.*

Ad huius Ordinis loca diuertentes, benignè tractentur: & Correctoris Gene- *Receptio* *Subiectio.*

 ralis,

ralis, aut proprij Vigilis, & Prouincialis obedientiæ duntaxat ſubdantur. *Ibid.* 113. *Vide*, Pœnitentiæ. Seniores. Viſitator.

*Solus.*

Oblati, de Correctoris licentia Soli ambulare licitè valebunt. *R.F.* 17.

Huius Ordinis Fratres, cum ſuorum Superiorum licentia, bini, & bini extra Conuentum proficiſcantur. *Ibid.* 19.

Solus incedere, nullus Sacerdos, Clericus, aut Laïcus poteſt; etiã cum Oblato, extra Conuentũ; abſque magna, euidẽti,
1511. vrgẽtíque neceſſitate. *c. Turon.* 32. *c. Thol.* 60.
1517. *Quia ſcil. tũc extra Galliã Oblati erãt abſque caputio. Vndè ſtatutũ hoc, quò ad illos, nunc ceſſat.*

Fratres, ſoli non incedant, quocumque
1593. prætextu non obſtante. *c.* 5. *Valent.* 20.

*Hoc Statutum modifica cum modificatione præcedentis, ſcilicet*, Abſque magna, euidenti, vrgentíque neceſsitate: *hæc enim Legi non ſubiacet, & ſæpè occurrit apud nos, varias ob cauſas; quas vt ſatis notas afferre, ſuperuacaneum puto. Hanc neceſſitatem præuidens Beatus Pater, nullam pœnitentiam in Correctorio taxauit iis qui ſoli ambulant: quod non niſi vrgente neceſſitate fit. Quis enim mente ſanus Socium viæ, & laborum leuamen reſpuet, ſi ipſius arbitrio relinquatur illius acceptatio?*

*Spurij*

### *Spurij & Adulterini.*

Possunt à Superioribus Prælatis, & eorum Vicariis, dispensari ab irregularitate, ex nostris Priuilegiis. Non admittantur tamen ad Officia curam animarum habentia, nisi patentes litteras eorum dispensationis habeant. Cæterùm, dispensatus circa dignitatem inferiorem, non intelligatur dispensatus circa superiorem: nisi in dispensatione de illa facta fuerit expressa mentio. *c.* 5. *Genu.* 4. 1584. *Dispēsatio illorum.*

### *Statuta.*

In posterum, vlla Statuta componere, vel innouare; seu etiam componi, aut innouari facere; neque quivis Superiores, neque subditi, aut subditæ; quovis modo præsumant. *R. F.* 52. *R. S.* 34. Intellige, de Statutis contra Regulam, in toto, vel in parte venientibus, seu à Regulæ Statutis deuiantibus. *Ita declarauit Cardinalis Senogaliensis, authoritate Apostolica.* *Non condenda, vel innouanda.* *Modificatio.*

Perpetuis futuris temporibus illibatum maneat Correctorium: ita vt de cætero nulla pœnalia Statuta vbiuis confici valeant: nisi fortè, de speciali duarum totius Capituli Generalis partium, consilio, & assensu: quibuscumque cæteris pœnalibus *Pœnalia vt condēda.*

bus Statutis, hucusque vbilibet factis, penitùs abrogatis. *Cor.* 58.

*Quando, & vbi legenda.* Mandatur, quòd saltem quater in anno, coram Fratribus in Capitulo, vel alibi, seclusis Nouitiis, Statuta Capitulorum Generalium integrè legantur; ne quis ignorantiæ prætendat velamen. Aliàs, Corrector negligens disciplinam sumat,
1523. & grauiùs puniatur. *c.* 3. *Rom.* 23. *c.* 1. *Genu.*
1532. 1638. 39. *c.* 1. *Bonon.* 40.

*Quæ, & quandiù durant. infrà.* Per Statuta Generalia, vel Prouincialia, intelliguntur ea quæ à Generalibus, vel Prouincialibus ipsis facta fuerunt: quę donec ab eorum Capitulis, vel successoribus fuerint reuocata, durant; etiam ela-
1544. psis eorum officiis. *cap.* 2. *Bonon.* 7. *cap.* 1.
1547. *Foroiul.* 18.

*Quomodo fieri debent, & quandiù durant.* Statuta Generalia & Prouincialia, fiant de consilio, & assensu Collegarum, si adsint: vel eis substitutorũ in casu absentiæ. Fiant non in destructionẽ, sed in ædificationem. Et habeant vim donec abrogẽtur

*Vt publicanda.* per Superiorẽ succedentẽ. Cùm primùm autem facta fuerint, si sint Prouincialia, dentur Correctori, qui manifestet ea suo Capitulo, capitulariter: vel hoc faciat ipse Prouincialis. Si verò sint Generalia, dentur Prouinciali antequã Generalis exeat à Pro

à Prouincia; qui Prouincialis, ea manifestari faciet omnibus, & singulis Capitulis localibus suæ Prouinciæ. *c.1.Foroiul.*18. 1547.

*Statutorum liber habẽdus.*

Mandatur singulis Prouincialibus, & Correctoribus, vt in singulis Conuentibus Statutorum liber habeatur in communi: & à singulis etiam Fratribus in speciali, qui voluerint; ne quis velamẽ ignorantiæ suæ legis prætendat. Qui liber communis, custodietur in capsa quatuor clauium. *cap.3 Rom.*22. *cap.4.Valent.*67.*c.7. Rom.*37.

*Vbi seruandus.*

1523.
1571.
1623.

*Ad quæ obligent Statuta.*

Statuta Capitulorum Generalium, & Superiorum Constitutiones, non obligant ad culpam, cùm non habent præceptum annexum formaliter factum; puta, in virtute Spiritus Sancti, vel in virtute Sanctæ Obediẽtiæ, vel sub pœna excommunicationis, vel non sunt facta per verbum, *mandamus*, seu, *præcipimus*; & id quod est in eis, non est aliàs lege Diuina, aut humana prohibitum, vel mandatum. Obligant ergo tantùm ad pœnam in eis taxatam, eo modo quo Regula. *c.4.Genu.*22. 1574.

*Sed ad quam culpam obligent, cùm ad illam obligant, non explicatur. Dicendum ergo, obligare Statuta sub mortali, cùm in illis habetur,* In virtute Sanctæ Obedientiæ, *vel,* In virtute

tute Spiritus Sancti, *vel*, sub pœna excommunicationis, *licèt non addatur*, latæ sententiæ. *Vsu enim communi receptum est, Superiores intendere obligare sub mortali, quādo aliquo ex prædictis modis præcipiunt, vt docent D.Thom.2.sent.d.44.quæst.2.art.3. Caiet. 2.2. quæst.186.art.9. Toletus in tractatu de septem peccatis mortal. & est communis. Quando verò Superiores simpliciter præcipiunt, seu vtuntur verbis præceptiuis (de quibus in Statuto de quo agimus) non obligant ad mortale, sed tantùm ad veniale. Ita Peirinis, de Subdito, quæst. 1.c.5.§.4.post Lessium l.2.de Iustit.c.41.dubio 9.num.76.versu 3.& Roderig.tom.1.qq.Regul. quæst.66.art.4.*

*Quando obligent.* Vt multitudo constitutionum vitetur, determinatum est, quòd quæ fient de cætero Constitutiones à Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, priusquàm habeant vim Statuti, per tres annos continuos probentur. Quòd si in Capitulo primi triennij expedire probata fuerint, ob maiorem certitudinem secūdò, & tertiò probabuntur: cùm per nouē annos facilè cognosci possit an vtilia sint Ordini. Et si sic acceptata fuerint, sortiētur vim Statuti permanētis. Quæ si minùs vtilia deprehensa fuerint, tolli poterunt. *c.*1.*Barchin.*3. 1581.

*Hoc Statutum in duplici sensu potest intelligi. Primò, vt intendat Statuta nullius esse vigoris, & secundùm illa nos non posse iudicari, illa denique nullam inducere obligationem, nisi à tribus Capitulis per nouem annos fuerint stabilita, vel confirmata. Secundò, vt obligent quidem statim, ac sunt facta, non sint tamen ita permanentia donec à duobus Capitulis subsequentibus fuerint approbata, quin de facili rescindi poßint, & reuocari. In primo sensu, Statutum istud non est in vsu; iudicamur enim secundùm Statuta Capitulorum Generalium, quæ in vnico Capitulo Generali sancita fuere: nec inquirunt Iudices, an illa Statuta à subsequentibus Capitulis sint confirmata: nec audirentur ij contra quos eadem Statuta faciunt, si hanc exceptionem afferrent; quod quotidiana probat experientia. Præterea, vix vlla habemus Statuta, etiam à Capitulo 1. Barchinonensi, quæ confirmata fuerint iuxta præscriptum Statuti de quo agimus. Dicere autem Statuta omnia post illud Capitulum edita, quæ non habent dictam confirmationem, esse nulla; est communi Religiosorum sensui, & praxi quotidianæ in iudicando, &c. penitùs aduersari. Denique, Statutum istud seipsum destruit, & reuocat: ab vnico enim est editum Capitulo, nec ab aliquo subsequentium Capitulorum confirmatum. In secundo verò sensu, est in*

vsu

*vsu idem Statutum. Et hunc sensum genuinum esse ideò mihi persuadeo, quia in fine præcedentis Statuti habetur*; Si, *Statuta*, sic acceptata fuerint, sortientur vim Statuti permanentis. Quæ si minùs vtilia deprehensa fuerint, tolli poterunt. *Non enim dicitur simpliciter*, habebunt vim Statuti; *sed*, Statuti permanentis. *Nec*, sublata erunt, vel annullata; *sed*, tolli poterunt. *Non quòd Statuta, etiam à tribus Capitulis edita, tolli & reuocari non possint à Capitulis subsequentibus; sed quia non ità facilè sunt reuocanda sicut cætera, quæ ab vnico, vel duobus duntaxat edita Capitulis, nec subsequentium authoritate firmata, licet sortiantur vim Statuti simpliciter, sunt tamen, vt ita loquar, reuocabiliora. Cæterùm, mihi ipsi parùm fidens, difficultatem istam ab aliquo Capitulorum Generalium desiderarem clariùs explicari.*

*Imprimantur.* Statuta nostra ad breuiorem formam redacta, imprimantur: detractis quæ faciunt ad infamiam particularium, si quæ
1581. sint. *c.* 1. *Barchin.* 4. *c.* 5. *Genu.* 32. *c.* 2. *Auen.* 6.
1584. *cap.* 2. *Barchin.* 30. Quæ sunt contra Iura.
1599. *c.* 6. *Genu.* 29. Demptis denique contrarie-
1601. tatibus: & si quæ essent, quæ non verge-
1596. rent in Religionis ædificationem. *cap.* 5.
1587. *Rom.* 9. *c. Massil.* 48. *c.* 7. *Rom.* 37.
1611.
1623.

*Optimè statuitur detrahenda esse à Capitulis*

*Gene*

*Generalibus, quæ ſunt contra Iura, ſi talia in ipſis reperiantur. Capitulum enim Generale (& multò minùs alij Superiores) non poteſt Statuta condere contra Ius commune, vt aduertit Peirinis ſuprà Conſtitutionem Pyrrhi, §.4. ex Nauarro lib.1. Conſiliorum, de Regul. Conſil. 26. num. 4. Panormitano in cap.* Quod ſuper his, *de Maioritate, & obedientia. Ioanne Andrea cap. fin. de appellat. in 6. à num. 9. & aliis. Quibus addo Bullam prædicti Pyrrhi quæ incipit,* Decet, *ſub datum in Caſtro Archiepiſcopali Sancti Lucidi, anno 1471. vltima die Nouembris: confirmatam ex certa ſcientia à Sixto IV. per ſuam Bullam, quæ incipit,* Sedes Apoſtolica, *ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſexto Kalend. Iunij 1474. & alios omnes ſucceſſores Summos Pontifices, qui prædeceſſorum ſuorum priuilegia nobis conceſſa confirmauerunt. Dicitur autem in prædicta Bulla Pyrrhi;* Poteſtatem & authoritatem damus tibi, (*Beati Patri ſcilicet Franciſco de Paula*) Ordinationes, & Statuta, à Iure tamen Diuino, & Sanctorum Patrum inſtitutionibus non deuiantia, faciendi. *Addo prætereà Bullam R.D. Epiſcopi Therdonenſis, quæ incipit,* Vniuerſitati, *ſub datum Romæ anno 1517. 28. Iunij, qua declarat vt teſtis auritus & oculatus, Reuerendiſſimum D. Bernardinũ, Cardinalem tit. Sanctæ Crucis,*

*Protectorem, in Capitulo 4. Generali statuisse, quod*, In sequentibus Generalibus Capitulis, de communi totius Generalis Capituli, aut saltem duarum eiusdem Capituli partium consensu, ad decorem, & quietem Ordinis, licitè poterunt fieri aliqua noua Statuta & Ordinationes, quæ non sint contra Regulam, & Correctorium. *Hoc Decretum est Regulæ valdè conforme, in qua habetur, num.* 19. Huius Ordinis Fratres, in cunctis quæ suæ animæ, & huic Sacræ Regulæ non aduersantur, suis Superioribus humiliter obediant. *Addo denique Bullam Pauli III. quæ incipit*, Sinceræ deuotionis. *Sub datum Romæ apud Sanctum Petrum, 27. Martij 1536. in qua Summus Pontifex confirmat acta Capituli Paulitani, eiusque Statuta, Decreta, &c.* Licita tamen & honesta, & sacris Canonibus non contraria. *Ex quibus Bullis, vt & ex similibus, euidenter colligitur mentem Summorum Pontificum, sicut & Beati Patris, esse, vt Statuta nostrorum Capitulorum Generalium non sint contra Iura, nec contra Regulam, vel Correctorium, quæ sunt particulare Ius Religionis nostræ.*

*Potest ergo Capitulum Generale Constitutiones Iuris communis declarare, innouare, & vbi pœna deficit, apponere; vel veterem pro aliqua*

*ratio*

*rationabili causa augere: quod non est Ius commune subuertere, sed adiuuare. Potest etiam ad emendandos mores, Ius commune supplendo, Statuta facere præceptoria, prohibitoria, atque pœnalia: & hoc modo facta Statuta, sunt Apostolica authoritate confirmata, per priuilegium Clementis VII. Congregationi Clericorum Regularium, & Pauli III. Societati Iesu concessum. Potest etiam eodem modo Ius commune iuuando, pœnas apponere transgreßionibus Iuris Diuini, & Naturalis. Quæ omnia, non solùm potest facere Capitulum Generale, sed etiam Prouinciale: imò, non solùm Generalis, vel Prouincialis, sed etiam Corrector (omnia prædicta fusè docet, & authoribus comprobat Peirinis, vbi supra.) Statuta autem condere contra Ius commune, Diuinum, Naturale, vel Canonicum; contra Regulam, vel Correctorium, Superiores quicumque, non possunt, nec Capitulum Generale.*

Statutorum ad breuiorem formam redactorum (consultis viris peritissimis, & in rebus arduis Illustrissimis Cardinalibus Sacri Consilij interpretibus) Confirmatio petatur à Sanctissimo, *c.* 5. *Rom.* 9.

*Cōfirmatio Statutorum.*

*Studentes. Studium.*

*Subiectio & priuilegia illorum.*

Studentes Correctori subdantur. *cap. Malach.* 6. *c.* 4. *Valent.* 6. *c.* 5. *Rom.* 5. A Correctore tamen in Conuentus negotiis ita

1526. 1571. 1587.

 discretè

discretè occupentur, quòd lecturas sine magna & vrgenti necessitate non omittant. *c. Malach. 6.*

1587. *Exēptio à Choro.* Diebus Dominicis & Festis duplicibus debent omnes adesse Diuinis Officiis: aliis autem, Vesperis. Item, diebus Dominicis, Missæ maiori. *c. 1 Bonon. 19. c. 1. Val. 26.*

1538. 1541. *Vniuersitatū frequētatio.* Licèt autem illis permittatur, vt petita benedictione, ad actus Vniuersitatum ire possint: hoc tamen intelligatur de capacibus, & citra abusum: quod Superiori iudicandum relinquitur. Qui si sub hoc prætextu discurrentes inueniat, puniat illos acriter, ad aliorum exemplum. Poterítque, sicut ingratos suis beneficiis priuare: ita & benemeritis ampliora conferre. *c. 1. Valent. 26.*

1541. *Negligētes. Studium.* Fratres Studio destinati illud negligentes, puniantur pœnitentia panis & aquæ, pro prima vice: & ad illud frequentandum benignè moneantur. Post trinam autem monitionem, interuallis temporum debitè factam; si contempserint, vtraque voce per annum priuentur; & faciant coquinā cæteris Fratribus per mensem. *Corrector studium destruēs.* Si verò Corrector Studium destruxerit, trina vice in Capitulo ad ipsius Studij reintegrationem diligenter admoneatur.

tur. Quòd si contempserit; ab Officio per mensem suspendatur. *c. Malach.6.* 1626.

Qui sibi concessis priuilegiis abvtuntur, à Prouinciali de suorum Collegarum consilio acriter puniantur. Poteruntque, nisi emendentur, Studendi commoditate penitùs priuari. *c.1. Valent.22.* 1541.

*Abutentes priuilegiis Studentium.*

Generalis quos voluerit potest Studio assignare: & à Capitulo Prouinciali, vel à se assignatos, iusta de causa ab eo amouere. *c.4. Valent.7.* 1571.

*Assignādi. Amouendi.*

Studentes non possunt in Superiores eligi; ne studium interrumpatur. *cap. 2. Auen.16.* 1599.

*Ineligibiles.*

Prouinciales negligentes iuuenum Studia, suis Officiis priuentur. *c. 3. Rom. 16.* 1523. *c. Malach.6. c. Gratianop.21. c.1. Valent.7. c.2.* 1526. *Auen.16.* 1529. 1541.

*Prouinciales.*

Ad Studia admitti solùm debent qui sunt bonæ indolis, à Capitulo Prouinciali deligendi. *cap. Paulit.18. cap.4. Valent.7. c.2.* 1599. 1535. 1571. *Auenion.16.* 1599.

Qui voluerint studere Parisiis, Salmanticæ, vel alibi, cum obedientia Generalis; pensionem soluant: ne Conuentus vbi sunt Studia, grauentur: & vt Studentium immunitatibus possint vti. *c. Paulit.18. c.1.* 1535. *Bonon.17. c.2. Auen.30.* Hæc autem pensio, 1538. 1599.

*Pensio.*

eſt pro ſingulis annis viginti aureorum. *cap.2.Auenion.30.Vide*,Prædicator.

*Hæc penſio, ſaltem in Gallia, non ſoluitur; nequidem à Religioſis aliarum Nationum, quos in noſtro Auenionenſi Collegio Charitatis, in Prouinciis etiam Lugdunenſi, Pariſienſi, & aliis, non paucos vidi. Communibus enim Conuentus bonis, abſque delectu, omnibus prouidetur Studentibus, quò ad victum, veſtitum, medicamenta, candelas, & ſimilia. Si verò Studentes prædicent, ipſorum prædicationum eleemoſynæ cum communibus Conuentus eleemoſynis confunduntur. Non ſunt etiam in vſu in eadem Gallia, prædictæ exemptiones à Choro: ſicut nec Studentium aſſignationes à Capitulis Prouincialibus; illos enim ſolus Prouincialis cum Collegis aſſignat.*

*Matutinæ Horæ.* 1514. Cùm Matutinis Horis intereſſe non debebunt, illas in aliquo loco deputato cum ipſorum Lectore perſoluant. *c.Tholoſ. 42. Quod autem ibi additur, quòd Studentium Lector, ſeu Præceptor, in Correctorem nullatenus aſſumi valeat, eſt Iuri valdè diſſonum. Neque enim Lectores, qui plus aliis laborant, debent eſſe deterioris conditionis, niſi ipſi conſentiant: dicente Apoſtolo 1.ad Timoth.5. verſ.17.* Qui benè præſunt Preſbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant

borant in verbo, & doctrina: dicit enim Scriptura, Non infrænabis os boui trituranti. *Ideò hoc Statutum quod Lectores arcet à correctoriatu, per totam Galliam exoleuit.*

Prouidebunt autem sibi Studentes de vestimentis, & libris, armísque scholasticis: de cætero verò, prouidebit eis Conuentus in quo studebunt, sicut & cæteris Fratribus Localibus; tam incolumitatis, quàm infirmitatis tempore, etiam de medicamentis. Dabuntur etiam eis tot candelæ, quot solent cæteris dari. *cap.* 1. *Bonon.* 18. 1538.

*De quibus sibi prouidebunt.*

Nullatenus permittatur Studentibus, pecunias habere in alterius cuiusvis dispositione, preterquàm Correctoris: ita vt, ad ipsum Correctorem pecuniæ mittantur, pro Scholasticorum necessitatibus: vt sciat in quibus expenduntur: sicut fieri solet de aliis Conuentus pecuniis. Quòd si quis inuentus fuerit habere pecunias alibi, & alio modo quã hîc scribitur: tanquã proprietarius puniatur. *c.* 1. *Valent.* 23. 1541.

*Pecunia ad illos missæ, vt dispẽsandæ.*

Studium in Conuentu Paulæ debet obseruari: & pecuniæ ab Illustrissima D. Isabella de Toledo Ducissa Castrovillarum, pro studio datæ, in solam Studentium vtilitatẽ sunt conuertendę. *c.* 4. *Val.* 5. 1571.

*Studium Conuent. Paulæ.*

*Hispanarum.* Pecuniæ quæ Granatæ habentur, arbitrio Prouincialium expendendæ: & hortus qui à Patre Castro Religioni est dicatus, non nisi in sumptus Scholasticorum Theologorum expẽdantur: sub priuationis pœna ipso facto incurrenda, si in alios vsus, Prouinciæ Granatensis Prouincialis, conuerterit: & Scholasticis, alimenta necessaria ab ipsa Bethica Prouincia colligenda, non præstiterit. *Salmanticense. Complutense.* In Collegio autem Salmanticensi, vel Complutensi, Scholastici Theologi prędictæ Prouinciæ habitent: & Theologiæ, per quadriennium, vel triennium ad minus, incumbant. Mandantes in meritum Sanctæ Obediẽtiæ, & sub pœna priuationis, Prouinciali, & Patribus Prouinciæ Castellæ, nunc, & pro tempore existentibus; vt in nullo aliquam inferant molestiam, seu grauamen Scholasticis; sed in omnibus eos habeant immunes. *Ibid.* 6.

*Studẽtes Prouinciæ Calabriæ.* Tres iuuenes Prouinciæ Calabriæ, à Capit. Prouinciali eiusdem Prouinciæ deligendi, & à R.P. Generali confirmandi, admittendi sunt ad studia, quæ in 1587. Conuentu Paulitano fient. *c.* 5. *Rom.* 5.

*Subiectio.*

*Correctorum.* Correctores Locales, reuoluto sui Correcto

rectoriatus anno, ſemper ad minus per annum ſubiecti remaneant: niſi per Capitulum Prouinciale, vel Generale ad altiora officia nouiter eligerentur. Cæteri autem Superiores quicumque, tanto ſaltem tempore, quanto illi priùs Prælati extiterint, poſtea ſubiecti manebunt: niſi etiam ipſi, ad altiora officia de nouo eligerentur. *R. F.*49. *Superiorũ Pralatorum.*

Prælatæ, *ſeu Correctrices*; Officiorum ipſarum triennio finito, ſibi commiſſis Prælationis Officiis, humiliter renunciēt. Et ſaltem pro triennio immediatè ſequenti, Officio careant, & ſubditæ remaneant. *R.S.*32 *Correctricum.*

Si Correctorr eligatur in Prouincialem, & è Prouinciali in Generalem: ſufficit talem eſſe ſubiectum per ſpacium trium annorum (*ſupponitur Generalem eſſe triennalem*) quia permittitur in Regula, quòd tales poſſunt aſſumi ad talia officia, cùm dicitur: Niſi ad altiora officia nouiter eligerentur. *c. Turon.*35. *c. Tholoſ.*62. *Vide*, Prælatus, Vicarius. *Ad altiora electorum.* 1511. 1514.

*Superiores*

Huius Ordinis Fratres & Sorores ſuos Superiores humili affatu, ac reuerentiali geſtu venerentur. *R. F.* 19. *R. S.* 15. *Honorãdi.*

*Hispanarum.* Pecuniæ quæ Granatæ habentur, arbitrio Prouincialium expendendæ: & hortus qui à Patre Castro Religioni est dicatus, non nisi in sumptus Scholasticorum Theologorum expẽdantur: sub priuationis pœna ipso facto incurrenda, si in alios vsus, Prouinciæ Granatensis Prouincialis, conuerterit: & Scholasticis, alimenta necessaria ab ipsa Bethica Prouincia colligenda, non præstiterit. In Collegio autem Salmanticensi, vel Complutensi, Scholastici Theologi prędictæ Prouinciæ habitent: & Theologiæ, per quadriennium, vel triennium ad minus, incumbant. Mandantes in meritum Sanctæ Obediẽtiæ, & sub pœna priuationis, Prouinciali, & Patribus Prouinciæ Castellæ, nunc, & pro tempore existentibus; vt in nullo aliquam inferant molestiam, seu grauamen Scholasticis; sed in omnibus eos habeant immunes. *Ibid.* 6.

*Salmanticense. Complutense.*

*Studẽtes Prouinciæ Calabriæ.* Tres iuuenes Prouinciæ Calabriæ, à Capit. Prouinciali eiusdem Prouinciæ deligendi, & à R.P. Generali confirmandi, admittendi sunt ad studia, quæ in
1587. Conuentu Paulitano fient. *c.* 5. *Rom.* 5.

*Subiectio.*

*Correctorum.* Correctores Locales, reuoluto sui Correcto

rectoriatus anno, semper ad minus per annum subiecti remaneant: nisi per Capitulum Prouinciale, vel Generale ad altiora officia nouiter eligerentur. Cæteri autem Superiores quicumque, tanto saltem tempore, quanto illi prius Prælati extiterint, postea subiecti manebunt: nisi etiam ipsi, ad altiora officia de nouo eligerentur. *R. F.* 49. *Superiorũ Prælatorum.*

Prælatæ, *seu Correctrices*; Officiorum ipsarum triennio finito, sibi commissis Prælationis Officiis, humiliter renunciẽt. Et saltem pro triennio immediatè sequenti, Officio careant, & subditæ remaneant. *R. S.* 32. *Correctricum.*

Si Corrector eligatur in Prouincialem, & è Prouinciali in Generalem: sufficit talem esse subiectum per spacium trium annorum (*supponitur Generalem esse triennalem*) quia permittitur in Regula, quòd tales possunt assumi ad talia officia, cùm dicitur: Nisi ad altiora officia nouiter eligerentur. *c. Turon.* 35. *c. Tholos.* 62. *Vide*, Prælatus. Vicarius. *Ad altiora electorum.* 1511. 1514.

*Superiores*

Huius Ordinis Fratres & Sorores suos Superiores humili affatu, ac reuerentiali gestu venerentur. *R. F.* 19. *R. S.* 15. *Honorandi.*

*Qualitates requisitæ in illis.*

Huius Religionis vitæ regimini intendentes cæteris in victu ac vestitu se iuxta posse conforment. Et virgam cum manna, ac oleum cum vino; id est, iustitiam cum misericordia, & econtrà in eorum correctionibus prouidè adhibeant. Et quoniam experientiæ defectu, illi qui priùs tentationis bella expertus non fuerit, vel discipulum non se nouerit, Correctoris, vel Correctricis onus subire, Congregationísque curam suscipere non expedit: ea propter, nullus in hoc Ordine præficiatur, nisi ad minus per triennium in hoc ipso Ordine, iam professus laudabiliter vixerit. Nec etiam post ipsum triennium hoc idem facere quisquam valeat, demptis solis Presbyteris tantùm, in hoc Ordine professis, & vigesimum quintum annum ad minus attingentibus: nisi Generalis, vel Prouincialis Capituli consensu interueniente. Nulla etiam Sororum præficiatur, nisi saltem, per biennium, in hoc Ordine iam professa, laudabiliter vixerit: & vigesimum quintum annum ad minus attigerit. *R.F.*39. *R.S.*28.

*Cõtrauenientium pœna.*

Si quis Correctorum Localium, in victu, aut vestitu communitati non se cõforma

formauerit: sed in talibus, aliqua singularitate notabili, & onerosa, specialiter notatus fuerit, à talibus abstinere moneatur per suos Socios, Seniores nuncupatos. Vbi verò Seniores ipsi, super hoc negligentes essent: per Capitulum Locale super his moneatur talis corrector. Si autem ipse Localis Corrector, taliter super his admonitus, non se Correxerit: puniatur per aliquem Superiorũ Prælatorum, vel suorum Vicesgerentium. Si verò aliquando Generalis Corrector, vel Vigiles, aut Prouinciales, vel sui Vicesgerentes; tali singularitate notabili, alicubi specialiter notentur, iuxta Localium Correctorum relationem, & talis delicti grauitatem in suis proximè sequentibus Capitulis, legitimè corrigantur per eorum successores; vnà cum Capitulo inibi astante. *Cor.* 65. *Vide*, Prælatus. Subiectio.

Superior quicumque, expleto tempore sui Officij, potest præsidere, & Fratres benedicere; tam in Refectorio, quàm in Capitulo. *c.Turon.* 23. *c.Thol.* 52. *Vide*, Discordiæ. *Quæ autem ibi dicimus ex c.*4.*Valent.*41. *innouata & confirmata fuerũt, in c.*1.*Barch.*17.

*Præteriti quid possint.*

1511. 1514. 1581.

## *Suspensio. Suspensus.*

*Vide*, Depositio. Depositus.

# T

## *Terminus.*

*Non occupādus.* Terminos Prouinciæ, vel Conuentus occupare, districtè prohibetur Prouincialibus, Correctoribus, & subditis. qui contrariũ fecerint, puniãtur: & quidquid acquisierint intrà limites alterius Prouinciæ, vel Conuentus; teneantur Conuentibus, in quorum præiudicium hoc fecerunt, ad eorum instantiam, absque dilatione restituere. *c.* 2. *Rom.* 10. *c.* 4. *Valent.* 14.

1517. 1571.

## *Tertiarij.*

Nulli recipiantur, nisi sint probatæ vitæ. *c.* 2. *Valert.* 19.

1550.

## *Testis.*

*Singularis.* Accusatio vnius reputatur nulla, nec ex ea potest ad aliquam sententiam procedi: nisi præter accusantem, vel proponentem, ad minus duo testes idonei, & illi contestes adducantur. Quòd si quis accusetur à pluribus non contestibus; ab vno, de vno actu; ab alio, de alio eiusdem speciei; talis non est conuictus, nec potest sententialiter condemnari. Potest tamen puniri, per aliqua tormenta religiosa: vt reus teneatur veritatem fateri. Caueant

ueant tamen Superiores Prælati, ne quoscumque testes indifferenter, absque vllo delectu admittant: cùm secundùm Iura, testem oporteat esse omni exceptione maiorem. *c.4. Valent.* 51. 1571.

Testium singularium denunciatio, ad inquirẽdũ, & torquendũ, quæ admittitur cõtra proditores Reipublicę; admittenda est, contra Superiores, & Subditos, qui precio, promissione, vel minis, inducunt aliquem ad alium eligendũ. *c.1. Barchin.* 14. 1581.

*Quando singularis.*

Testis falsus conuictus, puniatur pœna Talionis: & ampliùs ei non credatur, verbo, vel scripto: & de cætero, in iudicio non recipiatur: aliàs, nulla sit sui dicti receptio. Idem est de illis, qui in testimonio ferendo, siue denunciando: expresse sibi contradicunt, vnum dicentes in Iudicio, & aliud extra Iudicium. *cap. 5. Genuensi* 7. 1584.

*Falsus* per Regulã Iuris in 6. Semel malus. *Cõtradicẽtes sibi.*

*Falsum testem puniendum esse, dicitur Prou.* 12. *his verbis:* Falsus testis non erit impunitus. *Nec immeritò, falsus enim testis est periurus, cùm testes non nisi præstito iuramento debeant admitti.* 3. *q.* 9. *c.* Hortamur, *&* *c.* Pura. *Iustitiam violat, ideò prohibetur falsum testimonium. Exodi* 20. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. *Denique*

que mentitur, contra veritatem cognitam, quam in corde suo non loquitur, sed dolos agit in lingua sua. Quòd autem pœna talionis puniri debeat, ex eo constat; quòd Iustitiæ æqualitas requirit, vt nocumentum quod quis alteri intentat, ipse patiatur, vt docet D. Thom. 2.2. quæst. 68. art. 4. o. ideò dicitur Exodi 21. Oculum pro oculo, dentem pro dente: & Deuteron. 19. Cúmque diligentissimè perscrutantes, inuenerint falsum Testem dixisse cõtra Fratrem suum mendacium, reddent ei sicut Fratri suo facere cogitauit. Nec solùm punitur falsus Testis pœna talionis, sed etiã pœna infamiæ: est enim infamis, si directè condemnetur à Iudice ordinario, de falso commisso in testificando, vt docent Syluester, & Fumus, verbo, Infamia, & habetur in cap. Cùm dilectus, de or. cog. circa fin. Quam ob causam dicitur in præcedenti Statuto; Ampliùs ei non credatur verbo, vel scripto: & de cætero in Iudicio non recipiatur, aliàs nulla sit sui dicti receptio. Pœnam quippe talionis meretur ad compensandum nocumentum, quod proximo inferre tentauit. Pœna verò infamiæ ei debetur propter malitiam, ex qua falsum testimonium dixit: vt in simili de falso accusatore docet D. Thom. art. citato ad 3.

Hæ autem pœnæ non sunt imponendæ falso

*Testi, nisi falsum testificatus fuerit ex malitia: non autem si ex animi leuitate, quia scilicet nimis faciliter credidit, quod audiuit: aut ex iusto errore. Quæ omnia iuxta prudentiam Iudicis debent discerni, vt in simili docet D. Thomas de accusatore, quæst. citata art. 3. ad primum. Prædictam animi leuitatem, temeritatem vocat Diuus Thomas. Ibidem. Et Caietanus ibi, ait;* Vocatur ex temeritate accusare, qui vel ex inconsulto caloris impetu accusat, non prospiciens quod probare nequiuit; vel qui auditui credulus accusat. Ex isto autẽ errore, deceptus ab aliquo Teste idoneo, deficit in probatione, quia scilicet promisit testificari & recessit vt non testetur: vel consiliũ habuit ab aliquo Doctore, quòd sufficerent illa, quæ habet ad accusandum, cùm tamen non sufficerent.

*Quò ad vltima verba Statuti præcedentis, quæ Testes sibi ipsis diuersos respiciunt; Notandum cum Passarello ibi, Iudici in ferenda sententia standum esse iis, quæ à Teste dicta sunt in Iudicio præstito iuramento, potiùs quàm dictis ab eodem extra Iudicium, quæ potuerunt dici ad complacendum parti, vitandæ inimicitiæ caussa. Ita Panormitan. in cap.* Per tuas, *de Probat. Couarruuias. Vot. & Rosella lib. 2. cap. 13. num. 7. Adde, quòd ad validitatem testimonij, requiritur*

*ritur examinatio coram Iudice competenti, & vt suprà notauimus, præstito iuramento. Nec obstat, quòd testis falsa dicēs extra Iudicium, peccet, sicut cùm falsa dicit in Iudicio: tum quia non peccat ita grauiter; tum quia, vt docet D. Thom. 2.2. quæst. 70. art. 4. ad 3. homines maximè abhorrent peccata, quæ sunt contra Deum, quasi grauissima, inter quæ est periurium (in quod incidit falsò testificans in Iudicio) non autem ita abhorrent peccata, quæ sunt contra proximum: quale est illud, quod committit, qui extra Iudicium falsa dicit. Notandum est etiam cum eodem Passarello ibid. quòd si testis præstito iuramento, dicat se aliter dixisse quàm scriptum fuerit à Scriba, Scribæ potiùs quàm testi credendum est, vt probat Couarruuias per cap.* Ad audientiam, *de præscript.*

*Testium manifestatio.* Testium nomina eorúmque dicta, non teneneur Superiores manifestare accusatis, in Visitationibus, & inquisitionibus ordinariis: benè tamen in iis, quæ in alienam vergunt infamiam. Cæterùm, accusati etiam in ordinariis, poterunt suspectos sibi Fratres recusare; & recusationum causas proferre. *c. 2. Barchin.* 11. *Vide,* Accusans. Visitationes.
1602.

NOTA *cum Passarello vbi suprà, ad defensam reorum admitti testes non integros, & minùs idoneos:*

*idoneos: non autem ad inquirendum, aut accuſandum. Cæterùm, vt teſtium recuſatio valeat, requiritur vt defectus proponantur in ſpecie: nec ſufficit illa in genere proponere, dicendo tales eſſe malæ vitæ, fures, infames & ſimilia, oportet enim ſigillatim recuſationum cauſas proferre & probare. Ita Paſſarellus ibid.*

*Theſes.*

Publicæ defendendæ, proponi debent à fratribus Nationis in qua Capitulum Generale celebratur. *capit.* 5. *Rom.* 5. *Proponendæ.* 1587.

*Hoc confert ad decorem & honorem Ordinis, cùm ſacri Ordines Religioſorum Pietate & Doctrina maximè fulgeant:* Qui *enim* docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad Iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. *Daniel.* 12. *Erudiuntur autem ad Iuſtitiam multi, doctrina quæ in Theſium agitatione micat in Capitulis Generalibus: ſed præcipuè Capitulantium Pietate, humilitate, mortificatione, ædificatione proximi, Religioſa grauitate, modeſtia, benignitate: frequentatione chori, inquantum per negotia licet: & in ſumma, omnimoda obſeruantia regulari: quibus præ omnibus operam dare debent capitulantes, vt illuſtriores Patres Ordinis in Prouinciis ſelecti:* Longum

*enim* iter est per præcepta, breue & efficax per exempla; *vt ait Seneca.*

*Tonsura.*

*Qualis.* Huius paruulæ Congregationis cuncti Clerici professi, omnes in maioribus ordinati, gerant vniformem Tonsuram, latitudine vnius mediocris palmæ commensuratam. Veruntamen neque ipsi, neque fratres Laici, nec fratres Oblati, nec Sorores & Oblatæ, capillos nutriant: sed crebriùs tondeantur, vel abradantur. *R.F.*4.*R.S.*5.*Vide*, Barba.

*Tridentinum Concilium.*

*Acceptatur. Legendũ. Obseruãdum.* Acceptatur, & districtè iniungitur omnibus tam Superioribus quàm subditis, vt ipsius canones, præcipuè qui de Regularibus præscribuntur, attentè legant & sollicitè obseruent. *Reuocat priuilegia.* Declaratúrque, omnia nostra priuilegia, indulta &c. contra dictum Concilium reuocata esse ab illo: & à motu proprio Pij IV. qui incipit,
1571. In Principis Apostolorum, *c.*4.*Valent.*24.

*Triennium professionis.*

*Explẽdũ ante, &c.* Capitula Generalia vel Prouincialia, nõ possunt ad electiones habilitare eos, qui triennium professionis nondũ expleuerũt: nec eos eligibiles reddere. Clausula enim in Regula posita, super dispensatione
*n.* 39.

tione istorum per prædicta Capitula, non respicit dispensationem termini triennalis, sed alia immediatè sequentia. *c.* 5. *Genu.* 25. *Vide*, Electio, Superior. 1584.

*Triremes.*

Ad eas damnare potest Generalis, perpetuò vel ad tempus, scandalosos & incorrigibiles, per totum Orbem. Prouincialis verò, sibi subditos: consulto tamen priùs Generali. *c.* 4. *Valent.* 61. *Vi Bullæ Clement. VII.* 1571.

# V

## *Valetudinarij.*

VOlentes Patres reddere vnicuique quod suum est, cùm Iuri cōsonum sit, vt Superiores in laboribus subditorum per participationem sint conformes; & qui in oneribus Religionis non possunt viuere, in honoribus non supportentur; hanc legem inuiolabiliter obseruandam præcipiunt; Vt ad nullum Officium Religionis assumantur Valetudinarij. *Inhabiles ad officia.* Quos, ad euitandas omnes dubitationes, declaramus eos esse, qui cibis Quadragesimalibus nō valent sustētari: *Qui sint.* sed ex cōsuetudine morbi, & imbecillitate naturæ, coguntur per spacium trium

annorum, singulis annis, plusquàm sex menses agere, vescẽtes carnibus: & Choro interesse horis Matutinis, & Communitati se conformare non valentes. Quos ex nunc absque vlla alia declaratione, inhabiles declaramus ad Officia quæcumque, & Prælaturas, etiam Generala-

*Electio de ipsis, nulla.* tus. Et si aliqui attentauerint, aliquem talium ad aliquod Officium assumere, ipsius electionem, ipso iure, ipsóque facto nullam declaramus; & ad nouam ele-

*Eligentium ipsos pœna.* ctionem illicò procedere mãdamus. Electores autem, pœnam priuationis vocis passiuæ per annum, incurrant. Et Supe-

*Confirmat. nulla & cõfirmãtiũ pœna.* riores quomodolibet confirmantes electos, per Confirmationem nihil iuris ipsis acquirere, sed priuationis Officiorum

1532. pœna puniri volumus. *c.* 1. *Genu.* 33. *c.* 1.

1538. *Bonon.* 17. *c.* 1. *Barchin.* 19. *c.* 5. *Valent.* 16.

1581.

1593.

## *Vestimenta.*

*Non dentur in pecunia.* Si in aliquibus Prouinciis, aut Conuẽtibus, certæ pecuniæ summa consueuit assignari fratribus pro eorum Vestimentis: huiusmodi consuetudines penitùs aboleantur: & ex nunc, abolitas esse pe-

*Contrauenient. pœna.* nitùs, declaramus. Quòd si quis Superiorum, contrarium fecisse repertus fuerit: sit ipso facto ab Officio priuatus. Prouideant

uideant tamen Superiores Prælati, vt, secundùm facultatem cuiuslibet Conuentus, necessaria fratribus dētur Vestimenta. Quòd si in illa Vrbe in qua fuerit Cōuentus, pannus non reperiatur: curent Superiores Prælati, pecuniam assignatam pro Vestimentis fratrum, in capsa quatuor clauium cōseruari; quousque panni emendi commoditas sese obtulerit, vel in dicta Vrbe vel alibi: cum expressa inhibitione, quòd Correctores Locales illam pecuniam in alium vsum non conuertant; nisi de consensu eorundem fratrum, quorum interest vestimenta habere: & hoc, duntaxat in casu necessitatis. *c.4. Valent.* 34. *Vide*, Habitus.

*Dazda, & quomodo.*

*Quid si pannus non reperiatur?*

1571.

### *Viaticum.*

Etiam obedientiam petentibus debet dari: contrarium enim in animarum periculum vergit. *c.2. Valent.* 20.

*Detur omnibus.*

1550.

### *Vicarius.*

Vicarius Prouincialis suffectus in casu mortis, depositionis, & similibus, circa, medietatem secundi anni Prouincialatus: & in tali Vicariatu, ad finem vsque triennij perseuerans: potest eligi, transacto illo triennio, in Prouincialem. *c. Turon.* 21. *c.4. Valent.* 29. *c.6. Genu.* 30. Modò sit

*Quilibet quando possit reeligi.*

1511.
1571.

electus vel nominatus, per viginti vel triginta dies, ante dictam medietatem secundi anni, & non antea. *c.7.Rom.42.* Ea-
1623. cundi anni, & non antea. *c.7.Rom.42.* Eadem est ratio proportione facta, de aliis
1596. Vicariis, etiam Generalis. *c.6.Genu.30.*

*Sed est maxima difficultas, an Statutum istud sit reuocatum per Breue Summi Pontificis Vrbani VIII. de electione Reuerendissimi Patris Generalis qui nunc est; quod attulimus in Generali XXXVII.* Videtur enim quòd sic; *quia in eodem decreto dicitur*, Vicarium Generalem Ordinis Minimorum, siue à Sede Apost. pro tempore deputatum, siue à Capitulo electum; de cætero nullatenus posse immediatè eligi in Generalem, sed tandiù ab Officio debere vacare, quandiù Vicarius Generalis extiterit: sicque obseruari à quibuscumque Iudicibus, &c. debere, decernimus. *Hæc ibi.* At contra, *quia hoc ipsum habetur expressè in Regula n.49. & diximus verbo*, Subiectio. *Cui tamen Regulæ statuto, præcitatorum Capitulorum statutum non contraire, credidere Patres qui illa Capitula celebrauerunt. Si ergo eligere Prælatorum Superiorum Vicarios in Prælatos Superiores finito Vicariatu, iuxta præscripta statuti præcedentis, non est contra Regulam; non est etiam contra prædictum Breue, statutum Regulæ cui innititur,*

innititur, duntaxat innouans; ideóque, nec per idem Breue reuocatum. Adde, dictum Breue nullum Vicariatus tempus limitare: & valdè admodùm durum videri, vi illius, electum in Vicarium Generalem, in casu mortis Generalis, per vnum aut alterum mensem ante Capitulum Generale; non posse in eodem Capitulo in Generalem eligi; sed tanto tempore debere subiici, quanto Vicarius fuerit. Hoc enim daret ansam Generalatu dignis, prædictum Vicariatum recusandi: & electoribus, indignos vel saltem minùs dignos eligendi; ne digni, aut digniores recusarent. Imò & facultatem etiam dignissimum arcendi à Generalatu; ipsum defuncti Generalis loco per mensem substituendo. Quæ omnia videntur Sanctissimo repræsentanda, vt mentem suam dignetur clariùs explicare, & præallatis prouidere difficultatibus. Quæ locum etiam habent, in electo in Vicarium Prouincialis defuncti, depositi, &c. Adde præterea, quòd hoc posito, in casu mortis Prouincialis, multi requirerentur Vicarij Prouinciales, ad ipsius triẽnium perficiendum. Primò enim, antiquior Collega esset Vicarius Prouincialis. Secundò, alius ab eo & aliis tribus electoribus electus. Tertiò, si mors accideret in primo vel secundo Prouincialatus anno, alius in proximo Capitulo Intermedio eligendus: quod videtur esse multiplicare

*entia sine necessitate, & digniores ab illis Vicariatibus arcere.*

Respondeo, *Illustrissimum Dominũ Prosp. Fagnanum Sacræ Congregationis Secretarium, declarasse R.P. Petro Briã, qui prædictum Breue cum R. P. Deodato Lomelino obtinuit, idẽ Breue debere intelligi dũtaxat de Vicario Generali. Ita vt, pro quocumque tempore fuerit Vicarius Generalis, tanto tempore debeat subiici, antequàm ad vllum Officium assumatur. Non debere autem intelligi de aliis Vicariis: pro quibus, statuta nostra adhuc vigent; quale est illud de quo agimus. Ita mihi retulit idem R.P. Petrus Brian.*

*Ad maiora assumptas, quandiu subiicietur.*

Vicarij Prouinciales, post annum & dimidium in Prouinciales assumpti; solùm debent tandiu esse subditi, quandiu in Officio ad quod nouissimè fuerunt assumpti permanserunt. Idem dic proportione facta, de Vicario Generalis, Correctoris & Collegæ. *c. 6. Genu.* 30. *Vide*, Electio. Subiectio.

*Vicarius Generalis, Prouincialis, & Collega.*

*In emergentibus.*

Poterit Generalis & quilibet Prouincialis, ad cuncta sibi subdita loca, fratrem aliquem idoneum, suo loco delegare; pro emergentibus ibidem negotiis debitè terminandis. Ipse verò frater taliter delegatus,

legatus, quoties opus fuerit, ipsius mittentis Superioris plenaria vel limitata potestate licitè fungi poterit. Prædictus etiam Generalis, poterit quoties expedierit, ad quascumque voluerit Prouincias, cum sua omnimoda potestate, delegare aliquem fratrem idoneum, suæ potestatis plenitudinem habentem: etiam super cunctos huius Ordinis Vigiles, & Prouinciales. *Cor.* 106. *Vide*, Capitulum Generale. Cap. Prouinciale. Emergentia. *Ordinarius.*

*Hinc sequitur, Generalem posse ad quamcumque Prouinciam, Vicarium suum, etiam in solidùm & ordinarium mittere, quoties voluerit, suæ potestatis plenitudinem habentem. Sic Vicarium relinquit in Italia, cùm ab ea discedit. Sic Vicarium mittit ad Hispanias. Sic Vicarium potest in Galliam mittere, pro vt etiam determinatur in Capitulo 4. Genuensi 35. Sic denique determinatum fuit authoritate Apostolica anno 1626. die 17. Martij, ab EE. Cardinalibus S. Susannæ, S. Sixti, & Bisiæ; circa difficultatem motam Neapoli, quò ad receptionem Vicarij Generalis òrdinarij & in solidum.*

*Cæterùm, constitutio eiusdem Capituli 4. Genuensis, qua ibidē dicitur, Generalem debere Vicarium Generalem ad Hispaniæ Prouinciam mittere, fuit reuocata, in Capitulo 1. Auen. 17.*

*Notanda sunt autem verba statuti praecedentis ; Cor.* 106. Plenaria, vel limitata potestate, &c. *&*, Suæ potestatis plenitudinem. *Quia, delegatus id omne & solùm potest, quod ipsi committitur à delegante, iuxta Glossam in caput,* Soler, *de Sent. excom. in 6. Vnde, litterarum commißionis Vicarij cuiuscumque limitationibus & ampliationibus, standum est.*

*Aduertit autem Passarellus in fine formularij, quòd si commißio est generalis, etiamsi dicat Vicarium posse omnia quæ potest is à quo Vicarius constituitur, non exprimendo aliquid quod requirit speciale mandatum; tunc Vicarius non potest ea facere, quæ tale mandatum speciale requirunt; etiam si in commißione habeatur, vt poßit ea exequi, quæ mandatum requirunt speciale; argum. cap.* Quid agendum, *de procuratione in 6. Si vero in commissione exprimantur aliqua quæ requirunt speciale mandatũ, & adiungatur hæc clausula,* & alia omnia quæ per nos possumus, etiam si mandatum exigant speciale ; *omnia specialia poterit. Ita Glossa finalis in cap.* Licèt, *de officio Vicarij in 6. & Hostiensis cap.* Significasti, *de officio Archidiaconi. Sunt tamen qui hoc limitant, ad omnia similia, vel minora expressis. ibid. Certissimum ergo est, quòd in Generali mandato, seu concessione nequaquam illa veniunt,*

*niunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus, vt habetur in cap.* Cùm in generali, *de officio Vicarij in 6. Quæ autem requirunt speciale mandatum, sunt ista; inquirere, corrigere, deponere, punire, beneficia conferre. Ita habetur in dictis Capit.* Licèt, *&*, Cùm in Generali. *Addit Passarellus, vbi supra, dare litteras commendatitias ad Ordines. Videant ergo Superiores, quomodo suorum Vicariorum commissoriales litteras formare debeant.*

Generales, & Prouinciales, infirmi, vel aliàs legitimè impediti, & absentes; Vicarios delegare possunt ad Capitulum Generale; quamuis Tridentinum dicat, non licere Prouinciales aut Abbates, &c. ad effectum electionis faciendæ constituere, nec suffragia absentium supplere. Quia Correctorium nostrum hoc præcipit, cui non derogat illa constitutio. Ita declaratum fuit à S. Congregatione R.P. Passarello 8. Augusti 1570. c. 4. *Valent.* 4. *In Capit. Generali* *1571.*

Superiores Prælati, possunt sibi Vicarios substituere, eos qui triennio præcedenti fuerunt Superiores: modò id fiat pro quibusdam negotiis terminandis, in aliquo Conuentu vel Prouincia: idque, per vnum aut duos menses, ad summum; si ita negotium exegerit; & non aliter, *Quis possit esse.*

aliter, nec alio modo. *c.* 5. *Gen.* 25. *Vide*, Prouincialis.

*Vic. Prouinc. ad c. Gener.* Vicarius, causa infirmitatis Prouincialis missus ad Capitulum Generale, debet esse de Corpore Prouinciæ cuius est Prouincialis. Qui sic missus, non sedebit, nec in sua Prouincia, nec vbi Capitulum celebratur, in loco sui Prouincialis; nisi priùs probata à dicto Capitulo ipsius cõmissione: qua peracta, obtineat duntaxat suæ professionis locum. *c.* 6. *Genu.* 23.

1596. *Vicarius Generalis.* Vicarius Generalis, non potest fratres rehabilitare: imò, nec Generalis potest ei rehabilitãdi facultatem dare. *ibid.* 15.

Vicarius Generalis, vbi primùm in Prouinciam venit, debet suas patentes litteras ostendere, antequàm illi obediatur. Deindè, factis exemplaribus, aliis Conuentibus notæ fiant. *c.* 7. *Rom.* 42. De-
1623. bet autem illas ostendere litteras Prouinciali Prouinciæ, & non aliis. Ad Prouincialem enim pertinet probare, an veræ vel falsæ sint. *c.* 3. *Barchin.* 60. *Vide*, Ele-
1629. ctio Generalis. Generalis.

*Vicariorum Generalium ad varias Prouincias delegatorum, hîc Seriem non apposui: sed nec in casu mortis Generalium, ipsis substitutorum. Tum quia nimis esset arduum, illorum omnium*

*nium inuestigare nomina. Tum quia, non est huius operis instituti ad omnia se extendere, quæ licèt alioqui ad nostrum spectent Ordinem, non extant tamen in Capitulis Generalibus: in quibus, de huiusmodi Vicariorum Generalium electione, nulla fit mentio. Tum quia ob easdem rationes, substitutorum Collegarum Generalium & Zelosorum Series non texui: de quibus tamen eadem est ratio.*

Vicarij Prouincialis, seu Collegæ prouisio; in casu mortis, depositionis, & alio quocumque, à quocumque fiat; durat solùm vsque ad Capitulum Generale, si citiùs ante Prouinciale sit celebrandum. *c.*1.*Foroiul.*19. Aliàs, vsque ad Capitulum Prouinciale. *c.Paulit.*38. ídque, inclusiuè. *c.*4.*Valent.*20.*Vide*, Collega Prouincialis. Electio Prouincialis. Prouincialis. *Vic. Prouinc. & Collegæ duratio.* 1547. 1535. 1571.

*Vicarius Correctoris.*

Localibus Correctoribus Conuentus suos exire habentibus, aliquem idoneum fratrem primitùs suo loco relinquant. *Cor.*112.*Vide*, Corrector. *Quando constituendus.*

Vicarius Correctoris, in absentia Correctoris cuius est Vicarius, dum Corrector petit Prouinciale Capitulum; nec sibi, nec fràtribus, de bonis Conuentus erogare potest, plusquàm valorem quinque *Quid possit.*

1535. que solidorum : vel circa. *c. Paulit.* 25.

*Quando & vndè eligẽdus.* Debet eligi, post Capituli Prouincialis Commissum. *c.* 5. *Rom.* 11. *c.* 3. *Barchin.* 65.
1587. Idque de proprio Conuentu. Quòd si
1629. nullus esset, prouideat Prouincialis ante
1541. tempus electionis. *c.* 1. *Valent.* 12.

*A quo in casu mortis, deposit. &c.* In casu mortis Correctoris, depositionis & similibus, non possunt Superiores Prælati Vicarium propria authoritate constituere, nisi per aliquos dies donec electio fiat. *Hoc postremum intellige, extra casum mortis, de quo v.* Electio Correctoris.

*Eligibilis.* Debet ergo fieri talis electio, à Capitulo

*Reeligibilis.* locali. Et in ea, ille tantùm poterit eligi, qui anno superiori non fuerit Prælatus. Qui licèt pro maiori parte temporis fuerit Vicarius, poterit tamen in proximo Capitulo Locali eligi in Correctorem.
1571. *c.* 4. *Valent.* 30. *Modifica, Modò sit electus per viginti vel triginta dies, ante medietatẽ Correctoriatus, & non vltrà : iuxta ea quæ suprà*
1623. *diximus ex Capitulo 7. Romano n.* 42.

*Correctoris Definitoris.* Vicarius Correctoris qui simul est Definitor, Capitulum Intermedium petentis; permanere debet vsque ad noui Cor-
1605. rectoris aduentum. *c.* 7. *Genu.* 30. *Non dicit autem, illum debere eligi à Capitulo Locali: imò, innuit à solo Correctore nominãdum : nec enim*

esset

*esset dubium, an deberet permanere Vicarius, vsque ad noui Correctoris aduentum, si à Capitulo eligeretur. Ex quo,* Colligo, *Correctorem in fine Officij post festum Sancti Michaëlis è Conuentu discedentem propter aliqua negotia, habere ius nominandi Vicarium vsque ad aduentum noui Correctoris.* Nec obstat, *illum non esse ampliùs Correctorem; & Vicarium Correctoris Capitulum electionis Prouincialis petentis, debere eligi à Capitulo Locali: quia Corrector pergens ad electionem Prouincialis, nullum habet ius post festum Sancti Michaëlis in Conuentu cuius fuit Corrector: qui verò annis Capitulorum Intermediorum ad vllum Capitulum pergere non debent, licèt Correctores non sint, habent tamen ius perseuerandi in Officio Correctoriatus vsque ad aduentum noui Correctoris, vt diximus verbo,* Corrector, *ex Capitulo 4. Valentinensi 27. quod ius existimo illos posse aliis remittere: maximè cùm non sit dubium, illos è Conuentibus exeuntes, ad eosdem post vnam aut alteram diem reuersuros ante noui Correctoris aduentum, Vicarios ad libitum posse relinquere: sicut docet praxis.*

Corrector è Conuentu discedens, potest constituere Vicarium per duos mẽses: Quibus transactis, Vicarium eliget Capitulum locale. *c. Massil. 42. Eadem est ratio* *Quandiù constitui potest.* 1611.

*tio de Correctore existente in Infirmaria: de quo vide,* Corrector.

*Vicarius noui Conuentus.*

*Amouibilis.* Potest nominari, non autem eligi, ita vt amouibilis sit; qui anno præterito fuit Corrector: & tertio anno, de nouo eligi
*1623.* in Correctorem. *c.7.Rom.*96.

*A quo nominãdus.* Non debet nominari à Capitulo Prouinciali, vel Intermedio: sed à Prouinciali cum suis Collegis. *ibid.*28.

*Vigiles.*

*Quot eligendi.* Quatuor aut plures Vicecorrectores Vigiles (pro vt iuxta regionum varietates, succedente tempore videbitur expedire) pro tribus annis duntaxat, in Capitulo Generali eligantur: ac super certas Ordinis Correctorias, maturè deputentur: & in suis tantùm Vigilantiis, Generalis Correctoris authoritate plenaria potiantur. *R.F.*46.

*Vicarij eorum.* Vigiles, aliquem vice sua substituere non valeant. *Cor.*104.

*Electus.* Vigilem petierunt Patres Itali pro Italia. Et electus fuit virtute 38. vocum, ex 48. R.P. Hieronymus de Ponte, Prouincialis Genuæ: Italus, qui sub se habebat omnes Conuentus Italiæ, dempto Ro-
*1511.* mano. *c. Turon.* 10. Eius Socij fuerunt, P.

Archan

Archangelus Longobardus: P. Ioannes de Galibardo: & P. Petrus Bonis. *ibid.* 18.

Vigiles non esse ampliùs creandos cõclusum est; ne tot habeamus Superiores: cùm sufficiat, Generalem mittere oculatos Visitatores, ad quascumque Prouincias vel Conuentus voluerit. *cap. Tholos.* 7. *Non vltrà eligendi.* 1514.

*Hoc statutum non est contra Regulam, de Vigilibus mentionem facientem cap. 2. & 8. & statuentem cap. 10. ipsos eligendos esse in Capitulo Generali. Dicitur enim ibi, Vigilum electionem esse faciendam à Capitulo Generali,* pro vt iuxta Regionum varietates, succedente tempore videbitur expedire: *quod nihil est aliud, quàm Vigilum electionem in Cap. Generalis deliberatione ponere: ita vt, penes Cap. Generale sit potestas iudicãdi, quænam Regiones Vigilibus indigeant, quænam non indigeant: Item indigentibus assignare, denegare non indigentibus. Ita declarauit R.P. Franciscus Binet, vt videre est in Regula, typis mandata Parisiis, anno 1631. Cùm ergo experientia PP. celebrantes Tholosanum Capit. docuerit, nullibi expedire Vigiles, rectè & Regula inuiolata, potuerunt illos antiquare.*

Priuatis fratribus Hispanis Vigilẽ petentibus, non annuerũt Patres. *c.* 2. *Foroi.* 5. *Vigil. denegatus.* 1556.

## *Vinolentus.*

*Vt puniendus.* Si quis de Vinolentia notatus fuerit, & super ipsa, bis aut ter admonitus, non se correxerit; si Nouitius sit, huius Ordinis habitu statim exuatur, & extra Ordinem emittatur. Si verò Professus fuerit, & taliter admonitus non se emendauerit, capitulari voce perpetuò priuetur. Et vlteriùs, pro qualibet tali Vinolentia, ieiunet vna feria sexta in pane & aqua: & monitione charitatiua per Superiorem corrigatur; ac benignè moneatur, ad talē Vinolētiam, seu quamcumque crapulam deserendam, & sectandam sobrietatem. Si autem super tali Vinolentia quis notatus fuerit, coram personis de hoc Ordine non existentibus, per mensem incarceretur. *Cor.* 55.

*Modificatio.* Hoc statutum debet intelligi, de Vinolentia consuetudinaria & affectata. *Ita authoritate Apost. declarauit Card. Senogal.*

*Rectè sanè D. Bernardus in Apol. ad Guill. Abbat. ait*; Omnes ex quo Monachi sumus, infirmos stomachos habemus: & tam necessarium Apostoli de vtendo vino consilium, meritò non negligimus: modico tamen, quod ille præmisit. *Hoc consilium habetur* 1. *Timoth.* 5. 23. Modico vino

vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.

*Visitatio.*

*Breuiter concludatur.*

Superiores, & ab eis pro tempore missi Visitatores; dum in actu suarum Visitationum fuerint; Visitationes huiusmodi, breuiori quàm commodè poterunt tempore, peragant: ne ex eorum prolixa Visitatione, incommoda patiantur Conuentus, & fratres. *Cor.* 104. *Vide*, Registrum.

*Crimina, in ea nõ publicata, nec punita.*

Crimina inquisita à Generali, vel Prouinciali, aliísque Visitatoribus; tam in communi, quàm in particulari, tempore suarum Visitationum; scita & non publicata; quantumuis non punita; à successoribus eorum non puniantur. Sed Infrà. potiùs puniantur ij, qui de illis alios accusant: tum quia odio fratrem accusare dignoscuntur; tum quia adiurati tacuerunt; & Superiorum mandato inobedientes, in excommunicationem inciderunt. *c.* 4. *Rom.* 7. *Vide*, Literæ infamatoriæ. 1568.

*Ad examen ergo Visitationum à Prælatis accersiti, Charitatis & Religionis zelo ducti, defectus quos aduerterint, manifestent eisdem Prælatis, ne censuras incurrant, & inobedien-*

*tes sint. Attendant D. Petrum Damiani dicentem in libro quem Gomorrhianum vocat, c. 25.* Si quis me proditorem, delatorémque fraterni criminis arguat, nouerit me fauorem interni Iudicis toto intentionis studio quærere, prauorum verò odia, vel linguas detrahentium non timere. Malo quippe cum Ioseph, qui accusauit fratres apud patrem crimine pessimo, in cisternam innocens proiici: quàm cum Heli qui filiorum mala vidit, & tacuit, diuini furoris vltione mulctari. *Attendant etiam examinatores, ne secreti examinis secreta reuelantes, examinandis reticendi dent ansam.*

*Visit. Gener. vel Prouincialis.* *1553. 1571.*

Visitatio debet fieri à Generali, saltem (citra impedimentum) cum duobus Collegis. *c.2. Genu.* 13. *c.* 4. *Valent.* 38. A Prouinciali verò, potest fieri cum vnico. Verùm, definitiones graues non fiant, nisi consultis priùs aliis Collegis, saltem scripto, ante diffinitiuam sententiam, quando commodè omnes adesse non possunt. *c.4. Valent.* 38. *Vide Constitutiones Clementis VIII. Italico idiomate conscriptas. Item dicta v.* Electio.

*Visitatio vndè incipienda.*

Visitationes cuiuslibet Generalis, debent incipi à fine Visitationis prædecessoris

ſoris Generalis : & in illis, nulla alia delicta poſſunt aut debent inquiri, niſi quæ dicto tempore poſſent prætendi. In dictis etiam Viſitationibus, caueant Superiores, ne quoſcumque teſtes admittant indifferenter; cùm ſecũdùm Iura, teſtem oporteat eſſe omni maiorem exceptione : debeántque repelli, quos Iura repellunt; nempe inimici, caſtigati criminosè, & huiuſmodi. In defenſionibus autem, vbi deſunt Regularia ſtatuta, ſanctiſſimi Canones admittantur: & ſi opus eſt, teſtes repelli poſſunt. Fieri etiam poteſt proceſſus defenſiuus, ad inſtantiam partis : de Iure enim, defenſiones oppreſſo conceduntur. *c.4.Valent.*51. *c.6. Genu.*22. *Vide*, Proceſſus. Teſtis.

*Teſtes admittendi & reiiciẽdi.*

*Defenſio, vt facienda.*

1571. 1596.

Viſitatio cellarum. *Vide*, Paupertatis Votum.

*Cellarũ Viſitatio.*

*Viſitator.*

Licitè poterit Generalis Corrector, ſuper omnes Vigiles tranſmittere oculatos Viſitatores : qui taliter in lucernis ardentibus fratrum ſuorum iniquitates viſitentent, & emendent in vera iuſtitia, quòd miſericordiam non diſpergant ab illa : & ita miſericordiam faciant, quòd iuſtitiam ab ea non diuidant. *R.F.*46. *Vide*,

V 3 Cor

Corrector. Socij Prælatorum. Visitatio.

*Ad hanc normam mores dirigere nostri Prælati debent, Officiorum quæ possident, momenta perpendentes: sed maximè dum Conuentus seu Prouincias visitant. Debent ergo* suorum fratrum iniquitates *taliter* Visitare, *vt* emendent : *ideóque* in vera iustitia, *non in falsa; alioqui, condemnabitur pius, & impius iustificabitur; vtrumque autem Deus abominatur. Condiri tamen debet vera iustitia, condimento* Misericordiæ ( *sine qua in rigorem nimium degenerans, vera non potest esse* ) *ne virgæ manna desit. Quapropter*, Oculatos Visitatores *vult esse B. Pater, vt scilicet clarè perspiciant fratrum suorum merita vel demerita, accusantium animos, testium qualitates, delictorum leuitates vel grauitates. Nec hæc sufficiunt, sed insuper & maximè requiritur, vt* Visitent in lucernis ardentibus : *non habentes solùm lumbos præcinctos, sed ardentes lucernas in manibus etiam tenentes; fratribus suis per bona opera, & obseruantiam statutorum quæ attulimus* v. Superiores, *lucis exempla monstrando* : Vt munditia sit castitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro, vnum sine altero placere nequaquam potest, *vt loquitur D. Greg. hom.* 13. *in Euang. Ideo*

*D. Bern.*

*D. Bern. in Apol. ad Guillel. Abbat. allatis abusibus qui suum Ordinem labefactabant, subdit;* Miror, cùm Dominus per Prophetam, ſanguinem in peccato morientium, de manu Paſtorum requirendum eſſe minetur, quomodo Abbates noſtri patiuntur fieri talia: niſi fortè, quia nemo fidenter reprehendit, in quo ſe eſſe irreprehẽſibilem non confidit. Siquidem humanitatis eſt omnium, in quo ſibi quiſque indulget, aliis non vehementer iraſci. Dicam, dicam, præſumptuoſus dicar, ſed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata eſt? Quomodo ſal terræ infatuatum eſt? Quorum nobis vita, via vitæ debuit eſſe, dum exemplum in ſuis actibus oſtendunt ſuperbiæ, cæci facti ſunt duces cæcorum. Quod enim (vt cætera taceam) ſpecimen humilitatis eſt, cum tanta pompa & equitatu incedere? &c. *Hæc D. Bernardus.*

Cuncti ſimplices Viceſgerentes, ſeu Viſitatores; peractis eorum Viſitationibus, nulla prorſus authoritate, neque præeminentia fungantur. *R. F.* 53. ***Illius præeminentia.***

Vbi Prælatorum Socij, ad aliquem huius Ordinis Conuentum Viſitandum, per ſuos Prælatos delegati forent: ipſo-

rum Prælatorum vice in tali Conuentu præsideant: dummodo ab ipsis Prælatis, super hoc, literas authenticas habeant. *Cor.* 113.

*Vt impetrandus.* Infrà. Nullus ad Superiorem recurrat contra Prouincialem impetrando Visitatorem, nisi habeat commissionem à maiori parte Correctorum Prouinciæ. Oppositum autem faciens, si fuerit Corrector, ab Officio ipso facto, absque alia declaratione, sit suspensus. Si verò sit subditus, per triennium sit priuatus vtraque voce. Ob hoc tamen non prohibetur, quin fratres possint ad Generalem de Prouinciali scribere, secundùm determinationem
107 Correctorij. *c.*4. *Valent.* 40.
1571. Hoc statutum debet intelligi, cùm Visitator petitur nomine Prouinciæ, à Superioribus Ordinis: non autem cùm aliquis proprio nomine petit Visitatorem
1593. à Papa. *c.* 5. *Valent.* 14.

*Expensa illius.* Visitatoris expensas sufficientes, tenetur facere Prouincia, vel Conuentus qui Visitatur. *c.* 4. *Valent.* 39.

*Rehabilitare nõ potest.* Visitator Generalis, non potest fratres rehabilitare: imò, nec Generalis potest ei facultatem rehabilitandi dare. *c.* 6.
1596. *Genu.* 15.

Visitator

Visitator non mittatur, nisi præcedat petitio maioris partis Prouinciæ: & nullo modo electionum tempore, nisi post festum S. Michaëlis, vel post Pascha. *cap. Massil.* 56. *Vt impetrandus.* 1611.

Visitator Generalis, tenetur in ingressu Prouinciæ, suas patentes manifestare Prouinciali, & non aliis, antequàm recipiatur. Ad Prouincialem enim pertinet, probare an veræ vel falsæ sint. *c.* 9. *Barchin.* 60. *Cõmissio illius, vt manifestanda.* 1629.

## *Vota.*

Huius Ordinis Minimorum vniuersi Fratres & Sorores, sub Obedientiæ, Castitatis, Paupertatis & Quadragesimalis vitæ modificationibus infra scriptis modificatæ; sacris Votis, perseueranter viuere promittant. *R. F.* 1. *R. S.* 1. *Quatuor apud nos: & quæ.* Infrà.

Caueant singuli huius Ordinis Superiores Prælati, suique Vicesgerentes; ne aliquando super alicuius quatuor Votorum fractione, quemquam remissè puniant: vel citiùs quàm in Correctorio decernitur, aliquem de carceribus liberent. *Cor.* 107. *Punitio Vota frãgentium fratrum.*

Quamprimùm de carnis lapsu; aut super vitæ Quadragesimalis fractione; vel de pecuniarum tactu, aut delatio- *Superiorum.*

ne; vel ſuper ipſarum pecuniarum theſaurizatione, legitimè conuicti fuerint huius Ordinis Superiores Prælati; videlicet Corrector Generalis, ac Vigiles & Prouinciales; ſtatim deponantur ab Officio: & ſaltem per triennium taliter depoſiti; & vltrà, niſi per Cap. Gener. rehabilitentur peracto triennio, inhabiles habeantur: & Capitulari voce de cætero priuentur. Locales verò Correctores, contra aliquod quatuor Votorum offendentes; vbi ſuper hoc legitimè conuicti fuerint, pariformiter deponantur; & capitulari voce perpetuò priuentur. *ibid.* III.

*Quatuor, & quæ.* Omnes huius Ordinis Minimorum habitum ſumentes, quandiu ſub ipſo militauerint, præſertim poſt eorum profeſſionem; ad Votorum Paupertatis, Caſtitatis, Obedientiæ, ac vitæ Quadrageſimalis obſeruantiam; iuxta limitationes ac modificationes in eiuſdem Ordinis Regula & Correctorio poſitas ac limitatas, obligentur. *Obſeruantium præmia.* Quicumque verò, quatuor Vota ipſa, iuxta prædictas limitationes & modificationes, fideliter ac perſeueranter obſeruauerit: pro benedictione cœleſti, gratiam poſſideat in ſeculo præſenti; & in futuro, gloria fruatur

tur perenni. Amen. *ibid.* 117. *Vide*, Absolutio. Castitas. Obedientia. Paupertatis Votum. Quadragesimalis vita.

## Z

### *Zelosus.*

IN Capitulo Generali, eligantur vel iam electi confirmentur, aliqui fratres Zelosi; scientes huius Ordinis negotia conuenienter expedire: qui & in loco nostro Romano, vel in aliis locis seu Conuentibus Vrbi propinquis, provt expediens fuerit, moram pertrahant. *R. F.* 47. *Vide*, Generalis Protector. *Vbi eligendus.* *Residentia illius.*

Zelosus, non subditur Correctori Conuentus Sanctissimæ Trinitatis. *cap. Turon.* 11. *Subiectio.* 1511.

Absens ab Vrbe, potest Vicarium suo loco substituere, ad beneplacitum. *ib.* 17. *Vicarius.*

Eius Coadiutor, non potest eligi in Correctorem, tempore sui Officij. *cap. Tholos.* 8. *Coadiutor.* 1514.

Etiam renuente Locali Correctore, de ipsius Zelosi mandato, quoties opus fuerit, extra Conuentum exire, & socium sibi potest assumere; negotia Religionis, iuxta Zelosi ordinationem, debitè exequuturus.

quuturus. Eidem nullam poterit reprehensionem facere Localis Corrector, quoties se per Zelosum dixerit impeditum : sed Zelosi assertioni stabit. *cap.* 3.
1523. *Rom.*9.

Idem Coadiutor, debet à Generali de-
1532. putari.*c.* 1.*Genu.* 5.*c.Paulit.*24.
1535.

*In Cap. General. & Romæ quid faciet Zelosus.*

Cùm Cap. Gener. Romæ non celebratur (*vel in circuitu*, *ex Correctorio* 93.) Zelosus non debet eidem Capitulo interesse, nec in illo votare. Benè tamen cùm celebratur Romæ. Debet suo Officio fungi, donec alius Zelosus electus personaliter Romæ adfuerit. Nihílque
1523. expedire in Curia Romana, sine scientia
1531. Socij. *c.*3.*Rom.*3.*c.*1.*Genu.*5.*c.Paulit.*24.
1535.

Sine Generalis expressa licentia, non debet in Curia Romana, aliena negotia ab Ordine tractare. Neque etiam quorumcumque fratrum nostri Ordinis, nisi literis Prouincialis de consensu Collegarum confectis, super hoc informetur, & requiratur : aliàs puniatur à Generali.

*Consulendus.*

Item, sine eius consensu, nullus siue subditus siue Prælatus, aliquid expediendum procuret in Curia Romana, aut expediri faciat : aliàs per Generalem Corrigatur. De ipsius tamen scientia, poterit

rit Generalis cum assensu Sociorum, quælibet negotia in eadem Curia expedire & procurare. *c. Turon.* 11. *c.* 1. *Genu.* 5. 1511.
*c. Paulit.* 24. 1532.

Vnicus debet esse. *cap. Tholos.* 10. *cap.* 1. 1535.
*Vnicus.*
*Auen.* 6. 1514.

Si moriatur, Generalis cum suis Collegis de alio prouideat. *c.* 3. *Rom.* 13. *c.* 1. *Auen.* 24. 1578.
*Quid si moriatur.*

Debet esse à dextris Correctoris SS. Trinitatis, in primo loco: etiam præsentibus aliis Correctoribus; idque vbique, exceptis propriis Conuentibus, in quibus singuli Correctores eorúmque Vicarij debent Zelosum præcedere. *c.* 3. *Rom.* 3. *cap. Paulit.* 24. *c.* 5. *Rom.* 11. Tamen nullibi præsidere debet, præsente Correctore Conuentus Sanctissimæ Trinitatis. *cap.* 2. *Auen.* 8. 1523. 1578.
*Præeminentia.*
1523. 1535. 1587. 1599.

Quælibet Prouincia, debet dare Zeloso tres aureos nummos, pro quolibet anno. Prouincia verò Apuliæ, solùm dabit quinque ducatos pro triennio: & hæc, vt Zelosus commodiùs possit negotia Religionis expedire. *c.* 5. *Valent.* 35. 1593.
*Pecunia ei danda.*

Eligi non potest in Zelosum, qui immediatè antè fuit Generalis: ob graues causas Capitulo expositas. *c.* 2. *Auen.* 7. 1599.
*Ineligib. in Zelosum.*

Non

Non est Prælatus, cùm Zelozatus prælatura non sit, sed Procuratoris officium. *ibid.* 8.

*Non potest esse Vicar. Gener.* Iustis de causis, non potest esse Vicarius Generalis pro tempore existentis, in Italia. Quòd, si aliquando Generalis, Zelosum in Vicarium substituere voluerit; statim ipsæ patentes literæ talis substitutionis, sint ipso Iure nullæ & inualidæ. *cap.Turon.*17.*cap.Tholos.*49.*cap.Massil.* 37. 1511. 1514. 1611.

*Quomodo deducendus.* Finito Officio, deducendus est in suam Prouinciam, expensis totius Ordinis. *c.*7. *Romano* 11. 1623.

*Vox Capitularis finito Zelosatu.* Est vocalis in Conuentu in quo à Prouinciali assignatur, finito Zelosatu: & habet vocem in electione Correctoris illius Conuentus, etiam si in eo non fuerit assignatus localis per tres menses ante dictam electionem: cùm fuerit occupatus in Religionis negotiis; & nemo debeat, absque culpa, iure eligendi priuari. *ibid.*21.

ZELO

## ZELOSORVM SERIES.

I. FRater IACOBVS LESPRIVIER, *Gallus.* Electus. *c.1. Rom.22.* Et frater Ludouicus Lustrani, ad petitionem prædicti Iacobi, à P. Generali, cunctis fratribus consentientibus, in Socium illius est deputatus. *ibid.* Dictus Zelosus, erat Prouincialis Aquitaniæ: & pro acceptatione quartæ Regulæ, & vitæ Quadragesimalis, mirificè certauit. Pro quo etiam, iussu B. Patris scripsit multas literas ad S. D. N. & ad multos RR. Cardinales. *ibid.6. Et mortuus est.* 1508.

II. Benemeritus Pater FRANCISCVS BINET, *Gallus, Prouinciæ Turonensis, præteritus Generalis; de quo vide Generalem II. v.* Generalis. Electus. *c.Turon.15.* Fuit etiam cum eo in Zelosum electus, ad instantiam Fratrum Italorum, F. BAPTISTA GENVENSIS, æqualis authoritatis. Quia tamen dictus frater Baptista necessarius erat Conuentui Genuensi, vt exposuit Pater Vigil, Zelosatui renunciauit, consentientibus Patribus Italis; & sic, vnicus remansit Zelosus. *ibid.* 15. 16. 1511.

III. P. DIONYSIVS BARBIER, *Gallus.* Prouincialis Franciæ. Electus. *c.Tholos.10.* Fuit Prouincialis Germaniæ: vitæ Quadragesimalis Votum & quartam Regulam acceptauit. *c.1. Rom.7.* Ex Zeloso, in Collegam Generalis assumptus. *c.2. Rom.5. Et mortuus est.* 1514.

IV. P. FRANCISCVS BINET, *qui suprà; præteritus Generalis.* Electus secundò. *c.2. Rom.5.* 1517.

V. P. IOANNES BARDONIS, fidelissimus, circunspe

cunspectissimus, & omnibus gratissimus. Ele-
1520. ctus. *c.Paris.7.Et mortuus est.*

VI. P. FRANCISCVS BINET, *qui supra; præteritus Generalis.* Electus tertiò: & non obstantibus quibuscumque ipsius excusationibus, con-
1523. firmatus. *c.3. Rom.9. Et mortuus est.*

VII. P. DESIDERIVS DE MOTA, *Gallus,*
1526. *ex Prouincia Parisiensi.* Electus. *c.Malachit.4. Hic, finito Zelosatu, in Generalem fuit assumptus, absens: & expleto Generalatu, rursus fuit electus in Zelosum. Vide Generalem IX.*

VIII. P. GVILLELMVS FIGVLVS. Electus.
1529. *c.Gratian.10.Et mortuus est.*

IX. P. DESIDERIVS DE MOTA, *qui supra: præteritus Generalis*, in circunspectum Zelosum.
1532. electus. *c. 1. Genu.27. Et mortuus est.*

X. HVGO DE CALCE, *Gallus.* Electus vt
1535. fidelis. *c. Paulit. 9. Hic, quater fuit Zelosus: semel Generalis: de quo vide Generalem XVII.*

XI. *Idem* P. HVGO DE CALCE. Electus.
1538. *c.1.Bonon.31.*

XII. Venerandus P. SALVIVS DE PVTEO,
1541. Electus vt benemeritus. *c. 1. Valent. 15. Et mortuus est.*

XIII. V. P. GASPAR DE FOSSO, *Italus; præteritus Generalis. Vide General.XI.* Electus. *c.2.*
1544. *Bonon.11.*

XIV. V. P. HVGO DE CALCE, *qui supra.* Electus *tertiò*; vt pote Vir in Curia Romana sciens benè & fideliter negotia Ordinis expedi-
1547. re. *c.1.Foroiul.6.*

XV. V. *Idem* P. HVGO DE CALCE. Electus
1550. quartò, vt dignissimus. *c.2.Valēt.6.Et mortuus est.*

XVI.

XVI. V. P. MATHVRINVS AVBERT, *Gallus: præteritus Collega Generalis.* Electus. *c.2.Genu.4.* 1553.

XVII. V. *idem* P. MATHVRINVS AVBERT. Electus. *c.2. Foroiul. 7. Et mortuus est.* 1556.

XVIII. V. P. IOANNES IVDA, *Gallus,* ex Prouincia Parisiensi. Electus. *c.3.Genu.14. Hic, finito Zelosatu,in Generalem absens fuit electus. Vide Generalem XX.* 1559.

XIX. V. P. IOANNES DE BELRISGVARDO, *Gallus,ex Prouincia Parisiensi; Generalis præteritus.* Electus vt multùm honorandus,& de Religione benemeritus. *c. 3. Valent. 11. Hic ex Prouinciali Turonensi, in Generalem fuit assumptus, in Cap. 3. Gen. cùm antè fuisset Collega Generalis, electus in Cap.2. Gen. Vide General. XIX. Et mortuus est.* 1561.

XX. V. P. N. Electus. *c. 3. Foroiul. Hunc non nomino, quia Capitulum istud non extat.* 1565.

XXI. V. P. IOANNES à FLVMINE FRIGIDO, *Italus, ex Prouincia Calab. Generalis præteritus.* Electus vt solers & fidelis. *c.4. Rom.12.Vide General.XXI. Et mortuus est.* 1568.

XXII. V. P. IOANNES IVDA, *qui suprà:* Corrector SS. Trinit. Electus *secundò. c. 4. Valent. 58. Et mortuus est.* 1571.

*In Capitulo quarto Genuensi numero 38. electi fuerunt tres Zelosi, pro tribus Nationibus: scilicet* 1574.

Reuerendus P. GASPAR PASSARELLVS, pro Natione Italiæ; *Generalis præteritus. Vide Generalem XXIII. Et mortuus est.*

XXII. Venerabilis P. ROLANDVS GIRBOVT, pro Natione Galliæ. *Et mortuus est.*

Honorandus P. IDELPHONSVS à CASTELLO, pro Natione Hisp. *Et mortuus est.*

1578. *At in Capitulo primo Auenionensi, n.6.* Hæc Zelosorum trinitas fuit reiecta; & vnicus Zelosus pro tota Religione electus, videlicet

XXIV. Venerabilis P. IOANNES ROPITELLVS, *Gallus*; Prouinciæ Tholosanæ Prouincialis; *vt constat ex Patrum eiusdem Capituli subscriptione. Hunc D. de Rubis l. 3. historiæ Lugdun. c.36. ratione feruentissimi zeli quo ardebat, profundissimaque ipsius doctrinæ, flagellum hæreticorum dictum fuisse memorat. Eius vitam eleganter scriptam, vide in historia Generali Ordinis l. 3. Et mortuus est.*

XXV. Reuerendus P. BENEDICTVS à NVCIBVS, *Italus*; Prouincialis Genuæ. Electus. *c. 1.*
1581. *Barch. 23. Et mortuus est.*

XXVI. R. P. IVLIVS à PAVLA, *Italus*;
1584. Genuæ Prouincialis. Electus. *c.5. Genu.27. Et mortuus est.*

XXVII. R. P. STEPHANVS à FRANCICA; *Italus*; *ex Prouincia Calabriæ*; *Præteritus Generalis.* Electus. *c. 5. Rom.8. Vide Generalem XXVII.*
1587. *Et mortuus est.*

XXVIII. R. P. BENEDICTVS DE AMICIS.
1593. Electus. *c.5.Valent.6. Et mortuus est.*

XXIX. R. P. ISIDORVS SAMBLASIVS, *Italus: præteritus Generalis.* Electus. *c.6. Genu. 6.*
1596. *Vide Generalem XXIX. Et mortuus est.*

XXX. R. P. STEPHANVS AVGERIVS, *Gallus*; vir, modestia, prudentiáque conspicuus: Religionis negotia in Curia Romana expedire
1599. & procurare sciens. Electus. *c.2. Auen.27. Hic, in Cap.7.Genuensi, electus postmodũ fuit in Generalem. Vide General.XXXIII.Et mortuus est Hispanias visitans, mediante Generalatu.*

XXXI.

XXXI. R. P. FRANCISCVS HVMBLOT, *Gallus.* Electus *c.2.Barchin.23.Reuerendi Patris huius* 1602.
*merita, Sole clariora ſunt, & volumen requirunt integrum, vt vel leuiter attingatur, tanti Viri in ſcientiis humanis, Philoſophicis, Theologicis, & Mathematicis, quas etiam Reginam Margaritam docuit, ſublimitas: in hæreticis confutandis, efficacia: in prædicando, facundia: in ſcribendo, ſuauitas: in pietate, religioſitate & cæteris virtutibus, eminentia: in memoriæ prorsùs incomparabilis fœlicitatis priuilegio ſpeciali: in recuſandis variis Epiſcopatibus ſibi oblatis, rara ſatis his temporibus magnanimitas. Eius vitam vide in hiſtoria Generali Ordinis l.3. De eo ſcripſere, R.D. Andreas Valadier, Abbas Sācti Arnulphi Metenſis, in ſua Rhetorica: R. P. Andreas Chauineau, nunc pro quarta vice Turoniæ Prouincialis, in vltimis ſuſpiriis animæ Religioſæ, quæ ſuper eius morte publicauit. R.P. Iacobus Gaultier, Societatis Ieſu, in ſua Chronographia. Et R.P. Ludouicus de Montoya, in huius S. Ordinis Chronologia. Pro nūc, ſufficiat nobis dicere, R. Patrem Humblot antequàm Ordinem ingrederetur, Doctorem fuiſſe in vtroque Iure; item, in Theologia & Medicina. Et Religioſam vitam profeſſum, vnum fuiſſe ex octo prædicatoribus Apoſtolicis, à Clemente VIII. delectis, ad hæreticos confutandos. Scripſit aliquas orationes panegyricas, & etiam contrà, hæreticos. Et mortuus eſt Turonis 29. Octobris, anno 1612. Turoniæ Prouincialis: exactis aliis Prouincialatibus, in Prouinciis Lugdunenſi & Prouencæ: vt & Officio Viſitatoris Generalis in Gallia. Speciali priuilegio, ſepultus eſt in Sacello B. P. Franciſci de Paula, ad ipſius ſepulcrum.*

XXXII. R. P. HIERONYMVS DVRANDVS,

1605. *Gallus Prouinciæ Prouencæ.* Electus. *c.* 7. *Genu.* 4. *Penultimus Generalis. Vide Generalem XXXI. Et mortuus est.*

XXXIII. R. P. FRANCISCVS FORTVNATVS *Italus*, Prouincialis Neapolitanus: vita, moribus, animi dotibus & scientia conspicuus. Electus.

1611. *c. Massil.* 38. *Et mortuus est, vix inchoato zelosatu.*

XXXIV. R. P. IOANNES PINA DE CELIS, *Hispanus*, doctissimus Theologus & de Religio-

1617. ne benemeritus. Electus. *c.* 6. *Rom.* 6. *Vir iste, Religione, virtutibus & doctrina clarissimus, meritisque cumulatissimus, Officio Collegatus Generalis dignissimè fungens, inter visitandum mortuus est Paulæ, mense Nouembri, anno* 1631. *fæliciter exactis multis Prouincialatibus in Prouincia Granatensi.*

XXXV. R. P. DEODATVS LOMELINVS, *Italus*; Prouincialis Genuensis, *pro secunda vice*; &

1623. sacræ Theologiæ professor. Electus. *c.* 7. *Rom.* 7. *Adhuc viuit hic Pater noster: ideo, quæ de ipsius meritis, pietate, Religionis Zelo, & illustrissima prosapia dici possent, modestiæ causa prætermitto.*

XXXVI. R. P. SIMON BACHELIER, *immediatè præteritus Vicarius Generalis, ex Collega*

1630. *Gallo; à Summo Pontifice nominatus. Causam vide in Generali XXXVII.*



# SERIES CONVENTVVM S. ORDINIS MINIMORVM S. FRANCISCI DE PAVLA.

*Ac in Serie, Conuentuum, Fundatorum & Fundatricum, Acceptationes refero: de quibus mentio facta est in Capitulis Generalibus. Sed illas etiam affero ( ne aliquid desit ) quæ in dictis Capitulis non referuntur: Conuentuum titulos, Diocceses, Antiquitatem, Fundatores & Fundatrices, illorum denique, sed breues, descriptiones; pro vt, vel ipse vidi: vel à fide dignis, accepi: vel ex variis historiis sacri Ordinis nostri, discere potui. Quæ his mediis comparare nequiui, vel inuitus, omitto. Reuerendorum P.P. Prouincialium charitas, quæ desunt supplebit: si ad me illa fideliter dignentur mittere, pro secunda editione. Cæterùm, quia quæ à Capitulis Generalibus hausi, pauciora sunt iis quæ aliundè didici: ideò, illa literis Italicis exaraui: ista Romanis: paucis exceptis notatu dignioribus.*

## *CONVENTVS ROMANI.*

A Romanæ Vrbis Conuẽtibus, exordiũ duco. Tùm ob S. Sedis Apostolicæ, quæ in ea

est, reuerentiam. Tùm propter eiusdem Vrbis, super alias omnes Orbis terrarum eminentiam singularem. Tùm quia Romanorum Conuentuum vnus, Sedes èst Generalis. Tùm denique, quia independentiæ à quocumque Prouinciali, speciali gaudent priuilegio: ditioni Generalis immediatè subiecti.

*Fundatorũ & Fundatricum qualitates.* ROMANVS I. tit. Sanctissimæ Trinitatis, a B. P. Francisco de Paula *acceptatus, vt colligitur ex c. 1. Rom. toto, in hoc Conuentu, post obitum eiusdem B.P. celebrato.* Acceptatus autem fuit, anno 1495. *Fundatore* Christianissimo Galliarum

1495. Rege Carolo VIII. Ædificatus est iste Con-

*Rex Galliæ. Carolus VIII.* uentus, in monte Pincio: sic dicto, quia in illo, ædificatæ fuerunt quondam domus Pinciorum, qui maximè florebant, tempore Constantini Magni. Conuentus ergo de quo agimus, toti supereminet Vrbi: vndique prospicitur, & vniuersa prospicit, quæ in Vrbe sunt alicuius notæ. Vndè est prospectu delectabilis: aëre, sanus: hortis amœnus: pietate & obseruantia commendabilis. Habet ab Oriente S. Mariam Majorem; montem Quirinalem qui & *Monte-Cauallo* dicitur: & portam Salariam. Ab Occidente, S. Mariam de Populo: & Portam Piam, seu Flaminiam, quæ etiam de Populo dicitur. A Meridie, S. Petri Basilicam, Vaticanum, Tiberim & totam Vrbem: quæ omnia, nihil obstante, circumspicit. A Septentrione, cacumen montis, à quo ab Aquilonari vento protegitur. Insignita est eius *Ecclesia*, variis Sacellis, & sepulturis Cardinalium, Episcoporum, Nobiliss. Romanorum, & totius Italiæ.

Specialiter,

Specialiter, Sacello & sepultura, Parentum & Fratrum Germanorum, Pauli V. Pont. Max. *Sacristia*, illustrata, variis Sanctorum Reliquiis: Sacra Imagine, S. Francisci de Paula, ex prototypo, quem verè exprimit, desumpta: quamque Christianissimus Gallorum Rex Franciscus I. ad Sum. Pontif. Leonem X Romam misit, pro dicti Sancti Canonizatione: Quamplurimis denique vasis, seu calicibus, candelabris &c. aureis & argenteis; sicut & variis Ornamentis Ecclesiasticis, non modò sericis, sed aureis etiam & argenteis. Insignitur *Claustrum* structura celebri (vt & *Ecclesia* & totus ipse *Conuentus*) & collustratis, iisque exquisitioribus picturis. B P. Francisci de Paula, vitam, miracula, mortem & Canonizationem referentibus: quas, per dies singulos, imitantur pictores. Apparent eleganter depictæ, & ordinatæ, effigies omnium Galliæ Regum: à Pharamundo primo, ad Ludouicum XIII. nunc, non minùs sanctè, quam fœliciter regnantem, in eiusdem Claustri fornicum exordiis: adiectis regnorum illorum annis & duratione. Decoratur & illius platea, spaciosa *Cisterna*, optimis aquis pléna: & aureis arboribus non paucis; quarum odore, verno tempore recreatur, & etiam autumnali. Peramplum *Refectorium* in ipso reperies, delectabile visu: latè patentibus fenestris vitreis, illustratum. *Dormitoria* & *Cameras* non paucas; admodùm religiosa *Infirmariam* à Conuentu distantem, quadraginta circiter pedum spacio: cui, nec amplæ Cameræ desunt, nec aëris serenitas, nec amœnitas horti, nec prospectus

 incom

incomparabilis recreatio: nec *Pharmacopea*, quæ in Conuentu eſt, totius Vrbis optimæ, ſubſidium & auxilium: ad quam recurrunt, potentiſſimi quique Romanorum: imò ipſimet Cardinales: dùm, vt humana fert fragilitas, infirmitate detinentur. Multa alia notatu digna, breuitati ſtudens, omitto. Hoc vnicum adiiciens: Conuentum iſtum, totius Vrbis eſſe celebriorem, ſi attendatur vndequaque. *Eſt Sedes Reuerendiſſ. P. Generalis, eique immediatè ſubiectus*.c.1.Bonon. 43.c.2. Auen. 2. & iuxta definitiuam ſententiam, quam in ſcriptis tulerunt & pronunciarunt, authoritate Apoſtolica Clementis VIII. & Leonis XI. Illuſtriſſimi. S.R.E. Cardinales, Pompeius tit. S. Balbinæ Arigonio; & Hieronymus, tit. S. Blaſij, de annulo Pamphilio, nuncupati, die 20. Iulij. 1605. *à ſolis Fratribus Gallicæ Nationis, regitur & inhabitatur: regi & inhabitari poteſt & debet*. Hanc ſententiam, Paulus V. confirmauit, per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit, *Romani Pontificis*, 13. Iulij 1606. ad inſtantiam Chriſtianiſſimi Gal-
1606. liarum & Nauarræ Regis, Henrici Magni: ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine. Adiecto perpetuo & inuiolabili Apoſtolicæ poteſtatis robore: *& lata excommunicatione ipſo facto incurrenda*, & aliis pœnis: contra Generales, alios Correctores & Locales, ſeu Conuentuales, huic Conuentui aſſignantes, &c. *à Fratribus Gallicæ Nationis*. In hoc Conuētu, celebrata fuère VII. Capitula Generalia.

ROMANVS II. tit. S. Andreæ de Frattis; *omnibus futuris temporibus, ſub ditione Reuerendiſſ. P. Gene*

*P.Generalis, pro tempore existentis, remansurus:nulli subiectus Prouinciali. Acceptatus*. c. 5. Rom. 10. 1587.
Est Parrochia, in extremitate cliui Montis Pincij, sita. A Sixto V. Ordini nostro incorporata. Ex quo acceptatus à nobis fuit iste Conuentus, illius Ecclesiam, quæ nunc extat, ædificauimus: impensis *Fundatoris* illius, Excellentiss. *Marchio* D. Marchionis de Filina, Octauij de Bufalo: ex nobilioribus, & antiquioribus Romanorum familiis, oriundi. *Claustrum* percelebre Conuentus huius, pro maiori parte constructum, adhuc ædificatur.

ROMANVS III. tit. S. Francisci de Paula, 1623. *pro solis Calabris. Acceptatus*. c. 7. Rom. 22. *Fundatore*, admodùm R. D. Ioanne Pizzullo, Sacerdote Calabro: *qui Palatium peramplum nobis emit, amœnissimis hortis stipatum, pretio nummorum* 12500. ibid. Prædictus R. D. Fundator, ex Oppido Reginæ, Bisinianensis Diœcesis, primò, vniuersorum bonorum suorum, nos fecit hæredes. Postmodum, eadem omnia bona sua, donatione irreuocabili, & inter viuos, prædicto Palatio empto, nobis dedit, vt patet in Bulla Vrbani VIII. quæ incipit, *Inter cætera*. Sub datum Romæ, apud S. Petrum, Prid. Non. Decemb. 1624. Situs est hic Conuentus, in regione montium, iuxtà Monasterium S. Petri ad Vincula.

## *CONVENTVS PROVINCIAE S. Francisci de Paula.*

PAVLITANVS nunc tit. B. Francisci de

Paula Diœcesis Consentiuæ, ab eodem B. P.
1435. Francisco de Paula *ædificatus*, anno 1435. ætatis suæ 19. *De huius Correctore, fit mentio in* c. 1. Rom. 4. Illum, variis & nunquam visis miraculis, illustrauit B. Pater, quorum vestigia adhuc extant; sicut & ipsius vitæ sanctæ & extaticæ. Eius *Ecclesiam*, quam paruulam ædificare cœperat, Dei monitu, ipsique apparente & consulente B. Francisco de Assisio, ampliauit: in sui Ordinis Minimitani dilatationis signum: liberalissimis Nobilis Consentini Iacobi de Tarsia,
*Baro.* Baronis Velmontensis, à Deo ad hoc inspirati, eleemosynis adiutus: sicut & ciuium Ciuitatis Paulitanæ. Combustus fuit iste Conuentus, à Turcis, cum Paulitana Ciuitate, anno 1570. & magnificè reædificatus, ab Excellentiss. D.
*Ducissa Florentiæ.* Elisabetha de Toledo, Ducissa Castrouillarum; Vxore Sereniss. & Magni Florentiæ Ducis, Cosmæ de Medicis. *Quæ etiam studium in eodem Conuentu fundauit, de quo* c. 4. Valent. 5. *In eiusdem Conuentus Fundatores, acceptati fuere*, Nobilissi-
*Marchio cũ suis.* mus D. Marchio Fuscaldi, & D. Ioan. Bapt. Spinellus, cum D. Iulia Vrsina *eius Coniuge: ob magnificentiss. B. P. N. Sacellum, in hoc Conuentu structum: vnà cum* D. N. *prædicti Marchionis Fratre. eorumque Nobilissimis Sororibus*, Claudia, Euphronia, Constantia, Diana & Octauia. *Nec non,* D. Francisc. Spinelli, *præfati D. Marchionis Nepos: cum Nobiliss.* D. Beatrice de Herues, *eius Matre: Fratribus & Sororibus*. c. 2. Barchin. 5. In Conuentus huius *Sacristia*, deuotissimè asseruantur B. P. N. Francisci de Paula quamplurimæ Reliquiæ specialiter, Pallium, quo strato

super

ſuper fluctibus, à nautis rejectus, Siciliæ Fretum, iuxtà Syllam & Charibdim, cum duobus ſociis transfretauit. In *Eccleſia*, requieſcit deuotus admodũ F. Ioannes Piobano Laïcus. Obiit Paulæ anno 1607. Eius vitam ſanctiſſimam, vide in Hiſtoria Generali Ordinis. lib. 2. *Conuentus iſte, eſt Prouinciæ Caput*. c. 1. Rom. 10. Celebratum fuit in illo, vnicum Capitulum Generale.

PATERNENSIS tit. B. M. Annunciatæ, Diœceſis eiuſdem. A. B. P. etiam *ædificatus*. De Conuentus huius Correctore, nulla fit mentio in c. 1. Rom. vel incuria Scribæ, vel quia fortè aberat. Certiſſimum tamen eſt, ex Hiſtoria Ordinis à variis ſcripta. B. P. Conuentum iſtum ædificaſſe; propriis manibus cæmentariis deſeruiendo, anno 1444. & quamplurimis miraculis, exemplari & ſanctiſſima vita condecoraſſe. Cuius habituum *Reliquias ſacras*, religioſiſſimè cuſtodiunt, dicti Conuentus Religioſi. Sicut & corpus R. P. Pauli de Paterno: quod à centum viginti vno annis incorruptum perſeuerat, miraculis conſpicuum. Cuius vitam, vide in Hiſtoria Generali Ordinis. *De hoc Conuentu, fit mentio*. in c. 4. Valent. 10. 1444.

SPEZANENSIS tit. Sanctiſſimæ Trinit. Diœceſis eiuſdem. A B. P. *ædificatus*, circà annum 1453. & quamplurimis miraculis ab eodem condecoratus. Quindecim milliaribus à mari diſtat. *De illius Correctore fit mentio*. in c. 1. Rom. 4. In eius *Eccleſia*, requieſcunt R. P. Ioannes à Rocca, & R. P. Antonius Riſoleo, pœnitentia & pietate conſpicui. Quorum primus, obiit anno 1504, ſecundus anno 1596. Eorum 1453.

vitas, vide in hiſt. Gener. Ordinis. lib. 2.

Coriolanensis tit. & Diœceſis eiuſ-
1458. dem. A.B.P. *ædificatus*, anno 1458. Ad inſtantiam Illuſtriſſimorum Principum Biſinianenſium, & municipalis Concilij Ciuitatis Coriolanenſis. Fuit & hic Conuentus, variis B. Patris, dum in eo degeret, & operariis collaboraret, inſignitus miraculis. Parùm diſtat à mari. *De illius Correctore, fit mentio in eodem* c. 1. Rom. 4. In illius *Eccleſia* requieſcit R. P. Hieronymus de Malviſo, qui obiit anno 1607. quadraginta annorũ nuſquam interrupto ieiunio & quamplurimis aliis pœnitentiis mirus. Cuius corpus quarto poſt ſepulturam anno, integrum & incorruptum repertum fuit. Eius vitam, vide in eadem Hiſtoria. ibid.

Consentinus. tit. S. Mariæ Lauretanæ: Ciuitatis Archiepiſcopalis, totius Calabriæ me-
1510. tropolis. *Acceptatus* anno 1510. Magnus eſt & magnificus: 18. milliaribus à Paula diſtat. Illi, piſcium maris & fluminum, copia ſuppetit. Reuerend. D. Pyrrhus Archiepiſ. Conſentinus, intuitu Sanctitatis eximiæ, & frequentium miraculorum B. P. Franciſci de Paula, Ordinem ipſius, à ſua exemit iuriſdictione: eique quamplurima priuilegia conceſſit: à variis Sum. Pont. poſtmodum confirmata.

De Regina Diœceſis Biſinianenſis. *Ac-*
1515. *ceptatus* anno 1515. in loco fœcundo: terræ fructibus & maris piſcibus abundante: & à mari 10. milliaribus diſtante. *De eo fit mentio* in c. 4. Valent. 10.

Montaltensis tit. S. Mariæ Annunciatæ:

ciatæ: Diœcesis Consentinæ. *Acceptatus* anno 1516. *Fundatore*, Illustrissimo D. Ferdinando de Arragon, filio Ferdinandi V. Regis Neapolitani, primo Duce Montaltensi. Qui eum fundauit, intuitu plurimorum miraculorum, quæ ipsemet fieri viderat Neapoli à B. P. Francisco, dum ex Italia, Galliam peteret. Octo milliaribus à mari distat. Vera imago eiusdem B. P. ex prototypo desumpta, iubente prædicto Rege Neapolitano, in hoc Conuentu, cum deuotione maxima asseruatur. Magno affectu feruntur erga nostros, ciues Montaltenses: deuoti quippe sunt, nobiles, & admodùm liberales. *De hoc Conuentu fit mentio* in c. 4. Valent. 10.

*1516. Dux, Regis Neapolitani filius.*

PVLCRI-VISVS. tit. Iesus Mariæ: Diœcesis S. Marci. *Acceptatus* anno 1518. ad instantiam maximã ciuium Pulcri-visus: cuius charitatiuis eleemosynis, 20. Religiosi possunt sustẽtari, ob piscium comparandi facilitatem: cum ne vno quidem milliari, à mari distet hic Conuentus. *De illo fit mentio in eodem*. c. 4. Valent. 10.

1518.

BISIGNIANENSIS tit. S. Mariæ Lauretanæ: Ciuitatis Episcopalis. *Fundatore* Illustriss. Principe de Bisigniano. B. Patris, dùm in terris viueret, amicissimo. Quem, Ordinis Procuratorem, propriis literis constituit, idem B. Pater: sicut & Illustrissimam Principem eius Coniugem, ad quam scribebat, Procuratricem: sub datum Turonis 6. Iunij 1482. Quarum literarum originale, magna cum deuotione, conseruat nobilis D. Octauius de Bonante, Coriolani ciuis. Distat hic Conuentus à Mari, 16. milliaribus. *De eo fit mentio in eodem* c. 4. Valent. 10.

*Princeps.*

CIRE

CIRELENSIS. tit. S. Mariæ de Gratia. *Ac-*
1545. *ceptatus* anno 1545. ad instantiam ciuium Cirellæ. Vnico milliari distat à mari, piscibus abundante: sicut etiam terra Cirellæ, fructibus abundat omnigenis. *De hoc Conuentu mentio fit* ibid.

DE BONIFATO tit. S. Mariæ Lauretanæ:
*Princeps* Diœcesis S. Marci. *Fundatore* Illustriss. Principe de Bisigniano, qui viuebat fundationis tempore, quod non reperi. Est iuxtà mare situs: & 4. tantùm milliaribus, distat à Conuentu Pulcriuisus. *De illo fit mentio* ibid. *In eiusdem conuentus*
*Nobilis.* *Fundatorem, acceptatus fuit* Nobilis vir Nicolaus. Coloni. c. Massil. 28. Requiescit in illo F. Ioannes de Bonifato, Laïcus, sanctissimæ vitæ: quam scriptam vide apud R. P. Montoyan in Chronicis huius Ordinis, lib. 3. in hoc Conuentu.

DE CIRO. Vmbriaticensis Diœcesis. *Ac-*
1581. *ceptatus* c. 1. Barchin. 22. ad instantiam prædecessorum Illustrissimi Iosephi Spinelli, Principis Tarsiæ, & Ciri Marchionis, & Ciuium Cirelensium. Vnico milliari à mari distat.

ROSSANENSIS tit. Iesu Mariæ: Ciuitatis Archiepisc. *Acceptatus* ibid. Ad instantiam Ciuium Ciuitatis Rossanæ. Distat à mari, vno milliari cum dimidio. Vndè, nec ei recentes pisces desunt, nec ad victum cætera necessaria: ob maximam, terræ prædictæ Ciuitatis, fertilitatem.

CASALIS-NOVI Cassanensis Diœcesis. *Acceptatus* ibid. In loco fœcundissimo & maximæ recreationis. Procul à mari, vno milliari cum dimidio.

S. AGATHÆ

S. AGATHÆ tit. S. Michaëlis Arch. Diœcesis S. Marci. *Acceptatus* anno 1593. ad instantiam ciuium loci S. Agathæ: in loco, aliàs sæpiùs, in vita, & post mortem in apparitionibus variis, quas vide apud Montoyan in hoc Conuentu, à B.P. Francisco de Paula designato. *Fundatore*; Nobili viro, Marco Antonio de Iordanis, qui moriens, possessionem magni pretij nobis dedit, in qua hic Conuentus fuit erectus. *Et Fũdatricibus*, DD. Laurentia & Faustina, *eius filiabus*. c.7.Gen. 7. S. Agathæ ciues, erga nos sunt admodum charitatiui: Nouem milliaribus à mari distant, nec recentibus egent piscibus. 1593. *Nobilis.* *Eiusque filia.*

CASTROVILENSIS tit. S. Francisci de Paula: Diœcesis Cassanensis. *Acceptatus* anno 1595. *Fundatore* Nobilissimo D. Octauio Ponce: 15. milliaribus à mari distat. Situs est in loco fertilissimo, Manna & piscibus omni tempore abundante, dudùm à B. P. per prophetiam designato. 1595. *Nobilis.*

LONGOBARDENSIS tit. Assumpt. B. Mariæ. V. Diœcesis Tropiensis. *Acceptatus* anno 1600. ne vno quidem milliari procul à mari: in loco amœno & fertilissimo. E. Longobardo, ortus est. R.P. Archangelus. B. P. Francisci Socius, sanctitate conspicuus: cuius meminit hic Montoya. Et Reuerendissimus P. Franciscus, Generalis, qui nunc Ordinem moderatur: de quo vide XXXVII. General. 1600. XXXVII

FOSCALDENSIS tit. S. Francisci de Paula: Diœcesis Consentinæ. *Acceptatus* anno 1603. In cuius fabrica, multa miracula, illáque maximè singularia, patrauit Dominus, quæ vide 1603.

apud

apud Montoyan, hic. Hæc est Patria fœlicissimæ Viennæ, Matris B.P. Francisci de Paula : in cuius memoriam, erectus fuit Conuentus iste, ne integro quidem milliari à mari : à Paulá verò, tribus duntaxat distans.

1610. Nobilis. LIBONATENSIS tit. B. Mariæ V. Diœcesis Belicastrensis *Acceptatus* anno 1610. *Fundatore* nobiliss. D. Ascanio Calimote, Libonatensi: Qui hæreditate paterna Conuentum hunc dotauit : in loco maritimo, vno milliari cum dimidio iuxtà mare.

1623. MARATEENSIS tit. S. Leonardi: Diœcesis Cassanensis *Acceptatus* c. 7. Rom. 23. ad instantiam ciuium Marateensium : in terra fœcunda, maritima, piscibus redundante.

BEDACIENSIS. *Acceptatus*. ibid.

S. Marci Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*. ibi.

Nobilis. FLVMINIS-FRIGIDI. Diœcesis Consentinæ. *Acceptatus* ibid. *Fundatore*, perillustri D. Cæsare Gauitano, & Illustri eius Vxore : *eo quod, omnia bona sua dederint, pro fundatione Conuentus suæ terræ Fluminis frigidi.* ibid.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Turonensis.*

TVRONENSIS I. apud Plessiacũ, tit. Iesu Mariæ, Ciuitatis Archiepiscopalis : à B.P. Francisco de Paulá, propriis etiam manibus

1482. Reges Galliæ. Ludouicus XI. cùm operariis laborante, *ædificatus*, anno 1482. *Fundatore*, primò, Christianissimo Galliarum Rege Ludouico XI. à quo B. P. fuerat ex Italia accersitus. Postmodum, Christianissimo etiam

etiam Galliarum Rege, Carolo VIII. prædicti Ludouici Filio; qui Conuentum istum magnificè construi curauit, spaciosissimis & amœnissimis hortis sepiuit; Piscina ornauit; & amplis redditibus dotauit. In quorum ampliatione, nostris temporibus mirificè enituit Christianissimi item Galliarum & Nauarræ Regis Ludouici XIII. Iusti, nunc regnantis, Regia liberalitas. *De Conuentus huius Correctore, fit mentio* in c.1.Rom.4.*In quo* num. 10. *designatur caput Prouinciæ*. Illustris admodùm est iste *Conuentus*; siue attendatur Ciuitas Turonensis, Prouinciæ Metropolis, ex totius Galliæ celebrioribus & antiquioribus: quæ B. ipsum Martinum, innumeris clarum miraculis, Mamurtini Monasterij Fundatorem apud Turones, inter alios quamplurimos sanctitate conspicuos, Episcopum habuit. Siue *loci* perpendatur *amœnitas*, siue *Ligeris* fluuius ipsum irrigans, siue *ædificij*, *Infirmariæ præsertim separatæ* magnificentia, *Claustri* exquisitæ picturæ, *Sacristiæ*, vasa aurea & argentea, non pauca: vestes sericæ, aureæ & argenteæ, à variis Regibus & Reginis concessæ. *Ecclesiæ* ad hoc anno ampliatæ, & ad meliorem formam sic redactæ, sanctitas: & similia. Sed maximè ratione *Sepulcri*, in quo 55. annis, B. P. Francisci de Paula sacrum corpus requieuit incorruptum. Cuius etiam ab Hæreticis impiè combusti anno 1562. (quo tempore, B. Martini corpus pariter combusserunt) cineres, & quorundam ossium *sacræ Reliquiæ*, in eodem Sepulcro, deuotissimè in arca argentea sunt reconditæ. Religiosissimè etiam custoditur, Cingulum eiusdem

*Carol.* VIII.

*Ludouic.* XIII.

eiusdem B.P.& Storea suprà quam cubabat; in Sacristia dicti Conuentus: vita sanctissima, & Angelica illius per 25. annos sanctificati: sicut & eiusdem contemplationibus extaticis,& miraculorum frequentia, quorum vestigia adhuc extant: quæque in dies multiplicantur, ad omnium qui in illum admittuntur consolationem. Celebratum fuit in hoc Conuentu, vnicum Capitulum Generale.

AMBASIENSIS. tit. Iesu Mariæ, & Omnium Sanctorum. Diœcesis Turonensis. *Acceptatus* à B.Patre anno 1490. *Fundatore* Christianissimo Rege Carolo VIII. *Fundatrice* Christianissima Regina Anna à Britannia, eius Vxore. Ædificatum fuit *Altare majus* Ecclesiæ Conuentus huius, in loco, in quo dictus Rex Carolus, tunc Regius Franciæ Delphinus, iussu Patris Ludouici XI. B. Patri occurrit, eumque amplexatus est. *Conuentus* verò, ad Ligerim & campos amœnissimos, versus Septentrionem. Habens ab Occidente, Castrum Regium optimè munitum: & Ciuitatem. A Meridie, montem prodigiosis Cisternis memorabilem. Ab Oriente *Infirmariam*, iuxtà Regulam, separatam: & campos amœnissimos. Quales etiam sunt, Conuentus *horti varij*; propter loci tamen angustias, non nimis dilatati. Et Conuentus istius, annuas & Regales fundationis eleemosynas, multùm auxit à paucis annis, Rex Christianissimus Ludouicus Iustus. *De Conuentus huius Correctore fit mentio*, in c. 1. Rom.4.

1490. *Rex Galliæ. Carolus* VIII. *Regina Anna à Britannia.*

GENABENSIS. tit. Sanctissimæ Trinitatis:

tis: Diœceſis, Altiſiodorenſis. A.B.P. *acceptatus*,
anno 1498. *Fundatrice* Sereniſſima Principe, 1498.
Anna à Francia, Ludouici XI. filia: à qua, Re- *Regis*
giis & annuis eleemoſynis dotatus fuit: ſicut & *Galliæ*
ampliſſimo campo, muris vndique ſepto: in *filia.*
quo ſunt, *Infirmaria* ſeparata; *hortus* olerum;
*Viridarium*; *Vinea*; & *Prata*. Illaque, cum Con-
uentu, ad Ligerim. Dirutus fuit hic Conuentus
ab hæreticis, anno 1562. & poſtmodum, à
quondam hæretico, ſed ad fidei Catholicæ lu-
men verè conuerſo, Nobili D. Petro de For- *Iudex*
tet, in Genabenſi Ciuitate primario Iudice, *primarius Ci-*
reædificatus; & dotatus ampliſſimè. Ferebatur *uitatis.*
hic erga nos tanto charitatis affectu; vt, cùm ab
omnibus pro graui & doctiſſimo Senatore ha-
beretur, propriis manibus in Eccleſiæ & Con-
uentus fabrica laborare frequenter non fuerit
dedignatus. Minimorum Genabenſium verè
pater; piiſſimus, verus Catholicus, & *Fundator*
maxime liberalis. *De Conuentus huius Correctore fit*
*mentio* in c. 1. Rom. 4 vbi dicitur. *De iano.*

CASTRI-ERALDI. tit. Ieſus Mariæ. Diœ-
ceſis Pictauienſis. A.B. P. *acceptatus*, anno 1500. 1500.
A Ciuibus Caſtri-Eraldi ædificatus. Ab hęreti-
cis ſacrilegè combuſtus & depopulatus, anno
1562. A Rege Chriſtianiſſimo Henrico IV. reæ- *Rex Gal-*
dificatus: & Regia, antiquáque fundatione *liæ Hen-*
maiori, dotatus. *De Conuentus huius Correctore fit* *ricus* IV.
*mentio*, *in* c. 1. Rom. 4.

MONTIS GAVGERII tit. S. Iacobi,
Diœceſis Turonēſis à B.P. *acceptatus*, anno 1502. 1502.
&, *etiam in* c. Pariſienſi 13. *Fundatore* nobiliſſimo *Nobilis.*
D. Franciſco de Baratem, D. De Mongauger: &
nobi

nobilissima D. Anthonetta à Sancta-Maura: qui Conuentum hunc construxerunt à fundamentis: & annuis redditibus pro duodecim fratribus, sufficienter dotauerunt. *De Conuentus huius Correctore fit mentio in* c. 1. Rom. 4. Est in loco campestri, à populi frequentia segregatus: amœnissimus, & pietati maximè accommodatus. Vndè ad illum transmittuntur Nouitij, quando Conuentùs Turónensis Nouitiorum nimia quantitate grauatur.

1507. BOMERIENSIS tit. B. Mariæ. V. Diœcesis Bituricensis A. B. P. *acceptatus* anno 1507. vno antè obitum mense: *& denuò in* c. Paris. 13. *Fundatore* Generoso D. Iacobo de Latrimouïlle, D. De Bommieres. ibid. *Conuentus* iste, & ipsius *Ecclesia*, magnificè sunt ædificata, nec hæreticorum incursibus euersa: obstante illorum feritati, Fundatoris authoritate. E quo, ex matre traxit originem Illustrissimus Henricus de Bourbon, Princeps de Condé, Principum è Christianissimorum Galliarum Regum Regio sanguine satorum, Primus: qui Conuentus huius annuos redditus, à prædecessoribus quibus in fundatione succedit, liberaliter datos, admodùm ampliauit: vt pote, qui Ordinem nostrum dilectione quam maxima prosequitur, nec minori honore veneratur. *De Conuentus huius Correctore fit mentio in* c. 1. Rom. 6. Situs est in nemore, à tumultu populari maximè segregato, solitario, cœlestibus contemplationibus addictis, aptissimo. *In eiusdem Conuentus augmentatricem Fundatricem, acceptata fuit* Nobilis D. Aloysia de Fougeres; *eo quòd dederit summam à Capitulis Generalibus*

*Nobiliss.*

*Primus Galliæ Princeps.*

*Nobilis.*

*ralibus præscriptam.* capitulo Massiliensi 12.

NANNETENSIS. tit. S. Antonij de Padua. Ciuitatis Episcopalis, celebris & maritimæ, ad ostium ligeris à B. P. primò *Acceptatus*, anno 1504. *Fundatrice* Christianissima Regina Anna à Britannia, Vxore primò Caroli VIII. posteà Ludouici XII. Socru Francisci I. Hæc, Conuentus fundum dedit: illius fundamenta iecit: Ecclesiam struxit. Opere autem interrupto, prosequendum illud curauit Henricus III. opera R.P. Rolandi Guichard, de quo in Conuentu Lugdunensi, anno 1587. Vndè, *de nouo Conuentus iste Acceptatus fuit in* c. 5. Valent. 26. *Fundatore* Illustrissimo & Excellentissimo Duce Mercurij. ibid. 28. Hic, est Illustrissimus Princeps Carolus à Lotharingia; Britanniæ minoris túc temporis Pro-Rex: qui hunc Conuentum magnificè & perfectè construxit, ac dotauit. Requiescit in illo Reuerend. P. Petrus Andreas Challuau: Charitate, pœnitentiæ zelo & sanctitatis fama illustris. Cuius vitam vide. l. 3. Hist. Gener. Ordinis.

*1504. Reginæ Galliæ.* *Dux.*

PICTAVIENSIS tit. B. Mariæ. V. Ciuitatis Episcopalis, Pictauorum Metropolis. *Acceptatus in eodē* c. 5. Valent. 26. *Fundatore* Illustriss. ac Reuerendiss. Episcopo Pictauiensi. ibid. 28. Hic est Illustriss. D. Godefridus de S. Belin, qui perpulcram, paruam licet, Ecclesiam iam ædificatam, nobis dedit. *Fundatore etiam* Nobili D. de Archimbaut, *in cuius fundo, Conuentus iste fuit ædificatus*. c. 2. Auen. 13. Qui succedente tempore, licèt sit intrà mœnia Ciuitatis, mirè fuit amplificatus mediis quotidianis, & liberalissimis

*1503. Episcopus.* *Nobilis.*

Nobilis. eleemosynis piissimi & Nobilissimi D. Contant *Fundatoris*, quibus, non solùm fundus amplificatus fuit, sed Conuentus magnificus ædificatus: cui adiacet elegans infirmaria separata.

SVRGERIENSIS tit. S. Ægidij, in Pictauorum & Santonum finibus, iuxtà Rupellam.
1602. *Acceptatus*. c. 2. Barchin. 6. *Fundatore* Nobilissimo D. Carolo de Fonseca, Barone de Surgeres. ibid. Hic, ditissimum S. Ægidij Prioratum, in quo olim fuerant Canonici Regulares S. Augustini; posteà Canonici Seculares, iniuria temporum & hæreticorum feritate vastatum; dudùm euersum & derelictum, nobis dari curauit: annuente Clemente VIII. Paulo V. & Christianissimo Rege Henrico Magno, huius nominis IV.

Baro.

CHAMPIGNIANENSIS Diœcesis Pictauiensis in finibus Turonensium & Pictauorū. *Acceptatus* ibid. *Fundatore* Clarissimo Principe Henrico de Bourbon, Duce de Monpensier: & & Illustrissima D. Henrieta Catharina de Ioyeusa, tunc *eius Vxore*. ibid. Ex Voto, emisso in Conuentu nostro Rothomagensi, anno 1601. pro habenda prole.

Princeps è sāguine Regū Galliæ. Ex Voto.

AVRELIANENSIS. Ciuitatis Episcopalis celeberrimæ, & ex totius Galliæ Nobilioribus.
1617. *Acceptatus*. c. 6. Romano 8. Magnificè ædificatus, ad Ligerim. *Fundatrice* Ciuitate ipsa, quæ fundum nobis dedit.

Ciuitas.

BLÆSENSIS Diœcesis Carnotensis. *Acceptatus*, ibid. *Fundatore* Nobilissimo Viro Achille Herbelin, Consiliario Regio, ærarij Regij Arcario, in Britannia Minori. ibid. Ex Voto, emisso

Cōsiliarius Re-

emiſſo pro habenda prole, anno 1613. Situs eſt etiam iſte; iuxtà fluenta Ligeris. *gius. ex Voto.*

ANDEGAVENSIS. Ciuitatis Epiſcopalis, Andegauorum Capitalis. *Acceptatus* ibid. Ad Ligerim ædificatus.

ISSODVNENSIS. Diœceſis Bituricenſis. *Acceptatus* ibid.

CHARNOTENSIS Ciuitatis Epiſcopalis. *Acceptatus* ibid. *Fundatore* Nobili ac Venerabili D. Iuone Lebreton, Priore Belliloci ibid. *Prior.*

BITVRICENSIS. Ciuitatis Archiepiſcopalis. *Acceptatus* ibid.

CENOMANENSIS. Ciuitatis Epiſcopalis. *Acceptatus*. c.7. Rom. 24. 1623.

ENGOLISMENSIS. Ciuitatis Epiſcopalis. *Acceptatus*. ibid.

CASTRI-NOVI. *Acceptatus* ibid.

RHEDONENSIS. Ciuitatis Epiſcopalis, in qua ſedet Britanniæ minoris Parlamentum. *Acceptatus*. ibid.

TVRONENSIS II. tit. S. Gregorij Turonenſis: in ſuburbiis. *Acceptatus*. ibid. Fundatoribus D. Ioanne Tachereau, & D. Mathurino Marchand. *Ille, quia dedit fundum ad Conuentum iſtum ædificandum. Iſte, quia Sacellum conſtruxit in Eccleſia dicti Conuentus; & prætereà, eidem tres mille libras dedit. Fũdatrice etiam*, D. Ludouica Compain Vidua: *tùm quia Sacellum conſtruxit in eadem Eccleſia: tùm quia inſuper eidem Conuentui quatuor mille libras dedit*. c. 5. Barchin. 35. *Mercatores.* *Vidua.* 1629.

S. PAVLI LEONENSIS Ciuitatis Epiſcopalis. *Acceptatus* ibid. *Fundatore* Illuſtriſſimo D. de Coëdeles, ibid. *Nobilis.*

DVNO-REGIENSIS.
SYLLIACENSIS. } *Acceptati.* ibid.
CHINONENSIS.

RVPELLENSIS, seu, DE LA DIGVE. tit. B.Mariæ à Victoria: *quem deuictis fidei hostibus: compressa rebellium contumacia* Pietas Christianissimi Regis Galliarum & Nauarræ Ludouici XIII. Iusti *Ordini nostro consecrauit: ne militibus, quos viuos in castris Charitas fratrum nostrorum eximiè erat prosequuta, mortuis opportuna deessent suffragia.* c.3. Barchin. 73. Et etiam in Trophæum ab eodem Rege hæresis deuictæ: Rupellensis Ciuitatis, Galliæ hæreticorũ Samariæ, quindecim mensium obsidione captæ: & in suæ, suorúmque Ducum, Equitum, & militum generositatis, memoriale perpetuum. Ipso met declarante, in Edicto quod ab ipso exiit mense Nouembri anno 1628. *Acceptatus fuit iste Conuentus, à Patribus animo gratulanti: prædicti Christianissimi Regis piæ admodùm liberalitati, perenne Sceptrum; frequentes Victorias; vberem Gratiam; amplam Sobolem, exoptantibus: & immortales gratias, ex intimiore cordis recessu proferentibus.* ibid.

*Rex Galliæ Ludouici XIII.*

## *CONVENTVS PROVINCIAE Siciliæ, seu Messanensis.*

MILAYTANVS tit. Iesu Mariæ, Diœcesis Messanensis, à B. P. iuxtà mare *ædificatus* ad instantiam ciuium Ciuitatis Milaytanę, anno 1464. vbi Siciliæ fretum superpallio transmisit, cum duobus sociis; R. scilicet P. Paulo de Paterno, & F. Ioanne à S. Lucido, qui in eo

1464.

requiescit

requiescit sub altari maiori: quorum vitas, vide lib. 2. Historiæ generalis Ordinis. Quamplurimis aliis miraculis, à B.P. editis, quorum vestigia adhuc extant, Conuentus iste condecoratus fuit: quæ apud ciues Milaytanos, memoriæ nunquam perituræ sunt, & immortalis. *De Conuentus huius Correctore, fit mentio in* c.1. Rom. 4.

MESSANENSIS. Ciuitatis Archiepiscopalis, à B.P. Turonis degente *Acceptatus*, anno 1503. *Fundatoribus* eiusdem Ciuitatis ciuibus: intuitu miraculorum, quæ eundem B.P. patrasse viderant, in Ciuitate, Milaytana. *De Conuentus huius Correctore fit mentio in* c.1. Rom. 4. Est ad mare. In eius Ecclesia, requiescit inter quãplures alios Dei seruos, R.P. Andreas de Messana, sanctitatis fama apud Religiosos & seculares, & miraculorum gloria venerãdus, ex Montoya hic. Catholici Regis Hispaniarum Philippi II. annuis eleemosynis; fuit hic Conuentus ædificatus.

1503. *Ciuitas.* *Rex Hispan. Philippi* II.

CATANENSIS. tit. S. Onophrij: Ciuitatis Episcopalis: *ædificatus, largissimis Ciuium Catanensium eleemosynis: & Acceptatus considerata loci amœnitate, opulentia, & populi deuotione.* c. Malach. 13. Est ad mare redundans piscibus; Prouinciæ Nouitiatus. *In huius Conuentus Fundatorem, acceptarunt Patres* Illustriss. D. Raimundum Cicalam; *eo quòd, ad illius ædificationem multùm contulerit.* cap. 7. Rom. 23. In eius Ecclesia, prædicabat Reuerend. P. Bernardus à Catana Societatis Iesu, die Festo B.P. Francisci de Paula, quando illo feruentissimè inuocato in pulpito, ob extremam totius Siciliæ sterilitatem, ex im-

1526. *Nobilis.*

DVNO-REGIENSIS.
SYLLIACENSIS. } *Acceptati*.ibid.
CHINONENSIS.

RVPELLENSIS, seu, DE LA DIGVE. tit. B.Mariæ à Victoria: *quem deuictis fidei hostibus: compressa rebellium contumacia* Pietas Christianissimi Regis Galliarum & Nauarræ Ludouici XIII. Iusti *Ordini nostro consecrauit: ne militibus, quos viuos in castris Charitas fratrum nostrorum eximiè erat prosequuta, mortuis opportuna deessent suffragia*. c.3.Barchin. 73. Et etiam in Trophæum ab eodem Rege hæresis deuictæ: Rupellensis Ciuitatis, Galliæ hæreticorũ Samariæ, quindecim mensium obsidione captæ: & in suæ, suorúmque Ducum, Equitum, & militum generositatis, memoriale perpetuum. Ipso met declarante, in Edicto quod ab ipso exiit mense Nouembri anno 1628. *Acceptatus fuit iste Conuentus, à Patribus animo gratulanti: prædicti Christianissimi Regis pia admodùm liberalitati, perenne Septrum; frequentes Victorias; vberem Gratiam; amplam Sobolem, exoptantibus: & immortales gratias, ex intimiore cordis recessu proferentibus*. ibid.

*Rex Galliæ Ludouici XIII.*

## *CONVENTVS PROVINCIAE Siciliæ, seu Messanensis.*

MILAYTANVS tit. Iesu Mariæ, Diœcesis Messanensis, à B. P. iuxtà mare *ædificatus* ad instantiam ciuium Ciuitatis Milaytane, anno 1464. vbi Siciliæ fretum superpallio transmisit, cum duobus sociis; R. scilicet P. Paulo de Paterno, & F. Ioanne à S. Lucido, qui in eo requiescit

1464.

requiescit sub altari maiori: quorum vitas, vide lib. 2. Historiæ generalis Ordinis. Quamplurimis aliis miraculis, à B.P. editis, quorum vestigia adhuc extant, Conuentus iste condecoratus fuit: quæ apud ciues Milaytanos, memoriæ nunquam perituræ sunt, & immortalis. *De Conuentus huius Correctore, fit mentio in* c.1. Rom. 4.

MESSANENSIS. Ciuitatis Archiepiscopalis, à B.P. Turonis degente *Acceptatus*, anno 1503. *Fundatoribus* eiusdem Ciuitatis ciuibus: intuitu miraculorum, quæ eundem B.P. patrasse viderant, in Ciuitate, Milaytana. *De Conuentus huius Correctore fit mentio in* c.1. Rom. 4. Est ad mare. In eius Ecclesia, requiescit inter quāplures alios Dei seruos, R.P. Andreas de Messana, sanctitatis fama apud Religiosos & seculares, & miraculorum gloria venerādus, ex Montoya hic. Catholici Regis Hispaniarum Philippi II. annuis eleemosynis; fuit hic Conuentus ædificatus. 1503. *Ciuitas.* *Rex Hispan. Philippi II.*

CATANENSIS. tit. S. Onophrij: Ciuitatis Episcopalis: *ædificatus, largissimis Ciuium Catanensium eleemosynis: & Acceptatus considerata loci amœnitate, opulentia, & populi deuotione.* c. Malach. 13. Est ad mare redundans piscibus; Prouinciæ Nouitiatus. *In huius Conuentus Fundatorem, acceptarunt Patres* Illustriss. D. Raimundum Cicalam; *eo quòd, ad illius ædificationem multùm contulerit.* cap. 7. Rom. 23. In eius Ecclesia, prædicabat Reuerend. P. Bernardus à Catana Societatis Iesu, die Festo B.P. Francisci de Paula, quando illo feruentissimè inuocato in pulpito, ob extremam totius Siciliæ sterilitatem, ex im- 1526. *Nobilis.*

prouiſo & miraculosè, maximam pluuiarum abundantiam obtinuit.

CASTANENSIS. tit. S. Nicolai: Diœceſis Meſſanenſis 12. à mari milliaribus, in terra fertilitatis maximæ, Ciuium abundãtibus elee-
1578. moſynis ædificatus. *Acceptatus*. c. 1. Auen. 12. c.
1581. 1. Barchin. 22.

SYRACVSANVS tit. S. Antonij, Illuſtris, antiquæ & Epiſcopalis Ciuitatis. *Acceptatus*. c. 1. Barchin. 22. ad mare.

S. ANGELI tit. S. Franciſci de Paula: Ciuitatis Epiſcopalis; intrà illam *ædificatus*, anno
1582. 1582. tribus milliaribus à mari diſtans. *Funda-*
*Nobilis.* *tore*, liberali D. Paulo Ciraulo.

LEONTINENSIS. tit. S. Andreæ: Diœce-
*Ciuitas.* ſis Syracuſanæ. *Fundatrice* Ciuitate ipſa Leontinenſi, pulcherrima & camporum fertilitate diuite: piſcium abundantia, propter maris & lacuum vicinitatem, vitæ noſtræ admodùm con-
1584. grua. *Acceptatus*. c. 5. Genu. 14. c. 5. Rom. 10.
1587. LINGVÆ GROSSÆ. tit. S. Mariæ Lauretanæ: Ciuitatis Epiſcopalis. *Fundatrice* eadem
*Ciuitas.* Ciuitate. *Acceptatus*. c. 5. Rom. 10. Propter maris & lacuum vicinitatem, & hic abundat piſcibus.

SCALETENSIS tit. SS. Philippi & Iacobi; Meſſanenſis Diœceſis. *Fundatore* Nobiliſſimo
*Baro.* D. Cæſare de Morchetto, Barone Scaletẽſi, vnico milliari procul à mari. *Acceptatus*. ibid.

CALATAGIRONENSIS. tit. S. Antonij:
*Ciuitas.* Diœceſis Syracuſanæ. *Fundatrice* Ciuitate ipſa Calatagironenſi. Magnificè ædificatus, ad mare & lacus piſcibus refertos. *Acceptatus*. c. 5. Va-
1593. lent. 26.

CON

CONDRONENSIS Diœcesis Messanensis, ad mare *ædificatus* anno 1601. *Fundatore*, Nobilissimo D. Paulo Bonfilo, Barone Condronensi. 1601. *Baro.*

MOLITELLENSIS. *Fundatore*, eximio D. Francisco de Branquiforte, Principe Prouinciæ Messanensis; & Illustrissima D. Ioanna de Austria, *eius Coniuge & eorum filiis.* c.6. Rom.7. *Acceptatus.* ibid. *Principes.* 1617.

TAVROMENIENSIS. *Acceptatus.* ibid.

VISINVS. De quo in Capitulis Generalibus nihil reperi: sed solùm nomen in Cronicis Ordinis.

MONTIS-FORTIS tit. Sanctissimæ Trinitatis. *Fundatore* Nobilissimo D. Barone Montis-fortis & eius Vxore: *eo quòd fundum dederint pro Conuentus huius ædificatione. Fũdatricibus etiam* DD. Hieronyma & Agatha Pullinna, *quæ dederunt redditus opulentissimos.* c.7. Rom.23. *Acceptatus.* ibid. *Barones.* 1623.

HECTENSIS tit. B. Mariæ. V. *Acceptatus.* ibid.

GIPSENSIS. tit. S. Antonij. *Acceptatus.* ibid.

RANDALIENSIS. tit. S. Francisci de Paula. *Acceptatus.* ibid.

MESSANENSIS. Monialium tit. S. Eliæ. Requiescunt in hoc Conuentu deuotæ Sorores, Virgines, Maria Pharaone à Messana; quæ moriens cœlesti visa est lumine circumfusa: de qua R.P. Octauian. Cajetan. Societatis Iesu, in Chronicis Regni Siciliæ. Et Bernarda à Monteforti etiam Messanensis, quæ vigiliis, cõtinuísque pœnitentiis attrita migrauit ad sponsum.

Illius corpus,aliquot diebus à ſepultura, ſtans repertum fuit in crypta, in veſte candida: nec nobilem puellam ſecularem in hoc defunctam Monaſterio,iuxta ſe admiſit.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Franciæ, ſeu Pariſienſis.*

PARISIENSIS I. dictus NIGEONENSIS tit.S. Mariæ Gratiarum omnium; apud Inclytam Pariſiorum Ciuitatem, Galliarum caput, Chriſtianiſſimorum Regum Curiam celeberrimam; in tota Europa incomparabilem;
1493. & paruum, vt vocant, mundum. Anno 1493.
*Regina Galliæ.* ad Secanam à B.P. *Acceptatus*, quem & ſua ſancta præſentia creditur honoraſſe. *Fundatrice* Chriſtianiſſima Regina Anna à Britannia, de qua ſuprà. Hæc dedit B.P. caſtrum antiquum Nigeonenſe (vndè Conuentus nomen petitur) ad eundem Conuentum conſtruendum: cuius hæc eadem Regina, perſonaliter petram fundamentalem poſuiſſe traditur. Omnia & ſingula quæ in Conuentu iſto ſunt (virorum plurimorum maximè Religioſorum Seminario ſanctiſſimo) Regalem redolent magnificentiam. *Eccleſia*, & ſpecialiter chorus. *Sacriſtia*, quamplurimis Regalibus Eccleſiaſticis ornamentis ornata: ſicut & vaſis argenteis & aureis non paucis. *Clauſtrum*, exquiſitioribus picturis antiquorum SS.Martyrum paſſiones,vndique referentibus,mirificè depictum. Pictis etiam, ceruleatis & deauratis fornicibus, iiſdem denique vitreis ex parte luci peruia, memorabile. *Refe-*

*ctorium*

*Oratorium* amplissimum, picturis penitus ornatum. *Bibliotheca* illustris, continens quamplurimos Codices antiquissimos manuscriptos, & omniũ librorum genera quæ possent expeti. *Dormitoria* religiosa, commoda, recreatiua, & prospectu admodùm delectabilia. *Horti* amœnissimi, & satis dilatati. Sed maximè commendabilis est iste Conuentus, ratione plurimarum *sanctarum Reliquiarum*; & specialiter, B. P. Francisci de Paula; quæ in eius Sacristia religiosissimè custodiuntur: vita Religiosorum qui in illo sunt, maximè solitaria, à Curiæ Regalis & populi tumultu penitus segregata: ideóque & exactissima Regulæ & Regularis disciplinæ obseruantia: *De Conuentus huius Correctore, fit mentio in* c. 1. Rom. 4. *& Prouinciæ Caput declaratur.* ibid. 10. In quo celebratũ fuit vnicum Capitulũ Generale. Requiescunt in illo, miræ pietatis & Religionis Viri; Reuerendi Patres Ioannes Dehem, Ioannes Allard, Ioan. Bapt. Des-bois, & Ioseph le Tellier: quorum vitas, vide lib. 3. Historiæ Generalis Ordinis.

AMBIANENSIS Ciuitatis Episcopalis, à B. P. *Acceptatus* anno 1498. *Fundatore* potentissimo & Nobilissimo D. Ludouico de Edumuille; Belgij Gallici Pro-Rege: & Nobilissima D. Francisca de Bimont eius Vxore; filia Nobilissim: D. de Bimont, D. de Sadricour. Propriam quippe domum, quæ Hispaniæ palatium dicebatur, pro hoc construendo conuentu, instigante prædicta Regina Christianissima Anna à Britannia, liberaliter inter alia multa dederunt. *De Conuentus huius Correctore, fit mentio in* c.

1498. *Pro-Rex Galli Belgici.*

 1. Rom.

1. Rom. 4. *Dicitur* Conuentus *Ambienſis*. cap. 1. Valent. 9.

ABBEVILLENSIS I. Diœceſis Ambianenſis: à B. P. *Acceptatus*, anno circiter 1501. *Fundatore* Illuſtriſſimo D. Andrea de Rambures, vt videre eſt in Bulla Iulij II. quæ incipit *Dudum*, ſub datum Romæ 5. Kalend. Auguſti 1506. Et Illuſtriſſima D. Anna de Albin, eius Coniuge. Cõuentum quippe hunc in proprio fundo conſtruxerunt, & pro octo Religioſis dotauerunt. Quem poſteà Illuſtriſſ. D. Ioannes de Baudricour, Franciæ Polemarchus, & in Burgundia Gubernator; ad orandum B. P. Franciſcum de Paula vt ad ſe veniret, Orator Italiam miſſus à Chriſtianiſſimo Rege Ludouico XI. admodùm illuſtrauit.

1501. *Nobiles.*

DIEPENSIS Diœceſis Rothomagenſis, ad mare *Cœpit ædificari*, anno 1583. *Fundatore* Illuſtriſſimo Carolo Cardinali de Bourbon. Interruptum opus ratione mortis prædicti Fundatoris, proſequutum fuit & conſummatum, anno 1590.

1583. *Cardinalis.*

SVESSIONENSIS Ciuitatis Epiſcopalis; Ciuium Sueſſionenſium copioſis eleemoſynis *ædificatus*, anno 1583. iiſdémque, initio nutritus per aliquos annos. Quibus tranſactis, eruditus & famoſus Doctor Petrus Moreau, illum valdè magnificè dotauit, vndè illius *Fundator dicitur*. c. 3. Barchin. 20. Suiſque datis, ſeipſum Religioni dedit; in qua profeſſionem emiſit, & cum tanta ſanctitate vixit, vt *ipſius procurandam eſſe Beatificationem*, ibidem *concluſum fuerit*; vt diximus Verbo *Beatificatio*. Reuerendiſſ. etiã D. Hie

*Doctor, poſteà Minimus sãctitate conſpicuus.*

D. Hieronymus Episcopus Suessionensis, huius Conuentus. *Fundator fuit declaratus, pro se solum: ob quamplurima beneficia, ab illo eidem Conuentui, & toti Religioni collata.* c. Massil. 15. *Episcopus.*

PARISIENSIS II. qui & VICENENSIS seu Vitæ sanæ dicitur, apud Ciuitatem Parisiorum, tit. B. Mariæ Regum. *Fundatore*, Magnifico & Christianissimo Galliarum & Poloniæ Rege Henrico III. *Acceptatus ad ipsius instantiam, quam fecit propriis litteris ad Capitulum Generale scriptis; quibus etiam petebat, vt illi duo ex nostris fratribus concederentur, pro eius deuotione, qui manerent apud eius cubiculum. Quod Patres gratissimum habuerunt.* c. 5. Rom. 14. Conuentus iste, ædificatus fuit anno 1164. pro Ordine Grandimontensi: à cuius Religiosis fuit inhabitatus, ad annum vsque 1583. quo Prior illius vltimus, cōmēdatarius, R. D. Ruotusius Hutaltus, in manibus prædicti Regis Christianissimi, illi renunciauit. Consensum Abbatis Generalis Grandimōtensis Ordinis, obtinuit Rex, vt hunc Conuentum daret Religiosis à sua Majestate eligendis; quem tandem Ordini nostro dedit, cum omnibus ipsius bonis, redditibus, directis, actionibus &c. quibus prius gaudebat RR. Patres Grandimontenses. Quā translationem confirmauere Summi Pontifices Gregorius XIII. & Sixtus V. quorum Bullæ, in Conuentus huius Archiuo conseruantur. *Rex Galliæ Henric. III.* 1587.

FVBLINENSIS tit. S. Petri Diœcesis Meldensis. *Acceptatus.* c. 5. Valent. 26. *Fundatore* R. admodum ac Nobilissimo D. Petro Pusemio, Reuerendiss. Episcopi Meldensis Vicario Generali. 1593. *Vicar. Gener. Episcop.*

nerali. Hic, Cōuentum dotauit, *pro sexdecim Religiosis*, propriam pro illo fabricando domum, & centum viginti iugera agrorum dedit. Reuerendissimus Episcopus Meldensis, vt Fundatorum Ordinis numero adscriberetur, maximam pecuniæ summam est largitus, pro Ecclesiæ & Conuentus huius ædificatione, anno 1605. Admodùm huic fabricæ profuerunt, amplissimæ liberalitates Christianissimæ Reginæ Mariæ de Medicis, Henrici Magni Vxoris, & Ludouici Iusti Matris. Sicut etiam eleemosynæ multarum nobilium Dominarum, quæ ergà B.P. Franciscum de Paula, deuotione quam maxima ferebantur. Hinc fit, vt omnimodè perfectus sit iste Conuentus: magnificus, pietati aptissimus, & maximæ recreationis: habens nemus intrà septum spaciosissimum. Est & aëris purissimi, & situs eminentis admodùm delectabilis, iuxtà Palatium Regium. Pomiferis arboribus, per quingentos passus, vndiquè circum-ambitus aquarum abundantia irriguus: & talis, vt vix in tota Gallia ei similis reperiatur.

*Episcopus.*

Rothomagensis tit. B. Mariæ V. Ciuitatis Archiepiscopalis, Normanniæ Capitalis,
1593. in qua Regium Parlamentum sedet. *Acceptatus*
*Præses.* c. 5. Valent. 26. F*undatore* Nobilissimo D. Vincente Cirilla, D. de Bumol, tunc in prædicto Parlamento Consiliario: postmodùm in eodem Præside.

1605. Parisiensis. III. ad Plateam Regiam
*Rex Galliæ Henric.* IV. tit. S. Francisci de Paula. *Acceptatus*. c. 7. Genu. 9. & c. Massil. 13. *Fūdatore primo & præcipuo* Christianissimo Rege Galliarum & Nauarræ Henrico

co Magno, *eo quòd fundum dederit huius Conuentus*.c.6.Rom.8.*Fũdatore etiam* F.Oliuario Chaillou, *olim* Canonico *Ecclesiæ* Parisiensis, *nunc verò Ordinis nostri Nouitio* (hoc autem anno 1631. huius Prouinciæ Franciæ Reuerẽdo admodùm & meritissimo Prouinciali) *qui quatuordecim millia librarum est largitus pro hoc Conuentu construendo. In grati autem animi signum, Fundatorum Catalogo Patres adscripserunt*, Nobilem D. Ioannem Chaillou, Consiliarium Regium, *Fratrem Germanum dicti fratris Oliuarij Chaillou, & ex prosapia S.P.N. Francisci de Paula, ex Sorore oriundum:* & prædicti D. Vxorem, *in Fundatricem: sicut* & duas Sorores dicti fratris: *sed hæ, ad vitam tantùm*.c.7.Genu 9.*In Fundatorem etiam eiusdẽ Conuentus, assumptus est* Illustriss. D. Marchio de la Vieuuille, Pro-Rex Campaniæ: *eo quòd huic Conuentui dederit mille libras argenteas, annui redditus perpetui: & insuper octo mille libras, pecuniæ partim numeratæ partim numerandæ, pro ædificando Sacello & Maiori altari dicti Conuentus. Quod ratum habuere Patres, viso diplomate Regio consensiente*. c. 6. Rom.8 *Eiusdem Conuentus Fundatricis priuilegiis, gaudebit etiam* Nobilissima Vidua Clarissimi D. de Sourdis, *ad vitam duntaxat: eo quod, sex mille libras pecuniæ numeratæ, dederit huic Conuentui, in illius ædificium*.ibid.ex Voto, pro prole filio obtinenda. In *Ecclesia* Conuentus huius, sunt quatuordecim magnifica Sacella, vltrà Majus Altare: quorum Fundatores, sunt Principes, Duces, Marchiones, Præsides & similes. Nominatim, Illustrissimus ac Nobilissimus D. Nicolaus le Iay, *Eques, Dominus Tilli, Domus Rubeæ, & S. Fargei,*

*Canonicus, factus Minimus.*

*Marchio.*

*Vidua Nobiliss. ex Voto.*

Fargei; Regius *in vtroque sanctiori consilio Senator, & Secundus*(hodie Primus) *in suprema* Parlamen*ti* Pa*risiensis* Curia,Pr*æses:qui centum quinquaginta libras annui redditus, pro vna Missa solemnioribus Festis celebranda;& sex mille libras, numerata pecuniæ dedit,pro constructione vnius* Capellæ. *Quæ grata & accepta habuerunt* P*atres:eóque nomine, dicto Nobilissimo Præsidi gratias referentes,cùm ob alia plurima in Ordinem iam collata beneficia;tùm ob non defuturam prolixiorem, vt spes est,liberalitatem;eum in singularium benefactorum numerum receperunt.* c. 3. Barchin. 36. De hoc Conuentu sufficiat dicere, illum esse in Parisiensi Ciuitate, & ad Plateam Regiam,celebriorem illius locum. In illius *Sacristia,*religiosè custoditur *pars ossis* B.P.N.Francisci de Paula,globo cristallino, quingentorum nummorum prætij,inclusa.

Castroteriensis tit. Iesu Mariæ; Diœcesis Suessionensis. Magnificè ædificatus, ad fluuium piscibus redundãtem amœnissimos habet *hortos;viridaria* pomifera; *fontes*, & *viuarium* deliciosum valdè. *Acceptatus*. c. Massil. 13.
1611. *Princi-pes.* F*undatore* Illustrissimo Principe Francisco d'Orleans,Comite à S.Paulo,Duce de Fronsac.*Fundatrice* Illustrissima D. Anna de Caumont, eius coniuge: *qui hunc Conuentum fundauerunt; & dotauerunt summa mille librarum, annui redditus perpetui*.c.6.Rom.8.

Compiegniensis.tit.S.Petri *Acceptatus*.c.Massil.13. F*undatrice*, Illustrissima D. Laurentia de Clermont, Vidua Excellentissimi Du-
*Franciæ Conesta-bilis.* cis de Montmoranciaco, Franciæ Conestabilis; *ad vitam duntaxat: eo quod absque aliquo onere, Conuen*

*uentui huic quingentas libras dederit, annui redditus perpetui.* c.7. Rom. 24. Est Parrochia, de consensu Summi Pontificis Ordini nostro aggregata, anno 1607.

PERONENSIS. Diœcesis Ambianensis. *Acceptatus.* c. Massil. 13. *Fundatore* Nobilissimo D. Ioanne de Crequi, Barone Berneuilensi. *Fundatrice* Nobilissima D. Iacoba Emanuela de Goufien, ejus Vxore: eo quod Palatium dederint, pro hoc construendo Conuentu: quem insuper pro tredecim Religiosis dotarunt. *Barones.*

NIVERNIENSIS Ciuitatis Episcopalis, *Acceptatus* ibid. F*undatore Illustrissimo D. Carolo de Gonzaga & Cleues, Duce Niuerniensi &* Rethe*lensi, Supremo Principe Porciano, &c.* (Nunc Serenissimo Duce Mantuæ & Montis-ferrati) *ex Voto. Fundatrice Illustrissima D. Catharina à Lotharingia eius Vxore.* ibid. Emisso enim Voto, pro habenda prole, intercessionibus B. P. N. Francisci de Paula, anno 1606. in Conuentu nostro Nigionensi, in manibus R. P. Claudij du Viuier, tunc Franciæ Prouincialis, exauditi intra annũ fuere, obtinentes à Deo filium, qui fuit Dux Rethelensis. Huius Patrinus, Nomine R. P. Generalis Ordinis, in prouinciarum visitationibus occupati, cum dispensatione Summi pont. & iuxta votum dictorum principum, fuit prædictus etiam R. P. Prouincialis, qui ad normam Voti, Francisci de Paula illi nomen imposuit. Iidem Principes, Maxima cum Magnificentia Conuentum istum ædificandum curarunt, impensis plusquam quadraginta milliũ nummorum aureorum; quorum impensæ, maximè micant, *Dux Mantuæ cũ Vxore.*

cant, in altari maiori Ecclesiæ, Marmoribus albis, Iaspidibus variis, & aliis lapidibus pretiosis, Columnis item Marmoreis maximi pretij, cum tanta magnificentia ædificato, vt vix in tota Gallia reperiatur aliud, quod ei possit adæquari. Dotarunt hunc Conuentum, iidem Principes Fundatores, summa duarum millium librarum, annui redditus perpetui.

1617. CALESTIENSIS *Acceptatus*. c. 6 Rom. 8. Est in portu Maritimo optimè munito: ad Angliam.

*Princeps.* GVISIACENSIS. *Fundatore Illustrissimo Carolo de Lotharingia, Duce de Guisa, Principe de Jainuilla &c. Accept.* ibid. Elegāter est ædificatus, in decursu amnis, amœnissimos hortos & Viridariū copiosè irrigantis: & amplissimè dotatus.

*Regius Secretarius, &c.* BELLOVACENSIS, Ciuitatis Episcopalis, *Acceptatus*. c. 6. Rom. 8. c. 7. Rom. 24. *Fundatore, Nobilissimo D. Thoma le Clerc, Vtriusque Consilij Regis Christianiss. Consiliario. Vectigalium Regiorum generali Præfecto, secretique cubiculi Secretario. Fundatrice, dilectissima eius Coniuge, D. Susanna le Sergent*. c. 7. Rom. 24. *Fundatorum & Fundatricum priuilegio, gaudebunt etiam, sed ad vitam tantū, Nobiliss. D. Franciscus de Mariscot, & Nobiliss. D. Ludouica de Combeoult, eius Coniux*. ibid.

CALNIACENSIS }
DESISIENSIS } *Acceptati*. c. 7. Rom. 24.
ALNETENSIS }
BONÆ-DOMVS }

ABBEVILENSIS II. tit. Iesu Mariæ: Monialium. *Acceptatus* anno 1621. à R. P. Francisco Ripariano, tunc Collega Gallo: Galliarúmque Vicario & Visitatore Generali.

CON

## CONVENTVS PROVINCIAE *Genuensis.*

GENVENSIS I. tit. Iesu Mariæ. *Acceptatus* in celeberrima & libera ciuitate Genuensi, Archiepiscopali & Reipublicæ Capite, à Patribus Nationis Gallicæ, à B.P. ad hunc effectum è Gallia missis; circa annum 1494. Ædificatus in cacumine Montis-sani: ascensu quidem difficilis: sed maximæ recreationis: propter prospectum Ciuitatis, portus & spaciosissimi maris, quod indè latè contemplari licet: 1494.
Iuxtà magnificum Palatium, Illustrissimi Principis Doria, situs: in fundo Dominorum Illustrissimæ Domus Lomelinæ, quem nostris fratribus vendidit, Dominus Augustinus Lomelinus, anno 1594. Constructus autem fuit, piorũ Nobilium & aliorum Eleemosynis, maximè Principis Doria, tunc viuentis, qui tanto Charitatis affectu nos prosequebatur, tantaque fouebat liberalitate: vt, plusquam per triginta annos, vocarentur nostri, Principis Doriæ Religiosi. Perpulcra & benè ornata est *Ecclesia* Conuentus huius. *Claustrum* elegans. *Dormitoria* maximè Religiosa. *Bibliotheca* Illustris. *Sacristia*, quamplurimis SS. Reliquiis Sanctificata: maximè Caputio, & Perspiciliis, cum illorum Theca, B.P.N. Francisci de Paula. Quas Reliquias, è Cõuentu Foroiuliensi ad Genuensem detulerunt Patres Galli. Et cum illis, multa miracula patrantur. Custodiuntur admodùm deuotè, in thecis argenteis deauratis. *De Con-*

*uentus huius Correctore fit mentio in* c.1.Rom.4.*De-claratur caput Prouinciæ.* ibid. 10. *Deuotissimus*
*Iudex.* Dominus Petrus Ferleto, *Vrbis Genuensis Iudex, & ex primariis nostris benefactoribus, Fundatorum numero est ascriptus : vnà cum honestissima eius Vxo-*
*Deuota.* *re*.c.2.Barch.6.*Item*,Domina Beatrix du Bourg, ibid. 7. In hoc Conuentu celebrata sunt VII. Capitula Generalia.

SAVONENSIS tit.S. Lazari : Ciuitatis Epis-
1600. copalis. *Acceptatus*, anno 1600. Illius Ecclesia, est vetustissimum Templum, Equitum Ordinis Militaris Sancti Lazari.

SARZANENSIS tit.S.Andreæ:Ciuit.Episc.
1601. *Acceptatus*, anno 1601. In medio Ciuit. Cuius Ecclesia à Ciuibus nobis data,ad instantiam Illustriss.D.Ioannis Baptistæ Saluagij,Nobilis Ciuis Genuensis,Episcopi Sarzanẽsis,est vetustissimum & peramplum Templum,decem Sacella habens,vltra Majus Altare:quod olim per multos annos,Ciuit. eiusdẽ fuit Ecclesia Cathedralis,pulcra valdè,& exquisitis picturis adornata.

ALBINGANENSIS tit. S. Francisci de Paula : Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* an-
1602. no 1602.*Fundatoribus* Nobilissimis & præcipuis
*Nobiles.* Dominis Ciuitatis eiusdem : Illustrissimo D. Abbate Corta:D.Octauio ipsius Fratre:D.Prospero Cipola : DD.Vincentio & Saluagio d'Aste:D.Ioanne Thoma Lenguelia,S.Iacobi equite. D.Gregorio equite d'Aste.Delectabilis valdè est Conuentus huius situs, iuxtà Mare,Hortis spaciosis circumuallatus. In illo, pulcra admodùm est ædificata Ecclesia, in qua Sacellum B. P. Francisci de Paula, splendidè fundatum

fuit,

fuit, à D. Prospero Cipola, in eodem sepulto.

LEVANTINVS tit. S. Francisci de Paula. *Acceptatus*. c. Massil. 18. *Fundatore* D. Peregrino Merano, *& eius Vxore*. ibid. Est iuxtà mare, in loco amœnissimo. Habet *hortos*, aquarum abundantia irriguos. Merca-tor. 1611.

DE BVRGETO tit. S. Spiritus: *Acceptatus* ibid. In Colle ad Mare situs, ratione perpulcræ Ecclesiæ Nobis datæ, tit. S. Spiritus, cui eædem concessæ fuerunt Indulgentiæ à Summis Pontificibus, quæ Ecclesiæ Hospitalis Romani, eiusdem tituli. Est locus iste solitariæ vitæ, & cõtemplationi admodùm aptus. *Fundator* huius Conuentus, est Excellentissimus Princeps Ioannes Andreas Doria, istius nominis secundus: & Excellentissima D. Ioanna Colona, eius Vxor. Princeps

NERVIENSIS: *Acceptatus* ibid. *Ædificatus* piorũ Eleemosynis, specialiter copiosis D. Andreæ de Facio, Nobilis Genuensis, Ordini nostro deuotissimi: idque in loco amœnissimo, quatuor milliaribus à Genua distante, in loco eminenti, ad mare: cui nec *horti*, nec aquæ salutares desunt.

SPEDIENSIS. *Acceptatus*, c. 6. Rom. 7. 1617.

GENVENSIS II. tit. S. Margaretæ, *dictus de Moracio, propè Genuam. Acceptatus*. c. 7. Rom. 23. Ecclesia ipsius, est Parrochialis: paruula, sed pulcherrima. Tabernaculum Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti, & candelabra circumstantia, sunt ex alabastro. Dormitoria duo habet, spaciosa & pulcra valdè. 1623.

ALGALIOLÆ } In Insula Corsica.
CENTVRII } *Acceptati*. ibid.

Calaritanus, in Sardinia Ciuitatis Archiepisc. Sardiniæ & Corsicæ Primatiæ. *Acceptatus.* ibid.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Aquitaniæ.*

THolosanvs tit. Iesu Mariæ & S. Rochi Ciuitatis Archiepiscopalis, Christianissimæ & maximè Catholicæ, inter omnes alias totius Orbis, Amplissimæ & Celeberrimę: Maximè ob Corpora VII. Sanctorum Christi Apostolorũ, quæ in illius Ecclesia tit. S. Saturnini, condita sunt, Argenteis Thecis deauratis, maximi pretij inclusa: & maxima populi veneratione frequẽtata, in quorum depositionis loco habetur.

1503. *Non est in toto sanctior orbe locus,*

*Acceptatus* fuit iste Conuentus, anno 1503. vt patet ex literis Regis Christianissimi Ludouici XII. sub datũ Lugduni 18. Maij anni prædicti 1503. quibus nostri Ordinis Religiosis dat Ecclesiam S. Rochi apud Tholosam, eisque facultatem facit, iuxta illam Conuentum ædificandi. Quæ omnia executioni mandata fuere, agente Tholosæ Senescallo, de prædicti Regis mãdato. Religiosissimè est ædificatus, *Fundatore* (Episcopus.) Reuerend. Domino, Laurẽtio Lalemand, Episcopo Gratianopolitano, S. Saturnini Tholosani Abbate; in Suburbiis Tholosæ: Septum habens amplissimum. *De illius correctore, fit mentio in* c. 14 Rom. 4. *Declaratur Caput Prouinciæ.* ibid. 10. *Sacras habet Reliquias*: Sagittã qua S. Sebastiani corpus confixum fuit, Theca argentea maximi pretij inclusam, ab Illustriss. & Reuerendiss. Card.

de

de Arminiaco datam: Pileolum & partem Ossis B.P.N. Franc. de Paula: & ligneam pateram, in qua bibebat idem Sanctus. In hoc Conuentu celebratum fuit vnum Capitulum Generale.

SAMATANEVS tit. S. Rochi: Diœcesis Lombariensis. *Acceptatus* anno 1533. in Suburbiis Samatanensibus, *Fundatore* Nobili Domino Equite de Lartigue. *De hoc Conuentu fit mentio, in* c. 4. Rom. 5. & in c. 4. Valent. 12. Destructus fuit iste Conuentus ab hæreticis anno 1589. Et postmodum piorum Eleemosynis reædificatus. 1533. *Eques.*

NARBONENSIS tit S. Antonij: Antiquissimæ Ciuitatis Archiepiscopalis. Piorum Eleemosynis ædificatus. *Acceptatus*. c. 1. Aueni. 12. Sacras habet Reliquias S. Antonij, in brachio argenteo inclusas. Est in portu maritimo maximè celebri, & optimis piscibus referto. *In Fundatorem huius Conuentus, acceptatus fuit, Illustrissimus & Reuerendiss. Dominus Cardinalis à Joyeusa Narbonensis Archiepiscopus: eo quod multa contulerit ad ædificationem dicti Conuentus: maximóque fauore Ordinem nostrum prosequatur.* c. 2. Auen. 4. 1578. *Cardinalis.*

TORNACENSIS tit. S. Mariæ de Castello: Diœcesis Tarbensis. *Acceptatus*. c. 5. Valent. 26. in Suburbiis Torniaci. *Fũdatore* Nobilissimo D. de Sarlabous, ibid. 29. immatura morte præuento. Vndè piorum Eleemosynis, sensim ædificatus fuit. 1593. *Nobilis.*

BLAVYENSIS tit. S. Mariæ boni portus: Diœcesis Burdigalensis. *Fundatore*, Nobilissimo D. de Lussan, Blauiensi Gubernatore, Prouinciæ Senescallo, & Excubitorum Regiorum Præfecto. Est in portu maritimo, nobis admodum op- *Regiorũ excubitorum præfectus.*

1611. portuno. *Acceptatus*.c.Massil.29.

BVRDIGALENSIS tit.S.Mariæ omnium Gratiarum & S. Rochi. Ciuitatis Archiepiscopalis,in qua est Parlamentum. *Fundatore* Primario Christianissimo Galliarum & Nauarræ Rege Henrico Magno, qui Conuentus huius situm dedit. Secundario verò Generorissimo & Illustrissimo Domino Alphonso d'Ornano,Castrorum Galliæ Prefecto,seu Mareschali,Aquitaniæ pro Rege. *Acceptatus*.ibid. Est ad Garonnam,fluuium, non longè à mari, & in Ciuitate opulentissima.

*Rex Galliæ Henric. IV.*

*Præfectus militum.*

VICCIENSIS Diœcesis Tarbensis. *Acceptatus*.ibid.Piorum Eleemosynis ædificatur.

CASALENSIS Diœcesis Auzitanensis, *Acceptatus*.ibid. *Fundatore*, Illustrissimo Domino Ioāne Ludouico de Nogaret,Duce d'Espernon, *Pari Franciæ,Vtriusque Ordinis Regij Equite, & in Prouincia Aquitaniæ Gubernatore*.ibid.

*Dux & Par Frãciæ.*

BITERRENSIS Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*.ibid. Conuentus iste, in Ciuitate optima, Ciuium piorum Eleemosynis, magnificè ædificatur. Iam dormitorium habens spaciosum, & elegantissimum.

PLANIACENSIS Diœcesis Petrigorriensis *Acceptatus*.c.6.Rom.8. *Fundatore* Illustris.D.

1617. Federico,Comite de Gurson: *eiusque fidelissima coniuge*.ibid.

*Comes.*

D'AVBETERRE Diœcesis eiusdem. *Acceptatus*. ibid. *Fundatore*, Illustri Domino Francisco,Desparbes. *Marchione D.Aubeterre:eiusque dilectissima coniuge*.ibid.

*Marchio*

CARCASSONENSIS, Ciuitatis Episcopalis,

lis, *Acceptatus*.c.3.Barchin.38.

## CONVENTVS PROVINCIAE *Granatensis.*

MALACHITANVS tit. S. Mariæ de Victoria. ciuitatis Episcopalis. *Fundatore* Catholico Hispaniarum Rege Ferdinando V. de quo Doctor Tristanus, in Enchiridio Virorum Illustrium Ordinis Minimorum in vita S.Francisci de Paula, ait. *S.Franciscus de Paula, Ferdinando Sanctissimo Hispaniarum Regi, per duos* Fratres *Minimos* (de his, cum de Prouincia Granatensi) *de Mauris, octingentis annis Regnum occupantibus, Victoriam mandat. Dum enim Malacham Granatæ obsideret, nec vlla spes recuperationis esset: audito per dictos Religiosos nuncio, animatus est: Noctéque ipsa, fugientibus Mauris, Panico tremore, libertas Regno & Vrbi tradita. In cuius memoriam, celebre Monasterium, ab ipso Rege Ordini extructum est: quod deinceps de Victoria nominari voluit, sicut & Fratres dicti Ordinis, anno* 1492. Ex quibus patet, Conuentum istum, *Acceptatum* fuisse, à B.P.Francisco de Paula. *De illius Correctore, fit mentio,* in c.1. Rom. 4. *Prouinciæ caput declaratur.* n. 10. Mirificè & ad longum describitur à Montoya Hispano: qui, quæ ipsemet vidit, testatur. Ad illum, breuitati studens, beneuolum lectorem remitto. *In Conuentus huius Fundatorem, acceptatus etiam fuit,* D. Laurentius de las Passantes: & D.Maria, Mendez à S.Maiore, *eius Coniux: quia Capellam B. Mariæ de Victoria, in hoc Conuentu fundarunt.* cap.6. Rom. 9. In

*Rex Hispan. Ferdin. V.*

1492.

illo celebratum fuit vnum cap. Generale.

D'ANDVIAR tit. S. Helenæ. *Acceptatus*,
1495. anno 1495. *Fundatore*, Excellentissimo D. Petro de Lucena Olid, qui in Gallia apud Carolum
*Regis Cath. Orator.* VIII. Galliarum Regem, Regis Catholici Hispaniarum Oratoris officio fungens: per quinquennium Beato Patri fuerat maximè familiaris, & sanctitatis ipsius testis, eiúsque amicissimus. *Fundatrice* Excellentissima Maria Alphonso, eius vxore. Conuentus iste, est ex melioribus Prouinciæ Granatensis. *De illius Correctore, fit mentio.* in c.1. Rom.6.

DE EZIIA, tit S. Mariæ de Victoria, *Acce-*
1506. *ptatus* à B. P. anno 1506. *Fundatore* D. Francisco
*Nobilis.* de Aquilar, & Cordubæ, & D. Eluira Ponce de Leon, ex Andalosiæ totius familiis Illustrioribus. Qui inter alia multa, trecentos nummos reliquerunt pro singulis trienniis, perpetui redditus, cum obligatione celebrandi in perpetuum Capitulum Prouinciale, in hoc ipso Conuentu. *De Conuentus istius Correctore, fit mentio* c.1. Rom.6. in c.1. Valent.7. dicitur *Conuentus de Etita*. Est optimè ædificatus: ex totius Andalosiæ optimis. In ipsius Ecclesia, est Sacellum Conuersionis B Pauli Apostoli, maxima populi deuotione frequentatum.

CORDVBENSIS tit. S. Mariæ de Victoria:
1510. Ciuitatis Episcopalis, *Acceptatus*, anno 1510. In loco, in quo olim ædificatum fuerat, celebre monasterium Monialium: plurimorum Sanctorum Martyrum, sanguine irrigato & sanctificato. In illo Abbatissa quondam fuit Sancta Matrona Artemia, S.S. Martyrum Adulphi, Ioánis,

& Aureæ

&Aureæ Religiosæ & Martyris, Mater. Floruerunt etiam in eodem, gloriosæ Martyres, Flora & Maria. Conuentus noster, ibi ædificatus, variis apparitionibus (de quibus Montoya) factus est Venerandus. Illius *ædificium est* magnificum, *Ecclesia* spaciosa, variis Sacellis à nobilioribus Ciuitatis fundatis, adornata. *Claustrum* perpulcrum, dulcium aquarum fontem habens quæ variis officinis distribuuntur, ex lapide Iaspide, dato à Nobilissimo Marchione Priego, D. de Aquilar, D. Petro Poncio de Leon. *Infirmaria* gaudet singulari, sicut & Ianitoris Camera. *Hortis* amplissimis, Aureis, & omnium generum pomiferis arboribus plenis.

GRANATENSIS Ciuitatis Archiepiscopalis. *Acceptatus*, anno 1518. ad fluuium in- 1518.
signem. Amplissimam habet *Ecclesiam*: pulcris, & admodùm adornatis Sacellis illustratam: qùorum Fundatores sunt ex totius Granatensis Ciuitatis Nobilioribus. *Conuentus* est magnificè ædificatus, amœnissimis hortis cinctus: prospectus miræ recreationis, versùs prædictum fluuium. *In illius Fundatores,*
*admissi fuere* D. Ioannes de las Canças, & D. *Ciues.*
Ioanna de Vairera; *quia fecerunt Sacellum S. P. N. Francisci de Paula, in Claustro maiori Conuentus: & dederunt redditum annuum perpetuum, septuaginta nummorum.* c. 6. Rom. 9. *Item,* D. Ioannes Aluares de la Vega, & D. Margareta eius Coniux: *quia in Ecclesia dicti Conuentus, Capellam construxerunt: quam fundarunt, summa septuaginta nummorum, annui redditus perpetui.* ibid. Vixit in hoc Conuentu F. Didacus Barbutus Laïcus; è cuius

ius sepulcro, flores liliorum, sacris nominibus Iesus Mariæ inscripti, subitò nati sunt, ab ipsius ore originem trahentes. Et in eiusdem Conuentus Ecclesia requiescit, Item F. Andreas de Mora, etiam Laïcus, qui mortuum suscitauit. Horum vitas, vide in Historia Generali Ordinis lib. 4. & apud Montoyan lib. 4. Cronologiæ.

1548. *Comites* OSSVNENSIS. *Acceptatus* anno 1548. *Fundatoribus* Illustrissimis D. D. Comitibus de Vrena, D. Ioanne Tellez Gyron, Imperatoris Caroli V. maiori Camerario, & præcipuo Secretario: & D. Maria de la Cueua. *De eo fit mentio in* c. 5. Rom. 12. vbi dicitur, *illum esse communem Prouinciis Hyspalensi & Bethicæ, quoad studium.*

1551. BAECENSIS *Acceptatus* anno 1551. *Ecclesiam* habet, ex totius Ordinis illustrioribus. Illustratam maximè, miraculosa B. Virginis Imagine: de qua vide Doctorem Villalua, in sua Historia.

ARCHIDONENSIS tit. B. Catharinæ.
1556. *Princeps.* *Acceptatus* anno 1556. *Fundatore* Illustrissimo & Generosissimo Principe Comite de Vrena: fundato iam ab ipso, Conuentu de la Puebla. Erat in animo huius Principis, nullam iurisdictionis suæ Ciuitatem relinquere, in qua Conuentum nostri Ordinis non fundaret: sed immatura morte præuentus fuit.

NOALEIENSIS nullius Diœcesis. *Acceptatus* eodem anno. *Fundatrice* Illustrissima D. Mencia de Salcedo Serenissimæ Imperatricis Elisabethæ, Caroli V. Vxoris, Cameraria. *Imperatricis. Cameraria.*

VBE

VBEDACENSIS *Acceptatus* anno 1557. *De eo ſit mentio* in c. 3. Valent. 21. 1557.

LORIENSIS *Acceptatus anno* 1559. 1559.

ESTEPENSIS *Acceptatus* anno 1562. *Fundatore* Illuſtriſſ. D. Marco Centurione, primo Marchione de Eſtepa. 1562. *Marchio.*

MOTRILLENSIS Diœceſis Granatenſis. *Acceptatus* anno 1580. *Fundatrice* Ciuitate ipſa: ad mare ſitus. 158. *Ciuitas*

D'ALMVNNEÇAR *Acceptatus* anno 1582. 1582.

D'OLVERA Diœceſis Hiſpalenſis. *Acceptatus* anno 1583. in Eremitorio S. Sebaſtiani. Cõtradicente Clero Ciuitatis, vnus ex ipſo, Reuerẽdus ſcilicet Licentiatus, D. Ioannes de Palma-Galan, propriam domum nobis dedit: & ſitum, in quo Conuentus eſt nunc ædificatus. Vndè, illius eſt *Fundator.* 1583. *Canonicus.*

D'ANTEQVERA *Acceptatus* anno 1585. 1585.

CAPREÆ Diœceſis Cordubenſis. *Acceptatus.* c. 5. Valent. 26. *Fundatrice* Illuſtriſſima D. Franciſca Fernandes de Corduba, Duce de Baëna, & Comitiſſa de Cabra. *Fundatore,* Illuſtriſſimo D. Antonio de Corduba, ipſius conſobrino & hærede, Duce de Ceſa & Soma. Conuentus iſte eſt ex optimis totius Andaloſiæ, & maximæ recollectionis. In illo requieſcunt R. P. Antonius de los Reyes, Zelo pœnitentiæ & carnis mortificatione admirabilis: Diuinis viſionibus & miraculis clarus. Et R. P. Bartholomeus Martines, miræ pœnitentiæ & pietatis vir: Conuentus huius inſtaurator. Eorum vitas vide lib. 4. Hiſtor. General. Ordinis, & apud Montoyan lib. 4. Cronol. eiuſdem Ordinis. 1593. *Duces.*

TORREXIMENENSIS Diœcesis Giennensis. *Acceptatus*.c.7.Genu.7.*Fundatrice* D. Elisabetha de Guiral.

1505. *Nobilis.*

VERENSIS *Acceptatus* anno 1605.

DE LA FVEN-SANTA tit. B. Mariæ V. sic dictus, à fonte miraculoso qui in eo est: Diœcesis Malachitanæ. *Acceptatus* anno 1608. *Fundatore* Reuerendissimo & Illustriss. D. Garcja de Haro, Episcopo Malachitano, qui situm nobis dedit, Ecclesiam, & in illa B. Virginis Imaginem miraculosam, maxima populi deuotione frequentatam. *Fundatoribus* etiam D. Didaco de Hurtado de la Fuente, & D. Hieronyma de Arrojo, coniugibus: *eo quod, quinquaginta ducatorum summam annui redditus dederint, ad ædificandum Conuentũ.* c.3.Barch.40. Tribus milliaribus duntaxat Conuentus hic distat à mari.

1608. *Episcopus.* *Nobiles.*

1617. PONTENSIS. *Acceptatus* c.6.Rom.9. *Fundatrice* Eximia D. Melchione de Prieco: *quæ dedit sexcentos aureos, annui redditus perpetui, & ferè bis mille nummos, in vasis Argenteis, & Ornamentis Ecclesiæ.* ibid.

MONIALIVM D'ANDVIAR tit. S. Helenæ: *Acceptatus* anno 1495. *Fundatoribus* Excellentissimo D. Petro de Lucena Olid, Fundatore Conuentus Fratrum d'Andujar, de quo ibi. & Nobilissima D. Helena de Lucena eius filia; qui pro hoc Monasterio ædificando, proprias domos dederunt: in quo, duæ filiæ dictæ Helenæ, Maria & Francisca de Lucena Olid, Ordinis nostri habitum susceperunt, & suo tempore professionem emiserunt. In hoc Monasterio, religiósissimè custodiuntur quamplurimæ

1495. *Regis Hisp. Orator.*

timæ Reliquiæ B.P.N.Francisci de Paula, è Gallia Hispaniam delatæ, à Patribus, qui primos Conuentus in Hispania acceptauerunt. *De hoc Conuentu fit mentio.*c.5.Valent. 34. Requiescit in illo, deuota Soror Maria de Montenegro, pœnitentiæ & mortificationis exemplar. Eius vitam vide l.6.Hist.Gener.Ord.

CORDVBÆ, Monialium tit. Iesu Mariæ. *Acceptatus* anno 1535. In ipso sunt multæ Moniales, ex Ciuitatis Nobilioribus. 1535.

ARCHIDONÆ Monialium. *Acceptatus*, anno 1551. Requiescunt in illo, piæ Sorores; 1551. Agnes de Quesada, pœnitentiæ zelo & 40. annorum vita Quadrages.nusquam interrupta, illustris: & Maria de Arce contemplatione clara. Harum vitas, vide in eadem Hist.ibid.

DE BAEZA Monialium tit.S.Ildefonsi. *Acceptatus*, anno 1561. *Fundatore* Nobili Licentiato 1561. Castillo, Ciuitatis eiusdem. *Nobilis.*

D'ANTEQVERA Monialium. *Acceptatus.* anno 1601. 1601.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Germaniæ.*

THEINNOVICHT tit. S.Annæ.
XVKVLKYSIT tit. S.Andreæ.
SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Hi Conuentus acceptati fuere à B. Francisco de Paula, *& de illorum Correctoribus fit mentio in* c. 1.Rom.4. Verùm *grassante in Germania Hæreticorum peste fuerant deperditi*; *Fratribus crudeli manu necatis, aut in exilium amandatis. Recuperati autem* 1507.

*sunt,*

1629. *Sunt, duo priores, & de nouo Acceptati.* c. 3. Barch. 49. de tertio, ibi nihil dicitur.

PRAGENSIS tit. S. Saluatoris, Ciuitatis Archiepiscopalis & Legati Nati. Boëmiæ Metropolis. Regum, atque Imperatorum Romanorum, aliquot sæculis, iucunda sedes. *Acceptatus* ibid. 45. *Fundatore*, Serenissimo Imperatore semper Augusto, Ferdinando II. *Qui Augustam, celeberrimámque Ecclesiam Sancti Saluatoris, cum Palatiis adiacentibus, omnique ad eam pertinenti fundo, Religioni dedit, in Ciuitate veteri Pragarum. Quæ vnanimi consensu acceptantes Patres, Immortales Sacræ Cæsareæ Majestati, gratias rependerunt: & ob singularem erga illius Majestatem obseruationem, Conuentum Pragensem, tanquam totius Prouinciæ caput, & primarium Conuentum, declararunt. Ipsumque Serenissimum Imperatorem semper Augustum, tanquam primarium Fundatorem præfati Conuentus admiserunt.* ibid.

*Imperator Ferdinãdus II.*

VIENNENSIS Ciuitatis Episcopalis ad Danubium. *Acceptatus.* ibid. 46. *Fundatore.* Excellentissimo D. Ioanne Ambrosio Rents, Serenissimæ Infantis Flandriæ in aula agente: *eo quod fundum pro commoda Monasterij fabrica, Vineas, & triginta Iugera agrorum: vtensilia etiam multa argentea, Ecclesiæ præfati Conuentus, concesserit.* ibid.

FISTRICENSIS. *Acceptatus.* ibid. *Fũdatoribus* Illustrissimo D. Paulo Adamo Sclauata, & Illustriss. Principe ab Heggenberg, coniuges. ibid.

*Principes. Comitissa.*

PIRNICENSIS. *Acceptatus* ibid. 47. *Fundatrice* Illustrissima Comitissa Collalto. ibid.

MONACHENSIS. *Acceptatus* ibid. 48. *Fundatore* Serenissimo Bauariæ Duce, & Romani

*Dux Bauariæ.*

Imperij

Imperij Electore; *Cuius literas ad Reuerendissimum Patrem Generalem, & Capitulum, aueto supercilio, gratoque oculo, perlegerũt Patres. Fundationémque, ab illo,* & à Serenissima *ipsius coniuge,* Elizabetha à Lotharingia Electrice, *in fauorem Electoralis Conuentus Monachensis, factam, admiserunt. Eósque inter Fundatores benemeritos annumerarunt: Scribæque Capituli mandarunt, vt gratias immortales totius Ordinis nomine, Serenissimo Duci rependeret.* ibid.

*Alij Conuentus*, qui tamen non nominantur, *concessi fuere, ab eodem* Serenissimo Bauariæ Duce Electore, *in Palatinatu: qui etiam Acceptati fuerunt, modò habeant vndè possint duodecim Fratres sustentare.* ibid. 50.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Neapolitanæ.*

NEAPOLITANVS I. tit. S. Ludouici, Ciuitatis Archiepiscopalis, celeberimæ & Nobilissimæ. *Acceptatus* à B. P. anno 1478. 1478.
*Fundatore* Serenissimo Rege Neapolitano Ferdinando, qui Miraculorum & Raptuum B. P. N. cœlestis oculatus fuit. Hic, Conuentum istum cœpit ædificare, in loco celebriori totius Neapolitanæ Ciuitatis: cumque magnificentissimum & amplissimum, variis B. P. Miraculis sanctificatum. Opere interrupto, propter varios euentus belli, Excellentissimus Gonçalo Fernandes de Corduba, qui pro Rege Catholico Ferdinando V. pugnans, in Regni Neapolitani possessionem deuenerat, Conuentus huius Regalia

*Rex Neapolit.*

*Pro-Rex*

lia fundamenta videns, per ficiendum illum, à se amplificatum admodùm, curauit: multósque & varios redditus annuos illi concessit, ab eodem Ferdinando V. Carolo V. & Philippo II. Catholicis Hispaniarum Regibus, postmodùm confirmatos. *Fundatricib.* Illust. D. de Martialis & D. Beatrice Quadran c. 3. Gen. 11. Pulcra sunt Conuentus istius *Ecclesia*, & *Sacristia*, variis Sanctorum, & specialiter B. P. N. Reliquiis sanctificata. Maximè B. Virg. lacte, quod in vasculo argenteo asseruatum, & per totum annum congelatum, in die Vigiliæ Assumptionis eiusdem B. V. colliquefieri & ebullire videtur, non sine fidelium admiratione. *Bibliotheca*, est ex Italiæ celebrioribus. Duodecim *Dormitoria* sunt in isto Conuentu. *Claustrum* celebre satis. *Refectorium* spaciosissimum. *Infirmaria* amplissima, & talis, qualem requirit hic Conuentus centum triginta Religiosorum. P*harmacopœam* habet, Pharmacis & medicamẽtis omnibus, ad curandum necessariis, refertam. Quibus etiam Ciuitatis Neapolitanæ Insigniores, sæpissimè curantur. *De Conuentus huius Correctore fit mentio in* c. 1. Rom. 4. Sub Ecclesiæ illius Altari Majori requiescit sacrum Corpus R. P. Bernardini de Cropulatu, B. P. Cõfessoris, Sanctitate celebris. Ante illud R. P. Ioannes de Genes quorum vitas vide in Historia Gener. Ordinis, lib. 2. & apud Montoyam. In eodem Cõuentu, nouissimè, anno scilic. 1629. mense Aprili, obiit Frater Franciscus de Paula Laïcus, variis miraculis clarus. Ad cuius sepulturam, dictis miraculis auditis, cucurrit tota ciuitas Neapolitana. Quæ accepi,

accepi, non solùm à sæcularibus, sed etiam à Religiosis: nec solùm nostri Ordinis, sed etiam aliorum: ex quibus vnus ex Sacro Ordine Prædicatorum, qui tunc degebat Neapoli, mihi retulit, quod in prædicti Fratris sepultura, etiam quidam cæcus à Natiuitate, visum recepit. Quodque ipsomet existente in Ecclesia dicti Conuentus, populus exclamauit, miraculum fuisse factum; statímque accepit, manum aridam, per contactum manus prædicti Fratris, antequam terræ mandaretur, sanitati fuisse restitutam. Erat vitæ maximè pœnitentis. Ætatis circiter 90. annorum.

CASTRIMARIS. tit. S. Mariæ de Puzano, Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* anno 1506. 1506.
*Fundatore* eodem Excellentissimo Gonçalo Fernandes de Corduba; qui huic Conuentui, maxima priuilegia, & pro fundatione, maria & montes dedit. Magnifica est Conuentus huius *Ecclesia*, Imaginem habens B. Virginis, Miraculosam; vt miraculorum tabellæ, & alia omnis generis insignia, quibus vndique adornatur dicta Ecclesia, demonstrant. A B. Luca depictam, docet traditio. Parrochia quondam erat, hæc Ecclesia; quam, vt eius Parrochus in fauorem nostri ordinis dimitteret (admodum enim renuebat) Prædictus Fundator, ipsi procurauit Massensem Episcopatum. Dimissionem confirmauit Summus Pont. *Conuentus* est optimè ædificatus: Piscibus, ob maris vicinitatem, campis, vineis, oleis & similibus, abundans. *De Conuentus huius Correctore, fit mentio, in* c. 1. Rom. 4.

*Pro-Rex*

CAMPANIÆ, tit. S. Mariæ Nouæ. Ciuitatis

tis Episcopalis. *Acceptatus* anno 1513. *Fun-*
1513. *datore* deuoto Melchione Guerrero: qui ob-
*Deuotus* tinuit à Leone X. vt hic Conuentus, anno 1235. à Patribus Benedictinis ædificatus: ab eisdem posteà, ob varias temporum mutationes, derelictus: Ordini nostro, vniretur. Illum optimè restaurauit, Insignique Bibliotheca decorauit.

SALERNENSIS tit. S. Francisci de Paula, Ciuitatis Archiepiscopalis. *Acceptatus* anno
1516. 1516. *Fundatore*, Excellentissimo D. Roberto
*Princeps* Sanceuerino, Principe Salernensi: & eiusdem
*Senatus.* Ciuitatis Senatu: qui Ecclesiam nobis dederunt, & Conuentus fundum, in quo sunt horti amœnissimi: maximè ob varios dulcium aquarum fontes.

AVERSENSIS, tit. S. Francisci de Paula, Ciuitatis Episcopalis. *Ædificij* excellentissimi; perpulcræ & Sacellis variis adornatæ *Ecclesia*. Piorum Ciuium, Ordini nostro maximè deuotorum, eleemosynis sustentatur. Ciuitas de Auersa omnigenis abundat fructibus, & piscibus.

NEAPOLITANVS II. tit. S. Mariæ de Stella, Piorum eleemosynis, extrà muros, magnificè ædificatus: ad satisfaciendum fidelium deuotioni, ergà B.P. Franciscum de Paula: maximè diebus Veneris. Neque enim, diebus illis, continere eos poterat Ecclesia Conuentus S. Ludouici. *Conuentus* hic, est optimus, quinquaginta Religiosorum: *Ecclesia*, ampla; *Sacristia*, singularis; variis *Sanctorum Reliquiis*; specialiter, Pileolo B.P. Francisci de Paula, decorata,

ta. *Hortus* amœnissimus & feracissimus. *Acceptatus fuit iste Conuentus*.c.4.Genu.7. 1574.

EBOLITANVS tit. S. Petri, Salernensis Diœcesis; *Acceptatus*.c. 2. Auen. 12. *Fundatore* Illustriss.& Reuerendiss. D. Antonio Cardinali Carafa, Vaticani Bibliothecario: Conuentus huius, olim Ordinis S. Benedicti, Abbate. Quem, annuente Pio V.Summo Pontifice, Ordini nostro aggregauit; cum ferè quingentis nummis annui & perpetui redditus, ex Abbatia desumptis. In illius Ecclesia, requiescit corpus Gloriosissimi Confessoris S. Bernerij, Hispani: quod in sanandis energumenis, maximè se mirabile prodit. 1578. *Cardinalis.*

DE LA CAVA tit.S.Mariæ del Olmo, Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*. c. 5. Genu. 14. *Fundatoribus*, deuotis Ciuibus Ciuitatis de la Caua: iuxtà B.P. Prophetiam, qua è Calabria Galliam petens, futurum hunc Conuentum prophetauerat duobus duntaxat milliaribus, à mari distat. 1584. *Ciuitas.*

NEAPOLITANVS III. tit. S.Mariæ Angelorum. *Acceptatus*.c.5.Rom.10.*Fũdatore*, Nobili D. Marco Antonio Neapolitano: cui B. P. Franciscus de Paula apparuerat,& mandauerat, vt sui Ordinis Conuentum ædificaret, in suo fundo; in quo, hunc posteà,iuxtà fertilissimum mare, ædificauit. 1587. *Nobilis.*

MASSENSIS, tit. SS. Martyrũ Processi & Martiniani, Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*.c. 5.Rom.10.c.5.Valent.26.& c.7.Genu.6.*Fundatrice* Nobilissima familia Lipanela: quæ pro 12. Religiosis Conuentum hunc dotauit, Variis

dulcium aquarũ fontibus irriguum: recentibus piscibus maris, abundanter refocillatum.

NVCERINVS tit. nostræ Dominæ de Sanitate: Ciuitatis Episcopalis. *Ædificatus* anno 1588. *Fundatore* Illustri D. Fabricio Pagano, Patricio Nocerensi. Hic Patricius fundum spaciosum dedit, Conuentum dotauit, ædificare cœpit: sed immatura morte præuentus fuit. Accesserunt liberales admodùm Ciuium Nocerentium eleemosynæ. *Acceptatus*. c. 6. Rom. 7.

1588. *Patricius.*

NOLANVS tit. S. Francisci de Paula, Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* c. 5. Valent. 26. Magnificè ædificatus, iuxtà sacratissimum Cœmeterium, in quo requiescunt corpora plurimorum millium SS. Martyrum; qui in eodem, pro Christi fide, tempore Diocletiani Imper. sub Marciano præside, sanguinem suum fuderunt. Sunt etiam in illo Cœmeterio duo illi parietes, in quorum angusto S. Felix Nolanus Presbiter, ab idolorum cultoribus persequutus, se occultauit. Qui aditus aranearum telis repetè pertextus, nemini recentis latebræ suspicionem reliquit. Miro deuotionis affectu, feruntur erga B. P. N. Franciscum de Paula, Nolani: copiosisque & quotidianis eleemosynis Religiosos nostros sustentant. 12. Milliaribus à Neapoli, ideóque à mari, distant.

1593.

S. GEORGII tit. Annunciationis B. Mariæ V. *Acceptatus* ibid. *Fundatore* Illustri D. Pyrrho Ioanne Spinello. Optimè ædificatus, ad Beneuentum, mare & duos amnes, piscium abundantia memorabiles.

*Nobilis.*

S. AR

S. ARPINI. tit. S. Mariæ de Stella. *Acceptatus* ibid. & c. 6. Rom. 7. *Fundatore* Illustrissimo D. Alphonso Sanchez, Grotulæ Marchione. *Marchio.*

NEAPOLITANVS IV. tit. S. Francisci de Paula. *Acceptatus*. c. 6. Genu. 36. Eius *Ecclesia*, quamplurimis Miraculorum B. P. N. Francisci de Paula, in ea inuocati, Argenteis aliisque imaginibus est adornata: & maxima populi deuotione frequentata. Est extrà muros, iuxtà Portam Capuæ, inter omnes alias eiusdem Ciuitatis, celeberrimam. 1596.

CAPVANVS tit. S. Mariæ Viæ-Cœli, Ciuitatis Archiepiscopalis. *Acceptatus* anno 1605. ad sollicitationem R. P. Ignatij de Capua, Celeberrimi Prædicatoris Apostolici, dono efficacissimè persuadendi, & affectus mouendi, mirabiliter insignis. Conuentus iste est situs amœnissimi, aëris saluberrimi: maris vicinitate, Ordini nostro valdè accommodatus. 1605.

CASERTENSIS tit. S. Francisci de Paula, Ciuitatis Episcopalis. *Fundatore* Excellentissimo D. N. de Aqua-viua, Principe Casertensi. *Princeps.*

GESVNENSIS, *Acceptatus*. c. 6. Rom. 7. Piorum eleemosynis ædificatus, inter duos amnes, piscibus abundantes. 1617.

OCTAVIANI. *Acceptatus* industria & diligentia R. P. Stephani Sanceuerini, tunc Prouinciæ Neapolitanæ Prouincialis: doctissimi & disertissimi Prædicatoris, sicut & acutissimi ingenij: anno 1618. 1618.

SERMONETÆ.

## CONVENTVS PROVINCIAE *Aquileiæ.*

ALETINVS tit. S. Michaëlis Archangeli, Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* anno
1524. 1524. *Fundatrice* Nobilissima D. Ioanela Mara-
*Nobilis* monte. Est amplissimè & optimè ædificatus:
*fœmina.* Nouitiatus Prouinciæ: 6. milliaribus à mari distans. In illius *Sacristia*, religiosissimè asseruatur B.P.N Pilcolum: quod infirmis applicatum, varios langores frequenter curat.

TARENTINVS tit. S. Mariæ de Gratia, Ci-
1530. uitatis Archiepiscopalis. *Acceptatus* anno 1530.
*Nobilis.* *Fundatore*, Nobili D. Bartholomæo de Cayeta Hydruntinensi. Non longè à mari, ex omnibus fertilissimo, est ædificatus. Copiosis valdè ciuium eleemosynis sustentatur. In illo deuotissimè conseruatur B. P. N. caputium, quod etiam infirmis applicatum, illos restituit sanitati.

MONOPOLITANVS tit. S. Francisci de Paula, Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* anno
1530. 1530. *Fundatrice* Nobilissima D. Laura Palmeri,
*Nobilis* ex Nobilioribus & antiquioribus Ciuitatis fa-
*mulier.* miliis: quæ Conuentum hunc annuis redditibus copiosè dotauit. In illo, Religionis habitu fuit indutus. R.P. Gaspar Passarellus; de quo vide Generalem XXIII.

GROTALLENSIS tit. S. Mariæ de Gratia,
1538. Diœcesis Tarentinæ. *Acceptatus* anno 1538.
*Nobilis.* *Fundatore* Nobili D. Iacobo Sammarco. Leguminibus & piscibus fluuiatilibus abundat.

HYDRVN

HYDRVNTINENSIS tit. S. Franciſci de Paula, Ciuitatis Archiepiſcopalis. *Acceptatus* anno 1540. *Fundatrice* Ciuitate ipſa Hydruntinenſi. Ædificatus Religioſiſſimè, iuxtà mare; in monte, pluſquam ſexcentorum Sanctorum Martyrum, à Turcis crudeliter effuſo ſanguine, ſanctificato. 1540. *Ciuitas.*

BRVNDVZINVS tit. Annunciationis B. V. Ciuitatis Archiepiſcopalis. *Acceptatus.* c. 5. Genu. 14. *Fundatrice* Ciuitate ipſa Brunduzienſi. In celebri portu maris Adriatici ædificatus. 1584. *Ciuitas.*

ORITANVS tit. S. Marſinofrij, Ciuitatis huius Epiſcopalis Patroni. *Acceptatus.* c. 2. Barch. 14. *Fundatrice*, ipſa Ciuitate. 1602. *Ciuitas.*

MARTINENSIS tit. S. Franciſci de Paula, Diœceſis Tarentinæ: *Acceptatus* anno 1608. *Fundatore* Nobili D. Ioanne Baptiſta Leon, Iuris Pontificij & Cæſarei Doctore. 1608. *Doctor vtriuſque iuris.*

GALLIANENSIS tit. S. Eliæ, *propè noſtram Dominam de finibus terræ, vbi eſt maxima frequentia, & deuotio fidelium.* c. 6. Rom. 7. *Acceptatus* ibid. 1617.

GALLIPOLITANVS tit. la Madona de Sanita. Ciuitatis Epiſcopalis. *Acceptatus* ibid.

NARDONENSIS tit. S. Mariæ de Conſtantinopoli. Ciuitatis Epiſcopalis. *Acceptatus* ibid.

CAPVRSIENSIS tit. S. Franciſci de Paula. *Fundatore* Magnifico D. Franciſco Mando, continuo noſtro benefactore; & Nobiliſſima ipſius Coniuge. *Acceptatus* ibid.

CASTELANETENSIS tit. S. Luciæ Ciuitatis Epiſcopalis. *Acceptatus* ibid.

BITONTINENSIS tit. S. Michaëlis Archangeli, Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* ibid.
Ciuitas. *Fundatrice* Ciuitate. Bitontinensi.

BARIENSIS tit. S. Francisci de Paula, Ciuitatis Archiepiscopalis, nobilissimę, opulentissimæ, & famosissimæ, ob ipsius portum Maritimum: sancto Corpore B. Nicolai Miræ Episcopi, sanctificatæ. *Acceptatus* ibid. *Fundatore*
Nobilis. Nobili & deuoto admodùm Francisco Mando: Conuentus Capursiensis, de quo suprà, etiam Fundatore.

1623. CVPERSANENSIS tit. S. Rochi. *Acceptatus*. c. 7. Rom. 23.

MISANENSIS tit. S. Mariæ Magdalenæ *Acceptatus* ibid.

OSTVNENSIS tit. S. Michaëlis Archang. *Acceptatus* ibid.

ALETINVS MONIALIVM tit. SS. Angelorum.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Castellæ.*

TOLETANVS tit. S. Bartholomæi de la Vega, Ciuitatis Archiepiscopalis Hispaniarum Primatiæ: quondam Regiæ: *Acceptatus* anno 1525. Procurante Serenissimo Imperatore Carolo V. & Serenissima Imperatrice D. Elisa-
1525. betha, eius Vxore. Paucos post annos, quibus
Secretarius Caroli V. Imper. piorum eleemosynis vixit: in Conuentus huius *Fundatorem*, acceptatus fuit, Illustriss. D. Iacobus de Vargas, dicti Imperatoris Secretarius: & eius Vxor, D. Anna Manrique. Magnificus est

est iste Conuentus. Et Ecclesia, Sacristia, Nouitiatus, Infirmaria illius: Regiæ Ciuitatis & Episcopalis.

Vallisoletanvs tit. S. Rochi. *Acceptatio remissa fuit Reuerendiss. P. Generali Marcelo Palmerio.* c. 2. Bon. 10. Qui posteà illum acceptauit, anno 1546. Conuentus iste, est ex optimis totius Prouinciæ: Amplissimus, amœnissimis hortis & fontibus admodùm decoratus. In illo, *Collegium* pro VIII. Religiosis, Fundauit Nobilis D. Hernandus de Villafagna, Licentiatus, & auditor Regalis Cancellariæ: cum obligatione Philosophiam in illo docendi. Quam fundationem Sum. Pont. Greg. XIII. confirmauit, & variis priuilegiis, idem Collegium fouit. *Eandem Acceptauit* c. 6. Genu. Idem Collegium, pro tribus aliis Religiosis *Fundauit* Nobilis D. Ludouica Vul; Vxor, Nobilis Licentiati Salinas, in Regali Curia Vallisoletana, Aduocati. anno 1595. Quæ etiam in Claustro ædificauit & dotauit insigne Sacellum S. Didaci. *Quorũ omnium intuitu, Fundatricibus adscripta fuit Soror ipsius,* Nobilis D. Beatrix Vul. c. 6. Genu. 7. cum in Fundatione Sorori suæ immediatè succedat: ab illa, pro tali nominata. In Conuentus huius *Sacristia*, Religiosissimè custoditur *os Brachij B. P. Francisci de Paula,* ab Illustrissimo D. Comite de Luna datum, anno 1611.

1546.

*Collegium.*

Salmanticensis tit. S. Francisci de Paula, Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* anno 1554. Sectis lapidibus, Ecclesia, Claustrum, dormitoria ipsius, magnificè sunt ædificata. Est Vniuersitati incorporatus, & ipsius gaudet 1554.

Priui

Priuilegiis. *Acceptatus fuit in Fundatorem* Excellentiss. Dominus Didacus Brochero, Eques S. Ioannis, & Magnus Castellæ Prior. *Eo quod Conuentus huius Capellam Majorem, quingentis ducatis annui redditus dotauerit. Ratione cuius beneficij*, Nobilis D. Catharina Brochero, eius Soror, *Fundatricibus fuit annumerata. c. 6. Rom. 9. c. 3.* Barchin. 43.

Civitas. 1561. MADRITENSIS Diœcesis Toletanæ, Regiæ Ciuitatis, Catholicorum Regum Hispaniarum Curiæ. *Acceptatus* anno 1561. *Fundatrice* Ciuitate ipsa Madritensi, ad instantiam Catholici Regis Philippi II. quam fecit propriis literis, à Montoya relatis ad longum, sub datum Toleti 15. Februarij. 1561. Instigatus à Catholica Hispaniarum Regina Elisabetha à Pace, Galliæ Infante, dilectissima eius Vxore. Executionem admodùm fouit & accelerauit Serenissimus Princeps D. Carolus, dicti Regis Catholici filius Primogenitus; qui primus omnium in Conuentum se contulit, die qua in illius possessionem missi fuerunt Patres nostri: Campanam ipsemet pulsauit ad conuocandum populum, pro prima Missa in illo celebranda: nostros suos vocabat Religiosos, & sæpè matutinis horis intererat, affirmans, nostrum cantum, illum ad deuotionem prouocare. *Conuentus* iste, religiosissimè est ædificatus, in loco ab Aulicis maximè frequentato. *Ecclesia* illius est sufficienter spaciosa, cuius Altare majus, Iaspidibus variis fuit ornatum, ab Excellentissimo & generosissimo Marchione Ambrosio de Spinola, qui in huius altaris fundatione, piissimæ & Excellentissimæ

lentiſſimæ Caſſandræ de Grimaldo *Fundatrici*, *Marchio*
ſucceſſit. Opus eſt ſingulare,& ex totius Europæ excellentioribus.Decem Sacella ſunt in eadem Eccleſia ; parua quidem , ſed exquiſitè adornata, & ab optimis & Nobiliſſimis Fundatoribus dotata. Extrà Eccleſiam,ædificatum eſt *Sacellum Sodalitatis* B. Mariæ , maxima populi deuotione frequentatum , propter B. V. Imaginem miraculoſam, Conuentui noſtro datam, à prædicta Regina Catholica Eliſabetha à Pace, Ordinis noſtri feruentiſſima Patrona,& B.P.N. Franciſco de Paula deuotiſſima.Pendent in hoc Sacello, circà dictam Imaginem,*non pauca Candelabra argentea & triginta lampades etiam argentea. Sacriſtia* eſt memorabilis propter varia & pretioſiſſima Eccleſiaſtica Ornamenta;ſed maximè propter vaſa argentea , quæ ſunt in illa in quantitate maxima. In illa deuotiſſimè conſeruatur *caput S.Firmini*,Epiſcopi Pompeiopolitani, quod Prædicta Regina dedit.Item,*Os quoddam, B.P.N.Franciſci de Paula*,à R.P.Ioſepho le Tellier , tunc Generali , datum , 23. Aprilis 1581. *Clauſtrum* eſt magnificum , Sacellis variis , perpulcris,& dotatis, adornatum. *Hortus* ampliſſimus & amœniſſimus,qualem decet habere 80. Religioſorum Conuentum. Nobiliſſima D. Comitiſſa de Armenara,*in illius Fundatricem fuit acceptata*. c. 7.Genu.10. *Item* D.Maria Aler. *eo quod dotauerit Capellam Sodalitatis B. Mariæ V*. c. 6.Rom.9. Item D. Fabiana de la Mota : *eo quod, Sacellum in Conuentus huius Clauſtro,ſuis ſumptibus conſtrui curauerit : & dotauerit, ſumma ducentorum, quinquaginta Ducatorum,annuatim ſoluendorum* , c.

3.Bar

3. Barchin. 41.

CAMARENENSIS tit. Conceptionis B. V. Diœcesis Toletanæ, *Fundatore* honorando & pio agricola Francisco Gomez, qui situm dedit, Campos, vineas, oliueta & similia. *Acceptatus*,
1562. anno 1562. Perfectè ædificatus, quoad Ecclesiam, Claustrum, & dormitaria; pro triginta Religiosis. Horto potitur amœnissimo.

COMPLVTENSIS tit. S. Annæ, Diœcesis
1578. Toletanæ. *Acceptatus*. c. 1. Auenion. 11. *in quo, Cōuentus & Collegij huius connexio: & omnes Conuentiones & pacta, inter Patres Prouinciæ Castellæ, &* Nobiliss. Bartholomæum de Santoya & D. Annam eius coniugem: *Item, inter cœnobium & Collegium ipsum, facta, confirmantur, & pro Fundatoribus acceptantur, Prædictus* Nobilissimus Barthol. de Santoya, Regis Catholici Philippi II. Cubicularius, & à Secretis Consiliarius: Et Nobilissima Anna de Ondegardo & Zarate eius Vxor. ibid.

*Cubicularius Regis Hisp.*

BVRGENSIS, Ciuitatis Archiepiscopalis, *Acceptatus* c. 5. Genu. 14. *Fundatrice*. Nobili D.
*Nobiles.* Francisca Perez. Item, *Fundatore* D. Ioanne de Laona, eiusque Vxore: & dicti Ioannis de Laona Patruo. c. 6. Rom. 9.

VILLANENSIS, tit S. Andreæ, Diœcesis
1586. Legionensis *Acceptatus* anno 1586. *Fundatore* Illustrissimo D. Ioanne Alphonso Pimentel, Comite Beneuenti. Est Parrochia. In illius *Ecclesia*, sunt aliquæ *Sacræ Reliquiæ ossium B. P. N.* ab Illustrissimo Comite de Luna, R. P. Montoya, datæ, anno 1608.

SEGOBIENSIS, Ciuitatis Episcopalis.

Acce

*Acceptatus*.c.5.Valent. 26. In illius *Ecclesia*, est Imago Miraculosa admodùm,B. Virginis de la Salud. 1593.

MAVXERACENSIS tit. Assumptionis B. M.V.Diœcesis Auilæ, *Acceptatus* c.2. Barchin. 8. *Fundatore* Illustrissimo D. Petro de Toledo, Ciuitatis Mauceracens. D. & Illustrissima D. Elisabetha Leina ibid. 1602. D.Petro de Toledo.

SALDAGNENSIS, Diœcesis Legionensis. *Acceptatus* anno 1606. *Fundatore*, Nobili Doctore D.Martino de Cardenas, qùondam Ordinis S.Antonij Generali. 1606. Doctor.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Calabriæ.*

COTRONIENSIS tit. Iesu Mariæ. Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* à R.P.Paulo de Paterno, anno 1460. & postmodùm à B. P. Francisco de Paula. *Fundatore* Nobilissimo Equite Nauarro, è Nobilissima domo Piguerrorum Oriundo. Auo Illustriss. Petri Mauriques,Archiep. Cæsar august. *De illius Correctore fit mentio in* c. 1.Rom.4.Est iuxtà mare:aëre purissimo fruitur & saluberrimo. Honoratus fuit insigni miraculo, ab eodem R. P. Paulo de Paterno patrato;dum hic Conuentus fundaretur. Amigdala quippe terræ mandata; ab ipso, super illam signum Crucis producente, virentem tandem creuit in arborem: quæ, tempore congruo, quo ad vixit, amigdalas cruce signatas, miro modo produxit. 1460. Eques.

DE MAYDA tit.Iesu Mariæ, Diœcesis Nicastrensis. *Acceptatus* à B. P. anno 1496. *Fundatrice* 1496.

*Ciuitas.* *trice* Ciuitate ipſa. Cuius piis elemoſynis ſuſtentatur. *De hoc Conuentu fit mentio* in c.4. Valent.10.

SANCTI BLASII tit. S. Mariæ de Infir-
1508. mis. *Acceptatus* anno 1508. *Fundatore* Nobili &
*Archidiaconus.* Reuerendo D. Ioanne de Senatoris, Archidiacono Nicaſtrenſi.

TROPIENSIS tit. S. Mariæ de Auxilio,
1534. Ciuitatis Epiſcopalis. *Acceptatus* anno 1534. à R.P. Ioanne Tropienſi; de cuius ſancta vita, Vide Montoyam in hoc Conuentu, in quo dicti R.P. Corpus requieſcit. Eſt ſitus hic Conuentus iuxtà fertiliſſimum mare: in loco amœniſſimo aëre ſaluberrimo; in Ciuitate Nobiliſſima, & opulentiſſima. *De eo fit mentio in* c.4. Valent.10.

RVPIS-BERNARDÆ tit. S. Franciſci de Paula: Diœceſis Sanceuerinæ. *Acceptatus* anno
1539. 1539. *De eo fit mentio* ibid.

BRIATICENSIS Diœceſis Miletenſis. *Ac-*
1550. *ceptatus* anno 1550. vnico milliari procul à mari. *De eo fit mentio* ibid.

RHEGIENSIS tit. S. Franciſci de Paula, Ciuitatis Archiepiſcopalis. *Acceptatus* anno
1552. 1552. A Mauris dirutus. Ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. P. Gaſpare de Foſſo, ex hoc Ordine Rhegienſi Archiepiſcopo (de quo, vide Generalem XI. reſtitutus, & magnificè ad flu-
1566. uium fuit ædificatus anno 1566. *De eo fit mentio in* c.4. Valent.10. Ob ſingularem erga B. P. pietatem, maxima circumuicini populi deuotione frequentatur.

BVRRELENSIS tit. eiuſdem: Miletenſis
1555. Diœceſis. *Acceptatus* anno 1555. ad Siciliæ Fretum. *De eo fit mentio*. ibid.

ROSSE

Rosselensis tit. S. Victoris; Diœcesis Hieraciensis. *Acceptatus*. c.1. Barchin. 22. *Fundatrice* Illustriss. D. Lucia Spinella, Domina Castriveteris, apud Rossellam. *Huic in fundatione successit*, Illustrissimus Princeps Fabricius Carrafa; *qui Conuentum liberaliter dotauit, & in Fundatorem fuit acceptatus*. c.7. Genu.6. 1581. *Princeipe*

Catanzarensis tit. S. Francisci de Paula, Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*. c.1. Barchin. Sex milliaribus à mari procul.

Piziensis tit. S. Rochi. Diœcesis Miletensis. *Acceptatus* ibid. *Fundatrice* Ciuitate ipsa Pizij, ex Voto emisso grassante peste: Quod Diuinitùs recuperata sanitate, Conuentum hunc ad mare ædificantes, reddiderunt. *Ciuitas ex Voto.*

Anoyæ tit. B. Mariæ Gratiarum: Diœcesis eiusdem. *Acceptatus*. c.5. Valent. 26. Milliaribus duodecim à mari distans. 1593.

Nicoterensis tit. S. Francisci de Paula. Ciuitatis Episcopalis, in monte saluberrimo ad mare sitæ. *Acceptatus* anno 1593. *Fundatore* Nobili D. Antonio Rocca, vtriusque Iuris Doctore peritissimo. 1593. *Doctor vtriusque Iuris.*

Synopolitanus Diœcesis Miletensis. *Acceptatus* anno 1595. *Fundatoribus* Excellentissimis Principibus de Scilla. D. Vincentio Rufo & D. Maria Rufa: ex Voto pro habenda prole B. Patri emisso. 1595. *Principes ex Voto.*

Locrensis seu Hieraciensis tit. S. Sanctiss. Trinitatis de monte: in vertice montis ad mare situs. Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* c.7. Genu.6. *Fundatrice* ipsa *Locrensium* Ciuitate. 1605. *Ciuitas.*

Montis-Leonis Diœcesis Miletensis.

*Accepta*

Princeps *Acceptatus*.ibid.10. *Fundatore* Illustriss. Principe D. Petro Francisco Ramascherino, liberalissimo & B.P.N.deuotissimo.Parùm distat à mari.

OPPEDENSIS tit. S. Francisci de Paula,
1610. Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* anno 1610.vndecim milliaribus procul à mari, inter duos
Nobilis. amnes. *Fundatore* Nobili D.Camillo Sarteano.

CONVERSARIENSIS tit. Sanctissimæ
1623. Annunciatæ *Acceptatus*.c.7.Rom.23.

SEMINARIENSIS tit. S.Francisci de Paula. *Acceptatus* ibid.

1629. COTONENSIS *Acceptatus* c.3.Barchiu.24.
Princeps *Fundatrice* Illustrissima Principe D.Ioanna Ruffo(*in cuius Principatu est situs,in loco è quo B.P.discessit vt super pallium mare transfretaret*) *si tamen Conuentum construxerit:vel redditus, duodecim fratribus sufficientes dederit*.ibid.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Lugdunensis.*

GRATIANOPOLITANVS tit.Iesu Mariæ,& S.Blasij.Ciuitatis Episcopalis:Parlamẽti Delphinatus sedis, ad majorem Carthusiá.
1496. A B.P.*Acceptatus* anno 1496. vt patet ex Contractu donationis fundi, in quo Conuentus est ædificatus, quem fundum nobis dedit *Fundator, in Ordine ad ædificandum Conuentum Minimorum*, vt loquitur idem contractus, in Conuentus huius Archiuo conseruatus. Dictus *Fundator*
Episcopus. fuit Reuerend. admodùm D. Laurentius L'Allemand,Episcopus & Princeps Gratianopolitanus. S. Saturnini Tholosani Abbas: qui Conuentum

uentum Tholosanum etiam fundauit. Generosissimus & inuictissimus Eques Bayard qui in eo requiescit, illius fuit ex Sorore nepos. Ordinis ex corde amicus; quòd & verbo & opere sæpè probauit, aliis nos commendans, suisque subleuans copiosissimis eleemosynis. Distat à Ciuitate, vno milliari cum dimidio, à sæculi tumultu segregatus: religiosè ædificatus, ad Episcopale palatium: in quo dictus Fundator B.P. amicissimus, eique maximè familiaris, frequenter morabatur: vt frequenti fratrum nostrorum conuersatione potiretur. In Conuentus huius *Sacristia* pallium asseruatur, quod B. P. fuisse fertur. Amplissimi & amœni valdè sunt eius *horti*. De *Conuentus istius Correctore, fit mentio in* c. 1. Rom. 4. Reuerendissimi Episcopi Gratianopolitani, *Fundatorum gaudent priuilegiis.* c. 1. Auen. 12.

BELLIREGARDENSIS tit. B. Mariæ Annunciatæ: Diœcesis Claromontanæ. *Acceptatus.* c. 1. Valent. 10. *Post acceptationem* R. P. Simonis Guichard. Prouincialis Aquitaniæ. *Fundatore* Reuerendissimo D. Guillelmo Du Prat Episcopo Claromontano ibid. Hic, fuit filius Illustrissimi Antonij Du Prat, in Parlamento Parisiensi Protopræsidis; posteà, sub Francisco I. Galliæ Cancellarij: mortua vxore, Episcopi Albiensis & Archiepiscopi Senonensis: Denique, à Clemente VII. creati Cardinalis tit. S. Anastasiæ, factique in Gallia Legati Apostolici. Dictus Fundator, consulente prædicto R. Patre, R.R. Patres Societatis Iesu, in Galliam introduxit; Collegiumque Billomense, in tota Gallia dictæ

1514. *Episcopus.*

Societatis omnium primum, magnificè fundauit & ædificauit: ſicut & Claromontanum Pariſiis,& Mauriacenſe. Ampliſſimos redditus annuos, non modò huic Conuentui, ſed etiam Nigeonenſi apud Pariſios,liberaliter dedit. Xenodochium Claromontanum fecit & dotauit: ſicque bona ſua diſperſit, & pro Chriſto dedit pauperibus, vt parentibus ſuis reliquerit penitùs nihil. Vndè, in portæ Eccleſiæ Conuentus huius ſuperliminari, Cor ſculpendum curauit, cum his hinc indè inſcriptionibus. A dextris: *In ſimplicitate Cordis mei, lætus obtuli vniuerſa.* 1. *paralip.* 2 9. 17. A ſiniſtris: *Elegi & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit Cor meum ibi.* 2. *paral.* 7. 1 6. Cor itaque ipſius, in Conuentus huius Eccleſia, & in ſepulcro Religioſorum requieſcit; vt ipſe, in ſignum ſuæ erga nos Paternæ dilectionis, in teſtamento ſuo ordinauerat. Corpus verò, in Eccleſia dicti Collegij Billomenſis, vbi poſt annos ſeptuaginta à ſepultura, repertum fuit incorruptum. In hoc Conuentu, quamplurimas S.S. *Reliquias* idem Fundator poſuit, quæ in eodem deuotiſſimè conſeruantur. Illius *Eccleſia*, pulcra & deuota eſt valdè. *Sacriſtia*, non abſimilis. *Clauſtrum*, magnificum. Cætera *ædificia*, amplitudinis maximæ. *Hortus*, ſpacioſiſſimus. *Viridarium*, dilatatum & admodùm pomiferum. *Proſpectus*, vndè nomen accepit, prorſus mirabilis. Parùm diſtat à decurſu Elatteris. Eſt valdè ſolitarius, amœnus, aptiſſimus contemplationi: & omnibus ad vitam tùm phiſicam tùm moralem rectè inſtituendam, copiosè ſatis præditus.

LVGDVNENSIS tit. Aſſumptionis B. M. V. Ciui

V. Ciuitatis Archiepiscopalis ; Galliarum Primatiæ : Canonicorum,Comitum:Ecclesiæ,nouitatum inimicæ:Europæ totius, emporij:antiquissimæ & celeberrimæ. *Acceptatus*.c.2.Foroiul.4.Pro muro , aduersus hæreses Galliam vastantes, suprà monté deuotionis causa ædificatus:in monte fonte irriguo,& vt valdè sano,ità & maximè sancto : nouendecim millium SS. Martirum ( exceptis paruulis & mulieribus) in eo decollatorum,cum S.Irenæo eiusdem Ciuitatis Episcopo, sanguine consecrato:sub Seuero Imperatore:quorum sanguis,ad Ararim defluxit,& ad Ciuitatem vsque Matisconensem in contrariam fluminis partem mirabiliter prorsus ascendit : ibi stetit ; & in cumulum ad instar montis se erexit per aliquot dies : Vndè eidem fluuio Sangonæ nomen dedit. lib. 1. Hist. Lugdun. c. 31. In dictorum SS. Victoriæ Trophæum erecta Crux, ad quam est hic Conuentus,adhuc extat : sub qua,in profondo demersa puteo , eorundem SS. Corpora requiescunt. Conuentus huius acceptationi & ædificationi multùm profuit R.D.De Vichi & RR.DD.Comites Lugdunensis Ecclesiæ , quorum ille Decanus erat , qui bonorum suorum nos hæredes constituit.*Ecclesia* illius est ampla,decem habēs sacella.*Sacristia*, variis ornamentis pretiosis , & vasis aureis & argenteis locuples.*Claustrum*,valdè spaciosum & amœnum.*Dormitoria*,quinquaginta Religiosis qui in illo morantur,sufficientia.In Sacello particulati , plurimorum sanctorum conseruantur *sacræ Reliquiæ*,à Paulo V. datæ.In Religiosorum crypta ; requiescit R. P. Rolan 1556.

Rolandus Guichard. tertio Prouincialatu Prouinciæ huius functus: zelo Religionis, pietate & miraculis clarus: Cuius S.Memoriæ R.P.Simon Guichard XV. Generalis de quo ibi & in Conuentu Aquensi,Patruus fuit.Illorum vitas vide lib. 3. histor. Gener. Ordinis. R.P.Ioannes Sauuage, de quo in Prouincia Flandro-Belgica,*verbo* Prouincia, in eadem crypta requiescit. Magnifica est Conuentus huius. *Infirmaria* exterior:Claustralis,valdè commoda. D.Michaël Antonius Guerrier, antiqua Nobilitate insignis, & vtriusque Iuris Doctor, *illius est Fundator & Patronus piissimus*.c. 6. Rom. 8.

*Princeps.* MONTMERLENSIS tit.B.Mariæ V.Diœcesis Lugdunensis.*Acceptatus*.c.Massil. 34. *Fundatore* Illustrissimo Principe Henrico de Bourbon, Duce de Montpensier,qui & Conuentum Champignianensem in Prouincia Turonensi fundauit. Est optimè ædificatus ad Ararim, in monte amœnissimo & saluberrimo.Prioratu S. Treuerij pro Religiosorum sustentatione gaudet.B.Virginis Imagine miraculosa valdè, Ecclesia illius sanctificatur, & commendatur.

*Vice-Comites.* CALVIMONTENSIS tit.S.Petri,Diœcesis Claromõtanæ.*Acceptatus*.ibid.*Fundatore magnifico* D.Balthazar de Roche-Baron & Chalancon,Vice-Comite de Chasteau Clou,Barone de Sarras:Domino de Reuiram, Riolx, &c. ibid. Hic (suadente Illustrissima D. Renata Maria de Cursule,aliàs de S.Remi; eius Vxore dilectissima; *Fundatrice* nostra piissima, quæ Ordinem maximè diligit) Prioratum S.Petri eidẽ Ordini incorporari procurauit:cuius prouentus viginti

tæ sustentandis Religiosis sufficient. Est commodè ædificatus, piscibus fluuiatilibus abundans, valde solitarius: Regulari obseruantia maximè commendabilis.

FEVRENSIS tit. B. Mariæ. V. Diœcesis Lugdunensis. *Acceptatus* ibid. in amœno, nobisque 1611.
valdè commodo loco situs.

VALENTINENSIS tit. Assumptionis B. M. Virginis Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* ibid. mirè, deuotéque politus & consummatus, arridet omnium oculis. Perfecta habens, *Sacristiam, Refectorium, Hospitium, Capitulum, &* similia: sicut & *in dormitorio* pulcrè admodùm laqueato, fenestrato, depicto; perpulcras cameras, in plusquàm sufficiēti numero. Stipatur *hortis amœnis & spaciosis*: idque intrà mœnia Ciuitatis, antiquitate & Vniuersitate celeberrimæ. Piorum liberalitates, expectat adhuc & desiderat, eiusdem Conuentus *Ecclesia.*

ROSSILLONENSIS tit. B. Mariæ V. Diœcesis Viennensis. *Acceptatus* ibid. *Fundatore* Illustrissimo D. Iusto Ludouico de Tournō, Comite Rossillonensi ibid. Hic, Prioratum de Roche-paule nobis procurauit: qui copiosis redditibus, & vtraque gaudet Iurisdictione: Conuentum perpulcrum ædificauit, in loco amœnissimo: nosque amore maximo sēper est prosequutus. **Comes.**

BRIVATENSIS tit. S. Ferreoli: Diœcesis nullius. *Acceptatus* ibid. *Fundatoribus* RR. Comitibus Ecclesiæ Brivatēsis Canonicis, qui magnificam *Ecclesiam* S. Ferreoli nobis dederunt; in qua indiuiduus eius socius S. Iulianus, fuit martyrio coronatus. Cuius sacrum caput, **Canonici Comites.**

educta vibranti dextra framea amputatũ, ablutum est in fonte qui ad eundem locum fluit, splendido, leui, dulcibus aquis vberrimo vt loquitur D. Greg. Turon. lib. de S. Iuliano Martyre apud Surium 28. Augusti c. 3. vbi etiam affirmat, vim curãdi infirmos exindè dictis aquis fuisse communicatam. Quam se etiam in seipso expertum fuisse, dùm in eodem loco deuotionis & sanitatis recuperandæ causa peregrinaretur, refert c. 25. Alia quamplurima scribens miracula, per totum dictum librum, in eodem loco patrata. In quo, vt & in prædicta Ecclesia, in dies multiplicantur. Totus iste *Conuentus* est eleganter fabricatus. *Hortus* illius, spaciosus, irriguus, amœnus. Notabilis *pars brachij S. Ferreoli*, argenteo inclusa brachio, in Sacristia religiosè conseruatur.

SANSTEPHANENSIS tit. B. Mariæ. V. Diœcesis Lugdunensis. *Acceptatus* ibid. *Fundatoribus*, valdè deuotis & charitatiuis Sanstephanensis Ciuitatis ciuibus: quorum piis eleemosynis, Conuentus huius magnifica Ecclesia fuit ædificata; sicut etiam Conuentus spaciosus valdè, optimè fabricatus & ferè consummatus. *Hortus* illius est multùm dilatatus & conclusus, cùm amplissimo prato.

TVLLINENSIS tit. Annunciationis B.
1617. *Nobilis.* M.V. Diœcesis Gratianopolitanæ. *Acceptatus* c. 6. Rom. 8. *Fundatrice* Nobilissima D. Virginia Bona: filia Nobilissimi D. Petri Boni, Equitis Torquati: & coniuge Nobilissimi D. Carparij de Flehard, D. de Pressin, Regi à cõsiliis, ac Præsidis in Parlamento Delphinatus. c. 7. Rom. 24.

Et

Et hic, est optimè ædificatus.

ROMANENSIS tit. B. Mariæ V. Diœcesis Valentinensis. *Acceptatus* ibid. Piorum eleemosynis magnificè ædificatur. 1625.

MOLLINENSIS tit. B. Mariæ V. Diœcesis Augustodunensis. *Acceptatus* ibid.

SANCHAMONDENSIS tit. Annunciationis B. Mariæ V. Et S. Ioannis Euangelistæ, Diœcesis Lugdunensis. *Acceptatus* ibid. *Fundatrice* Potentissima D. Gabriela de Gadagna, vidua Potentissimi D. Iacobi Mytte de Myolans, Equitis Torquati: Domini de Cheurieres, de S. Chamond, d'Anjou & Cæt. nec non Pro-Regis in Prouincia Lugdunensi, &c. ibid. *Fundatore* etiam Nobilissimo & Generosissimo D. Ioanne Francisco Mytte de Miolans Comite d'Anjou, prædictæ Fundatricis filio vnico & dilectissimo; quo in obsidione Montis Albani, in adolescentiæ flore interfecto, mater ipsius incredibili sauciata dolore, nullam in cœlo vel in terra consolationem nisi in Deo quærens, de hoc construendo Conuentu pro dicti filij suaque sepultura cogitauit: in loco amœnissimo, & Ciuitate pietati multùm dedita: illúmque eleganter ædificatum, in spaciosissimæ Ecclesiæ laqueariis depictum, picturis Illustriores ex nostris Religiosos referentibus: variis Ecclesiasticis iisque pretiosis ornamentis donatum, horto & septo valdè dilatato decoratum: summa mille librarum annui & perpetui redditus dotauit. Fundauit etiam in Ciuitate Lugdunensi Monialium Conuentum, quæ Cœlestes vocantur. Insuper RR. Patribus Societatis Iesu vi-

*Nobiliss. Vidua.*

ginti quinque mille libras dedit, pro construenda tertia domo, in eademmet Ciuitate. Prædictæ Fundatrici, in Conuentus huius fundatione succedit, ex vi contractus fundationis, inter ipsam & nos Lugduni inito anno 1622. 13. Februarij, Potentissimus D. Melchior Mytte de Myolans Marchio Sanchamondensis, Eques Torquatus, Regi à Conciliis, Gallicæ Castra metator, &c. supradicti Potentissimi Domini filius.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Valentinensis.*

VALENTINENSIS, tit S. Sebastiani, Ciuitatis Archiepiscopalis celeberrimæ. *Ac-*
1533. *ceptatus* anno 1533. *Fundatrice* Serenissima D. Iu-
*Regis Filia.* lia de Aragon, vltimi Regis Neapolitani filia. Ferdinandi de Aragon Calabriæ Ducis & Valentiæ Pro-Regis, sorore. *Dormitorium* habet iste Conuentus, in modum crucis efformatum; latitudinis magnæ: longitudinis verò tantæ, quantam incitatus equus, vno spiritu percurrere potest. Vndè Camerarum numerum plusquàm sufficientem habet, pro quadraginta Religiosis qui in illo morantur; sicut & Refectorium, & cæteras inferiores officinas, quibus adiacent *quatuor Claustra.* In summa, totus mirabilis, nullique alteri secundus est Conuentus iste: siuè operis spectetur magnificentia: siuè situs amœnitas: siuè Hortorum amplitudo. *Ecclesia* duas Ianuas habet; vnam in anteriori parte, alteram in Euangelij latere, Ciuitatem versus. In hac, est porticus

porticus mirum in modum delectabilis: centum quinquaginta pedum, longitudinis: latitudinis verò septuaginta; vndique circundata muris: in quorum lateribus, sunt pulcri valdè cancelli: & Ianua in principio; ad quam patet accessus, per duo amœnissima ambulacra, arboribus aureis & cupressis, quæ ad maximam recreationem & decorem cõferunt, circumcepta. Ecclesiæ huius consecrationis, hæc est inscriptio. *Anno* M. D X X X X V I I. *Die* X V I I I. *mensis Septembris. Ego Ioannes de Goana, Episcop. Segen. & Firmen. Consecraui Ecclesiam, & altare hoc, in honorem SS. Sebastiani & Francisci de Paula. Et Reliquias. BB. Martyrum, Sebastiani, Georgij, Marmotreti, & Petri Cœlestini, in eo inclusi. Singulis Christi fidelibus hodiè vnum annum, & in die Anniuersario Consecrationis huiusmodi visitantibus* X L. *Dies de vera indulgentia, in forma Ecclesiæ consueta, concessi. Laus Deo.* Præter istas S. *Reliquias*, sunt & aliæ B. P. Francisci de Paula, in eodem Conuentu: illius scilicet habitus & capucium: Patera, in qua bibebat, Techa argentea inclusa; quæ infirmis applicata, varios morbos curat. Regula impressa & Correctorium manu-scriptum, à Iulio II. confirmata, cum sigillo Apostolico, quæ fœlicis memoriæ R. P. Gaspar de Bono Valentinensis (qui in isto Conuentu vixit) maxima cum veneratione deosculabatur, dicens, illa esse B. P. Francisci de Paula. Quas omnes Reliquias, Regali huic Conuentui, prædicta Serenissima Fundatrix, dedit. Nobilis D. Gaspar Saluador, Valentinus, *Conuentus huius fundator acceptatur; eo quod in ædificatio-* *Nobilis.*

*ne vnius claustri illius, impenderit, plusquam quingentos nummos aureos : & Sacellum B. Mariæ V. de la Victoria, quod est in eodem Conuentu, ducentis nummis aureis emerit; eligens illud in suam, suorumque sepulturam. Et prætereà, quadraginta nummos aureos, annui redditus perpetui, dederit; pro fundatione dicti Sacelli. Admittitur autem in Fundatorem, vnà cum Vxore & hæredibus : hac tamen conditione, quod ipsa, vel eius hæredes, complebunt numerum quinquaginta aureorum annui redditus.* c. 6. Rom. 9. In hoc Conuentu, celebrata sunt V. Capit. Generalia. Requiescunt in illo, R. P. Gaspar de Bono : vir Dei, innocens & miraculis clarus : qui obiit anno salutis 1604. ætatis 74. die 14. Iulij: cuius corpus incorruptum perseuerat. R. P. Hernandez de Molina, incredibili pœnitentia & misericordia in pauperes memorabilis : qui è vita migrauit, anno salutis 1609. ætatis 96. Et Deuota Soror Gratia huius Ordinis Tertiaria : pœnitentiæ zelo, prophetiæ dono, euangelica paupertate & miraculis illustris. Corporeis soluta vinculis anno salutis 1606. ætatis 112. 16. Ianuarij. Quorum vitas vide apud P P. Vincentium Gual, Montoyam, D'Attychi, Victon, & doctorem Tristan.

1534. De Alaqvaz tit. S. Mariæ Oliuarum, Diœcesis Valentinensis. *Acceptatus* anno 1534. *Fundatrice* prædicta Serenissima Iulia de Aragō. *De eo fit mētio in c.* 1. Bonon. 28. In c. 1. Valent. n. 2. *Castri Aquarij*, n. 8. *Castri Adequatij*, *dicitur*. *Fundatore* etiam Nobiliss. D. Iayme Garcia de Aquilar, Nobilissimo Barone de Alaquaz, *qui*

*Regis filia.*

*Conuentum*

*Conuentum hunc dotauit*, c. 1. Valent. 8. & fauoribus ita fouit, adiuncta Religiosorum sollicitudine, vt ædificium triginta Religiosis sufficiat: redditus autem & eleemosynæ, circiter viginti quinque. Talis est iste Conuentus vt Sanctuarium videatur, in quo piissimi Religiosi sunt educati. B. Vincentius Ferrerius, in pulpito quod est in Claustro, prædicasse fertur. Tribus tantum milliaribus à Valentia distat. **Baro.**

CASTALLIENSIS tit. S. Sebastiani. *Acceptatus*. c. 5. Rom. 10. Illius *Ecclesia* est admodùm pulcra, Octo Sacellis ornata; *Dormitoria & Claustrum* optimè fabricata. *Hortus* amœnissimus: fontis, in eo decurrentis, aquis irriguus. 1586.

DE LA PVEBLA tit. SS. Cosmæ & Damiani. *Acceptatus* anno 1603. à R.P. Gaspare de Bono, tunc huius Prouinciæ Prouinciali. *Postmodum* à c. 7. Genu. 7. Piorum Eleemosynis ædificatus. 1605.

VIVELLENSIS, tit. S. Francisci de Paula. Diœcesis Sogobricensis. *Acceptatus* ab eodem R. P. eodem anno 1603. *Posteà à Capitulo*. 7. Genu. 7.

MVCHAMIELENSIS, *tit. S. Francisci de Paula*, Diœcesis Oriolanensis. *Acceptatus*. c. Massil. 26. & c. 6. Rom. 9. Tribus tantùm milliaribus, à celebri portu d'Alicante distat: vndè illi piscium copia suppetit. Maxima populi deuotione & charitate frequentatur. 1611.

ALMORADINENSIS tit. S. Francisci de Paula. Diœcesis eiusdem. *Acceptatus* ibid. *Fundatore* R.D. Martino Thoma, præsbitero: *qui omnia bona sua, quæ excedunt summam viginti mille* **Sacerdos.**

*mille aureorum, dedit dicto Conuentui : donatione irreuocabili & inter viuos. In cuius etiam Conuentus fundatricem assumitur* Soror *prædicti Fundatoris.* ibid. Non multùm distat à mari ; magnificéque est ædificatus.

ONDARENSIS tit. Conceptionis B. V. *Acceptatus*.c. 6. Rom. 9. *Fundatore* Illustrissimo
1617. *Marchio* D.Philippo de Corduba, Marchione de Guadaleste, Flandriæ Oratore. Vnico milliari distat à Mari : vndè piscium copia gaudet : sicut & aquis fontis in illo scaturientis.

ZABEENSIS tit. S. Mariæ de la Victoria. *Acceptatus* ibid. *Fundatore* Excellentissimo D.
*Dux.* Francisco Gomez de Sandoval, Duce de Lerma, Ciuitatis huius Domino. Est in portu maritimo, in terra optima & fertilissima ædificatus.

## *CONVENTVS PROVINCIÆ Etruriæ.*

INSVLÆ MARTHANÆ tit. Dominæ nostræ de Monte, Diœcesis Ilcinensis. *Eius*
*Ducissa.* *Acceptatio*, literis Religiosæ D. Ducissæ de Farnesio, *in Capitulo perlectis, obnixè postulata fuit. Verùm cum loci commoditas, ab omnibus penè ignoraretur, R.P.Generali, eiusque Collegio remissa.* c. 3.
1574. Genu. 5. *Acceptatus* tandem fuit à Reuerendissimo, & à c.4.Genu. 6. *Fundatore*, vltrà prædictam Serenissimam D. Illustrissimo D. Alexan-
*Cardinalis Dux.* dro Cardinali Farnesio, & Serenissimo Duce Castrensi & Parmẽsi, Illustrissimæ Farnesiæ domus, prædicti Illustrissimi Cardinalis Nepote. Recreatiuus admodùm & deuotus est Cõuentus

tus iste;cui piscium abundantiam præbet lacus Vulsinus,circumferētiæ viginti & vnius miliarium, ad quem est situs, & in quem, B. Christina virgo & martyr, pro Christi fide iussu patris idololatræ, cum magno saxi pondere fuit proiecta,sed ab Angelo liberata.

VVLSINVS.tit.S.Crucifixi; Diœcesis Vrbeuetanæ. *Acceptatus.* ibid. F*undatoribus* Ciuibus oppidi Vulsini.ibi.ad eumdem lacum. *Ciuitas.*

PERVSINVS.tit. Spiritus Sancti,Ciuitatis Episcopalis.*Acceptatus*.c.1.Auen.11.Est ad portam Ciuitatis : situs amœnissimi, aëris saluberrimi. Piorum eleemosynis sustentatur. 1578.

VITERBIENSIS.tit.B.Mariæ V.Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* ibid. Est ad Portam Ciuitatis, quæ & S.Sixti, & Romana dicitur. 40. milliaribus, à Roma distat. *Ecclesia* illius, ad formam Ecclesiæ B.Petri in Vaticano,compendiosè redacta est.

GALLESIANVS.tit.B.Mariæ V.*Acceptatus* ibid.

PIZANVS. tit.S. Torpeti,Ciuitatis Archiepiscopalis,antiquissimæ.*Acceptatus*.anno 1581. 1581. & in c. 5. Rom. 10. *Ædificatus* in ædibus Illu- 1587. strissimi Martyris S.Torpeti Neronis Imperatoris Camerarij, eiusdem iussu decolati, D. Pauli discipuli : Cuius *sacrum caput*, in eiusdem Conuentus Ecclesia requiescit ; maxima populi deuotione frequentata,ad B.P.Francisci de Paula, implorandum auxilium. Cuius Votis eumdem B. P. sæpius annuere, docent permultæ tabulæ, ex Voto, in eadem Ecclesia appensæ. In hoc Conuentu, valdè spaciosum, aptèque ædificatum est *Dormitorium*. Piorum eleemosynis susten

ſuſtentatur. Decem milliaribus diſtat à Mari. Eſt ad fluuios Arnum & Auſerim.

ORBITELLENSIS, ſeu Vrbevetanus, Ciuitatis Epiſcopalis munitiſſimæ, ampliſſimo lacu referto piſcibus, circumambitæ; *Acceptatus*
1582. anno 1582. à R.P. Nicolao de Chriſtianis, Etru-
*Ciuitas.* riæ Prouinciali. *Fundatoribus*, Ciuitatis eiuſdem Ciuibus, quorum piis & copioſis eleemoſynis ſuſtentantur viginti Religioſi. *Item Fundatore* Nobiliſſ. D. Nonio Grogeno Orbitelli Gubernatore, *hac tamen lege, vt Eccleſiam Orbitellis conſtruat*. c. Maſſill. 50. Eſt maximæ recollectionis, Prouinciæ Nouitiatus, ædificij magnifici, & conſummati. Clauſtri, variis. B.P.N. miraculis, & aliorum Patrum noſtrorum, quos Sanctos piè credimus, picturis adornati: conſolationis maximæ.

FLORENTINVS I. tit. S. Ioſeph, Ciuitatis Archiepiſcopalis pulcherrimæ, & celeberrimæ, Sereniſſimi & Magni Etruriæ Ducis, Cu-
1583. riæ, *Acceptatus*, anno 1583. *Fundatore* eodem Se-
*Dux* reniſſimo Duce, cuius continuis, piis & copio-
*Etruriæ.* ſis eleemoſynis, ſuſtentatur. Conuentus huius tota pulcritudo, propter loci anguſtias, in Eccleſia conſiſtit. Non eſt tamen adeò anguſtus, quin ſit Sedes R.P. Prouincialis Etruriæ: ipſi, & circiter triginta Religioſis, ſufficiens.

FLORENTINVS II. extrà muros, tit. S.
1605. Franciſci de Paula. *Acceptatus*. c. 7. Genu. 10.
*Nobilis.* *Fundatore*, Illuſtriſſimo D. Alexandro Stozi Florentino. ibid. Magnificè & in amœniſſimo ſitu ædificatus: liberaliſſimis Sereniſſimæ Archiduciſſæ Auſtriæ, Etruiæ Magnæ Duciſſæ, eleemoſynis,

mosynis, quas dat singulis mensibus, sustentatus.

FOROLIVIENSIS. tit. S. Francisci de Paula. Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*. c. Massil. 1611.
60. Illius *Ecclesia* est magnifica. Piorum eleemosynis, ædificatur & nutritur iste Conuentus.

PISTORIENSIS tit. S. Onofrij, Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* c. 6. Rom. 7. *Fundatore* 1617.
Nobili D. Hieronimo Valtinoto, qui bona sua *Nobilis.*
pro hoc construendo & dotando Conuentu, nobis dedit. Cuius piis affectibus, concordant copiosæ & quotidianæ fidelium Ciuitatis illius eleemosynæ.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Cathaloniæ.*

BARCHINONENSIS tit. S. Francisci de Paula, Ciuitatis Episcopalis celeberrimæ. *Acceptandus proponitur*, c. Turon. 29. De facto tamen acceptatus, anno 1570. Magnifica est il- 1570.
lius *Ecclesia*, quatuordecim adornata Sacellis: Magnificum & *Dormitorium*. Cæterorum autem consummatio, piorum eleemosynis reseruatur. In hoc Conuentu, celebrata sunt tria Capitula Generalia.

PERPINIANENSIS Ciuitatis Episcopalis antiquæ & optimè munitæ. *Acceptatus* c. 1. Auen. 11. Variis miraculis, ad B. P. inuocatio- 1578.
nem factis, honoratus. Requiescit in eo, illius acceptator & constructor, R. P. Petrus de Valdes Toletanus: antè Religionis ingressum Doctor graduatus; sanctitate, doctrina & prædicationibus

tionibus fulgens. Cuius corpus decimo septimo à morte anno, inuentum fuit incorruptum, sicut & habitus & cingulum. Eius vitam, vide apud Montoyan & d'Attychi l. 4.

GRANNOLLENSIS tit. S. Francisci de Paula duodecim milliaribus à Ciuitate Barchinon.

Nobilis. *Acceptatus* ibid. *Fundatoribus* Nobili D. Puig. Stephano, & eius filia Nobili Catharina Puig. Stephana, cuius eleemosynis Conuentus huius Ecclesia, Claustrum & dormitorium pro duodecim Religiosis, sunt ædificata. In hoc Conuentu miracula multa patrauit Deus, precibus & meritis B.P.N. Francisci de Paula, & R.P. Gasparis de Bono: quæ in speciali libro, à deuotissimo quodam Ordinis, Ciuitatis huius vicino, à Montoya relato, sunt ad longum descripta.

VALLENSIS tit. S. Francisci de Paula, Diœ-

Ciuitas. cesis Tarraconensis. *Acceptatus*. c. 5. Genu. 14.

1584. *Fundatoribus* Vallensis Ciuitatis Ciuibus: quorum charitatiuis, & copiosis eleemosynis, sustentatur. Est ad præcipuam Ciuitatis Portam: quæ, ab ipso, S. Francisci de Paula dicitur: iuxtà viam qua Barchinonem & Tarraconam petitur. Hunc, copiosus dulcium aquarum riuus irrigat: & omnibus olerum & arborum pomiferorum generibus, fertilem valdè reddit: in varios fontes, in Conuentu, pro illius necessitatibus & recreatione distribuitur. Duodecim tantũ milliaribus à mari distat.

CERVERENSIS tit. S. Francisci, Diœcesis

1593. Tarracon. *Acceptatus*. c. 5. Valent. 26. Magnifica est illius *Ecclesia*: amplissima: Duodecim sacellis ornata, vltrà altare maius: lapidibus sectis & mi

& mirabilibus, cum arcubus variis, ædificata: plurimorum insignium Nobilium, sepultura. Magnificum & amplissimum est etiam *Claustrum, & totus Conuentus*, in monte, purissimi & salubertimi aëris; intrà Ciuitatem situs. Optimis aquis plena, quæ in Claustro est, in petra excisa *Cisterna gaudet*. Ad Conuentus portam, extat deuotissimum *B. Mariæ Lauretanæ Sacellum*, maxima populi deuotione frequentatum.

HOSTALRICENSIS tit. S. Francisci de Paula. *Acceptatus*. c. 6. Rom. 9. Ad Regalem 1617. viam Narbonensem: in loco maximè sano & amœnissimo, propter mirabilem prospectum, situs: sex milliaribus à Mari procul. Piorũ eleemosynis, alitur, & ædificatur.

GERVNDENSIS tit. S. Francisci de Paula. Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* ibid. in suburbiis. Feruentissimis fidelium orationibus, frequentatus: eorúmque piis & copiosis eleemosynis optimè ædificatus quibus & fouetur.

MINORICENSIS seu de Mauresa tit. S. Francisci de Paula. 1629.

TORTONÆ Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus & huic Prouinciæ vnitus: ità tamen, vt sex Fratres Clerici, Prouinciæ Valentinæ, studiorum causa, illic degere valeant.* ibid.

BARCHINONENSIS II. Monialium.

## *CONVENTVS PROVINCIÆ Prouencæ.*

AQVENSIS tit. D. Mariæ de Sede: Ciuitatis Archiepiscop. Prouinciæ huius Parlamenti

lamenti sedis, antiquissimæ & celeberrimæ. *Ad instantiam* Magistratuum, & RR. DD. Canonicorum eiusdem Ciuitatis, *exploratis eorum desideriis ac deuotionibus feruentibus. Acceptatus.* c. 2. Foroiul. 4. Pulcra admodùm & deuota est
1556. illius *Ecclesia*, licet non valdè spaciosa: quinque perpulcris sacellis adornata. Sextum restat ædificandum. Est in illa B. Virginis sacra & miraculosa *imago*, valdè antiqua, & miræ pulcritudinis. Est & argentea B.P. Francisci de Paula, in qua, *ex costis illius vna*, est inclusa. Maxima populi deuotione frequentatur quotidie; præcipuè diebus Festiuis, & sextis feriis; quibus innumera penè populi multitudo, ad B. Francisci de Paula deuotionem confluit: cuius meritis & precibus, sicut & Beatissimæ Virginis, sæpissimè quamplurima miracula patrantur. Conuětus *huius dormitoria*, simpliciter, & tamen sufficienter, *cum officinis inferioribus, & Claustro*, pro triginta Religiosis sunt ædificata idque in Ciuitate, cui nunquam piscium Maris copia deest. *Hortum, vineas, olineta*, intrà septa habet spaciosissima: est enim extrà muros, in loco amœnissimo, aëre saluberrimo, Ciuium totius Ciuitatis (quorum Charitatiuis & copiosis valdè eleemosynis sustentatur) deuotioni & deambulationi, mirè accommodatus. Est fœlix Nouitiatus & Professionis meæ locus: multorúmque Nouitiorum Seminarium. Requiescit in illo R. P. Simon Guichard XV. Generalis, de quo ibi. Et R.P. Anselmus Paris, quem vidimus miræ simplicitatis & pietatis virum. In Ecclesia autem Metropolitana, inter alias multas sacras

Reli

Reliquias, S. Maximinus Christi discipulus, primus eiusdem Ciuitatis Episcopus.

AVENIONENSIS tit. B. Mariæ à Miraculis, Ciuitatis Archiepiscopalis: & quondam, per septuaginta annos, Sedis Papalis: amœnissimæ & celeberrimæ. *Acceptatus*.c.1.Auen.12. 1578.
*Fundatore* Reuerendiss.& Illustrissimo D.Georgio Cardinali Arminiaco, Auenionensi Archiepiscopo, & Collegato: Ordinis nostri Protectore: è Sanguine Christianissimorum Regum Galliarum, oriundo. *Qui ad cumulum suæ ergà nos antiquæ Charitatis, Ordini nostro hunc Conuentum erexit: in quo hæc Comitia haberi voluit, quæ & sua præsentia decorauit* ibid. Non spaciosa nimis est illius *Ecclesia*, est tamen valdè elegans: Choro maximè commodo & excellenti, variisque Sacellis, vndique optimè ornata: Maximè *Sacello, B. P. Francisci de Paula*, à liberali D. Cifredi Mornas, ædificato, & magnificè Ornato; maxima populi deuotione, feriis sextis, frequentato: variisque illustrato miraculis. *Conuentus structura*, amplissima: & circiter triginta quinque Religiosis, sufficiens: non adeò tamen oculis grata: ex antiquis nempè coadunatis ædificiis, nouum constructum fuit. Arridet multum *Nouitiatus* inter quem & Conuentum, mediat Ecclesia prædicta. Sunt in eo Cameræ multæ. Bibliotheca & Aulæ, Prospectus denique, prorsus mirabilis. Huic, & Conuentui adiacent *hortus & vinea*, amœnitatis maximæ sicut & amplitudinis licet sint intrà mœnia Ciuitatis. Situs est hic Conuentus, ad Rodanum: nec adeò à Mari distat, quin piscibus, non modò fluuia-

*Cardinalis.*

tilibus , ſed etiam perambulantibus ſemitas maris quotidiè abundet Auenionenſis Ciuitas. In hoc Conuentu, celebrata fuerunt duo Capitula Generalia.

PORRERIENSIS tit. B.Mariæ V.Diœceſis Aquenſis: *Acceptatus* ibid. *Fundatore* Nobiliſſimo & Potentiſſimo D. Antonio de Glandeues Primo Vice-Comite Porrerienſi, ibid. Equite Torquato, Regique à cubiculo & conſiliis: qui quinque Regibus ſucceſſiuè vltrà citráque montes, belli pacíſque tempore, in terra & in mari fideliſſimè in variis expeditionibus eſt obſequutus. Hic conuentum optimè ædificauit, & dotauit: in loco ſanè ſolitario, ſed amœniſſimo, deuotioni & quieti ſpirituali valdè accommodato, iuxtà quem Caius Marius Cymbrorum exercitum clade affecit. Horti multum ſpacioſi, fertiliſſima Terra fruitur: Fontis hanc irrigantis, valdè copioſis Aquis, iiſque optimis: Sereno, ſano, & puriſſimo Aëre: Et ob vicinitatem nemoris, neceſſario Igne, ad beneplacitũ. Diſtat Sex milliaribus, à Ciuitate S. Maximini, in qua Sacræ B. Magdalenæ, B. Marcellæ, Emorroiſſæ, Cæci nati ſecundi Epiſcopi Aquenſis, & aliæ quamplurimæ S. *Reliquiæ* requieſcunt: Nouem, ab Antro, & aſperrimo in quo eſt monte, qui eiuſdem B. Magdalenæ triginta annorum pœnitentia mirabili, fuit ſanctificatus: Quindecim, ab Aquenſi: Viginti, à Maſſilienſi Ciuitatibus; è quibus omnia victui noſtro neceſſaria illi ſuppetunt.

*Vice-Comes.*

MASSILIENSIS tit. Sanctæ Mariæ Angelorum, Ciuitatis Epiſcopalis; cuius, vt celeberrimæ

berrimæ per vniuersum Orbem, nomen afferre, sufficit. *Acceptatus* ibid. Delectabili multùm structura ædificatus; quo ad *Ecclesiam*, variis Sacellis rectè adornatam; *tria Dormitoria* valdè spaciosa; in ipsis Cameras; sub ipsis verò, *Sacristiam*, *Capitulum*, *Refectorium*, & alias Officinas. Quamplurimis vineis & Oliuetis, ad ipsum spectantibus, parietibus septis, vndique cingitur. Vndè est amœnissimus, in eminenti loco situs, è quo miros Massilienses campos, Mare, & ipsam Ciuitatem, videre licet. Ideóque, est *prospectus* prorsus incomparabilis. *Cisterna* optima, in illo fontis vices supplet. Piis, & admodùm copiosis, Ciuium Massiliensium eleemosynis, sustentatur. *Requiescunt in illo*, R. P. Ioannes Franciscus de Binans, Anglus: de quo in Prouincia Prouencæ: Cuius Vitam vide in Historia Generali Ordinis lib. 3. Et Frater Iacobus Martinot Oblatus; quem, miræ pœnitentiæ, pietatis, & laboris virum, vidimus & admirati sumus. Imò & fide digni, vt ab eis accepi, aliquando extrà se in Oratione raptum, sunt illum contemplati. In Ecclesia verò Cathedrali (vt alias quamplurimas omittam.) Sacræ Reliquiæ reperiuntur, B. Lazari à Christo resuscitati; primi eiusdem Ciuitatis Episcopi. Sancti autem Cassiani, in celeberrimo Sancti Victoris (qui etiam Martyr & Eques Massiliensis ibidem requiescit) Monasterio: quod ipse primus Abbas, moderatus est. Quæ omnes dictæ Cathedralis Ecclesiæ & Monasterij Victorini, *sacræ Reliquiæ*, vt & aliæ multæ, Thecis argenteis deauratis, & pretij maximi, sunt inclusæ. In

f 3 hoc

hoc Conuentu celebratum fuit vnum capit. Generale.

MANENSIS Diœcesis Sistericensis. *Ac-*
1602. *ceptatus*.c.2.Barchin. 15. *Fundatore* Nobilissimo
*Baro.* D. Melchione de Fourbin Barone de Ianson. ibid. Eius autem Nobilissimo filio, cui Fundatoris ius nunc competit, Manensi Marchione. Conuentum hunc, Fundator optimè & à fundamentis, completè ædificauit, & dotauit: in cliuo montis, amœnissimo situ, mirabili prospectu, aëre saluberrimo & purissimo. Hortum habet recreationis maximæ. Ità vt rideant omnia, quæ in Conuentu isto & extrà illum sunt.

1602. VALETANVS tit. S. Mariæ de Monte Oli-
1605. uarum, Diœcesis Tolonensis. *Acceptatus* ibid,
*Plebeius* & in c. 7. Genu. 7. *Fundatore* honorando Viro Ludouico Augias, Valetano. ibid. Hic licet plebeius, honestè collocatis in matrimonio, honestis filiabus: filios in Christo in terris procreare; in cœlis aduocatum & æternam domum acquirere, cogitans; Conuentum hunc, & ipsius Ecclesiam, in qua requiescit, à fundamentis ædificauit: & *fructu frumenti, vini & olei sui, necnon horti amplissimi, & pecuniarum annui redditus*, nos fideles ipsius filios ità multiplicauit, vt in omnibus prædictis nongentas libras annui redditus perpetui nobis reliquerit pro Conuentus istius dote. Idque, vno miliari cum dimidio procul à Ciuitate Tolonensi, in cuius territorio, iuxtà Conuentum ipsum, sunt ferè omnia ipsius bona. Ideóque non longè à mari piscibus redundante. Est Conuentus huius *Ecclesia*, deuotissima & ornata satis. *Conuentus* ipse amœnissimus,

simus, habens ab Aquilone, *montem* quo protegitur. A meridie, *mare* quod contemplatur. Vndique, *siluam auream*, olearum antiquitatis immemorabilis, cum videantur esse à diebus Noë, magnitudinis incomparabilis. Accedunt & *arbores aureæ*, cuiuscumque speciei. Sunt & aliæ *pomiferæ* non paucæ. *Mirteta* plurima; *Palma* insignis, in medio Claustri plantata, quo tempore Conuentus hic cœpit ædificari, Conuentum superans altitudine: *Viuarium* spaciosum; perennes *fontes*; omnia hæc, & etiam hortum irrigantes: sicut & officinis omnibus, aquas subministrantes necessarias. Talis denique est Conuentus iste, vt nihil aliud in illo desideretur, nisi reductio Dormitorij Meridionalis ad formam Tolonensis (quod rectè fieri potest) vt sit terrestris Paradisus.

INSVLANVS tit. B. Mariæ V. Diœcesis Caualionensis. *Acceptatus* in eodem c. 7. Genu. 7. *Fundatore* honorando Viro D. Bertrando Guillem Insulano. *Fundatrice*, Deuota D. Honorata de Guillem, dicti Fundatoris filia ibid. 10. Hæc tanto Charitatis affectu nos prosequitur, vt quasi sui oblita, nostri tantum videatur meminisse. Erga pauperes admodùm liberalis, nos ipsius in Christo filios, nequaquam deserit; sed continuis beneficiis prosequitur: quibus & *Conuentus* quem pater ædificare cœpit, ad consummatam & optimam structuram, cum *Ecclesia & Claustro* perducitur: & Religiosi sustentantur. Est hic *Conuentus* in loco amœnissimo: *Hortum* habens spaciosum valdè (licet sit intrà mœnia Ciuitatis) irriguum *fontis aquis*, *in me-* *Ciuet*

*dio Claustri scaturientis*, iuxtà amnem Truttis, & aliis piscibus abundantem: in cuius origine mira, nõn multùm distante; suos quondam versus Petrarcha componebat.

SANSPIRITANVS tit. B. Mariæ V. Diœcesis Vceticensis. *Acceptatus* ibid. 7. *Fundatore* D. Ægidio Magnin, & D. Catharina du Gat, eius Vxore. ibid. 10. Conuentus huius *Ecclesiam*, pulcram valdè, propriis sumptibus ædificauit, Nobilis D. de Maillano: *vndè & in illius Fundatorem fuit Acceptatus*. c. Massil. 9. Est ad Rodanum, piorum eleemosynis sustentatur.

*Ciues.*

*Nobilis.*

TOLONENSIS tit. S. Ioannis Baptistæ, Ciuitatis Episcopalis, antiquissimæ, & optimè munitæ. *Sacris Reliquiis* (inter alias multas) SS. Corporum, B. Cypriani eiusdem Ciuitatis Episcopi: & B. Honorati, Episcopi Arelatensis, Monasterij Lirinensis Fundatoris, sanctificatæ: imò & ipsius B. Virginis lacte. Portu maritimo, vastissimo, vbique maximè securo, nulli in toto Orbe secũdo, in quo Christianissimi Galliarum Regis triremes commorantur, Turri munitissima munito, admodùm ornatæ. *Acceptatus*. c. Massiliensi 7. Post acceptationem factam, à R. P. Ioanne Isnardo, nimio Religionis zelo flagrante, & in agibilibus exercitatissimo; anno 1609. primo sui Prouincialatus. *Fundatrice*, Alma Ciuitate ipsa Tolonensi, Patria mea; cuius annuis eleemosynis, *Ecclesia & Conuentus*, magnificè, (licèt non ex lapidibus expolitis) ideóque simpliciter; sed eleganter valdè, ædificantur; pro viginti quinque, vel triginta religiosis, quos ibi futuros speramus: licet nunc

*Ciuitas.*

nunc quindecim sufficiant. Qui copiosis & quotidianis Ciuitatis eiusdem eleemosynis, sustentantur. Restat *Ecclesiæ* tertia duntaxat pars ædificanda, decimo adornanda Sacello, vltrà altare majus. Consummatum est *Dormitorium meridionale* (orientale non item) cum septemdecim cameris, è quibus terram mareque, & portum ipsum, nauésque omnes ingredientes & egredientes, contemplari licet. Huius pulcritudinem, nec immeritò, mirantur omnes. Sub se habet, spaciosum valdè *Refectorium*, fornicibus quatuor concameratum; sicut & alias *Officinas*. *Hortum* amœnum adiacentem, copiosissimis aquis irriguum: ad illum impinguandum admodúm aptis: vel ad ipsius pedis motum, huc, illuc decurrentibus: Arboribus variis, *ficubus, malogranatis & similibus, aureis maximè cuiuscumque generis, & mirtetis*, ornatum. Est intrà mœnia Ciuitatis, in medio siluæ mirabilium olearum: de quibus in Conuentu Valetano, vno milliari cum dimidio distante. Iuxtà mare, piscibus redundans omnigenis. Fonte dudùm nobis destinato, breui gaudebimus: interim magis necessariis rebus, intendimus. *Sacræ Reliquiæ* habitus B. P. Francisci de Paula, in Sacristia Religiosè conseruantur.

VENAISSINVS tit. nostræ Dominæ de Vita, Diœcesis Carpentoractensis. *Acceptatus*. c. 6. Rom. 8. *Fundatrice* Nobili D. Magdalena d'Essa, D. de Causans: *eo quòd dederit septem mille nummos, pro erigendo Conuentu, in loco apto, ad arbitrium R. P. Prouincialis huius* 1617. *Nobilis.*

*Prouincia*.c.Massil.18.*vbi fuit acceptata ipsius donatio.* Hæc summa, huic Conuentui, vbi illum acceptauit R.P.Hyeronimus Durandus, applicata fuit ab eodem tunc eiusdem Prouinciæ, Prouinciali, anno 1612. Conuentus huius *Ecclesia*, paruula & perátiqua est; sed incredibili populi, Ciuitatum & pagorum circonstantium deuotione frequentata. In amœnissimo loco sita.

ARELATENSIS tit.S. Honorati, Ciuitatis Archiepiscopalis perantiquæ, celeberrimæ, quondam Regiæ: *variis Sanctorum Reliquiis*, maximè B. Trophimi, Christi discipuli (de quo pluries in Actis, & 2.Cor.4.20) primi eiusdem Ciuitatis Episcopi, & B. Anthonij Abbatis, sanctificatæ. *Acceptatus*.c.6.Rom.8. *Fundatrice* Reuerenda D. Abbatissa, Monasterij Monialium Tarasconensium. ibid. Situs est in amœnissimo loco, quem *Elysium campum* vocant: *Hortis* fertilitatis maximæ, *viridariis*, *pratis* admodùm dilatatis, iisque omnibus ad Conuentum spectantibus, circumsetus. Sed maximè antiquissimo & sanctissimo in quo est situs *Cæmiterio*, innumeris, mirisque lapideis sepulcris redundante, sanctificatus. *Ecclesia* illius antiquissima, amplissima, magnifica, sed hæretica prauitate diruta. Medietas restaurata, in qua specialiter extat, inter alia, *Dominæ nostræ totius gratiæ, exquisitis picturis & marmoribus, valdè adornatum sacellum*, maxima populi deuotione frequentatum; à prædicto B. Trophimo ædificatum, anno salutis 63. *Conuentus initium*, multis cõsummatis Conuentibus æquiualens, prorsùs magnificum. Qui cœpit opus bonum Deus, potest & incrementum

*Abbatissa.*

tum & consummationem dare. A Mari non multùm distat. Est ad Rodanum & amplissima stagna : vnde maritimorum,fluuiatilium & stagnorum piscium,copiam habet maximam.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Campaniæ.*

BRACANCVRIENSIS tit. B. Mariæ V. Diœcesf. Catalavnensis. A B. P. *Acceptatus* anno 1496. *Fundatore* Illustrissimo & Generosissimo D.de Baudricour , militum Galliarum Præfecto, & Burgundiæ Pro-Rege.B. Francisci de Paula, quē ipse, de mandato Regis Ludouici X I. ex Italia , ad Galliam pertraxit , sanctæ vitæ & quam plurimorum miraculorum teste oculato.*De Conuentus huius Correctore,fit mentio in* c.1.Rom.4.quem illum esse credo qui Conuentus Blasiæ dicitur. Constat enim Conuentum Blasiensem seu Blauiensem , acceptatum tantùm fuisse in c.Massil.vt diximus, cùm de Conuentibus Prouinciæ Tholosanæ.Cæterùm Nobilissimæ D.Vicecomiti Bracancuriensi F*undatricis nomen & Priuilegia* ,olim concessa confirmantur ; eiusque filiæ vnicæ. *c.Massil.*32. 1496.

RHETELENSIS Diœcesis Rhemensis.*Acceptatus*. c. 4. Valent. 15. F*undatore* Illustrissimo Principe Ludouico de Gonzaga Duce Niuernienſi &c. *Fratre* Illustrissimi Ducis Mantuani. ibid.Ex voto pro habenda prole. 1571. *Principes ex Voto.*

RHEMENSIS Ciuitatis Archiepiscopalis celeberrimæ : maximè, ratione ampullæ cœlestis Olei,quo Galliarum Reges vnguntur:Clodoueo,

ſis. *Acceptatus*.c.7.Rom.24.*Fundatrice* eximia D. de Conty, Comitiſſa de Doultre &c.ibid. 1623. *Comi-tiſſa.*

S. MARIÆ DE SPINA. *Acceptatus*. c.5. Barch.25.F*undatrice* Nobili D. Aloyſia de Braus, 1629. *Nobiles.* *quæ huic Conuentui dedit ducentas libras annui redditus; cum onere vnius Anniuerſarij, trium Miſſarum, & Officij Mortuorum.* Et Nobiliſſima D. Marcouſſey, vidua Nobiliſſimi quondam viri Claudij de Auerouſt Equitis, *eo quod lampadem dederit, & dotauerit ſexaginta librarum ſumma: quadringentas etiam libras Conuentui dederit annui redditus, pro vna Miſſa quotidiè in perpetuum celebranda; ità tamen vt ipſa ſola gaudeat priuilegiis* F*undatricum; ſed non filiæ, nec deſcendentes.* ibid.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Panormitanæ.*

PANORMITANVS I. tit. Ieſu Mariæ: Dictus Sanctæ Oliuæ: eo quòd, S. Oliuæ Virginis Panormitanæ, corpus, in eo requieſcat. Ciuitatis Archiepiſcopalis, antiquiſſimæ & celeberrimæ. *Acceptatus* anno 1518. *Fundatore* Excellentiſſimo D. Hectore Pinnatello, Duce Monteleonis: Ciciliæ Pro-Rege. B.P.N. deuotiſſimo, & quondam Turonis ei familiariſſimo. 1518. *Pro-Rex.* Conuentus huius *Eccleſia, Clauſtrum & Refectorium*, ſunt ſtructuræ magnificæ & exquiſitæ: ſicut & *Dormitoria*, octoginta Religioſis ſufficientia: è quibus, amœniſſimos montes, & mare è propinquo contemplari: & in *Refectorio*, ex totius Italiæ

liæ celebrioribus, menſarum illius cupreſſiuarum odorem olfacere ſuaueolentem, licet. Requieſcunt in Conuentus huius Eccleſia, de-
Panor. uotus Dei ſeruus F. Sanctus, Clericus Panormitanus: virginitatis dono & zelo pœnitentiæ à pueritia admirabilis; qui obiit anno 1612. 24. Iulij, à die profeſſionis mẽſe ſeptimo. Et F. Franciſcus Ceccard, Genuenſis, Laïcus: pœnitentiæ & obedientiæ zelo commendabilis, ſicut & deuotione erga B. Virginem. Quorum vitas vide lib. 2. Hiſt. Gener. Ord. Item deuota Tertiaria Sigiſmunda Panormitana, Sanctitate pœnitentia, & miraculis celebris Eius vitam, vide ibid. l. 4.

SALEMENSIS tit. S. Luciæ, Diœceſis
1523. Mazarienſis. *Acceptatus* anno 1523. *Fundatore* Nobiliſſ. D. Brunone B. P. N. Deuotiſſimo & prædicti Ducis Monteleonis amiciſſimo. Eſt in amœniſſimo ſitu, iuxtà Mare. *Hortum* habet ampliſſimum, & aquarum copia irriguum.

AGRIGENTINVS tit. S. Franciſci de Paula; Ciuitatis Epiſcopalis. *Acceptatus* anno
1534. Nobilis. 1534. *Fundatore* Nobili D. Claramontano Pietate ergà B. P. & exemplo prædicti Ducis, ad hoc incitato. Eſt optimè, & ad fertiliſſimum Mare ædificatus: & maxima populi deuotione frequentatus. Requieſcit in hoc Conuentu Deuotus F. Patientia Bononienſis, Oblatus, qui indefeſsè laborabat: pietatis & pœnitentiæ exẽplar. Eius vitam vide in Hiſt. Gener. Ord. lib. 2.

TREPANENSIS tit. S. Mariæ de conſola-
1574. Ciues. tione Diœceſis Mazarienſis. *Acceptatus*. c. 4. Genu. 7. *Fundatoribus* Nobili D. Franciſco Barlota,

Iota, & Honorando Viro Ioanne Cuchillero. Requiescit in Conuentus huius Ecclesia, Deuota Soror Cæcilia, virgo Panormitana, virtutibus Illustris, Ordinis huius Tertiaria; quam B. Pater à morbo incurabili in visione sanauit.

MARSALENSIS tit. S. Francisci de Paula. *Acceptatus*. c. 5. Rom. 10. & c. 6. Rom. 7. *Fundatore*, Nobili D. Ioanne Antonio Laliota; lapidibus expolitis ædificatus: structura, situ, æmœnitate, horto, dulcium aquarum copia, & vicinitate maris, ex totius Prouinciæ optimis. 1587. *Nobilis.*

TERMINI tit. S. Mariæ de Gratia. *Acceptatus*. c. 5. Rom. 10. *Fundatrice* ipsa Ciuitate, à qua ędificatus fuit, & quotidie piis ipsius eleemosinis sustentatur. Est intra mœnia Ciuitatis, suprà montem positus. valdè recreatiuus, propter prospectum, maris vicini & fertilissimi. *Ciuitas.*

PANORMITANVS II. tit. S. Mariæ de Victoria. *Acceptatus*, c. 6. Gen. 15. *Fundatore* Nobilissimo Francisco de Grauina. ibid. 1596. *Nobiliss.*

CASTRI-IOANNIS tit. Dominæ nostræ Lauretanæ. *Acceptatus*, anno 1601. *Fundatrice* Ciuitate ipsa. 1601. *Ciuitas.*

CIMINENSIS tit. S. Leonardi, Diœcesis Panormitanæ. *Acceptatus*, c. 7. Gen. 6. *Fundatore* Nobili viro Paulo de Pietro Ciminensi, qui parentibus orbatus, & factus bonorum ipsorum vnicus hæres, suadente R. P. Francisco de Cimina, Ordinis nostri professo, & illius fratre primogenito, eiusdem Ordinis habitum suscepit: illique pro hoc Conuentu construẽdo, & dotando, omnia sua bona pro Christo dedit. 1605. *Nobilis factus Minimus.*

NICO-

NICOSIENSIS. *Acceptatus*, ibid.

CASTELLI-VETERIS tit. S. Franſci de
1607. Paula. *Acceptatus* anno 1607. *Fundatrice* Excel-
*Princeps.* lentiſſima D. Ioanna de Aragon, Pynnatelo, & Columna, Principe Caſtelli veteris, & Duce Terræ-nouæ. Non longè à Mari.

PACEQVENSIS Diœceſis Mazarienſis.
1608. *Acceptatus* anno 1608. *Fundatore*, Illuſtriſſimo
*Princeps.* D. Laurentio Fardela, Principe Pacequenſi: qui Conuentum hunc ædificauit & dotauit: In loco fertilitatis maximæ, & iuxtà Mare.

1609. ALCHAMENSIS. *Acceptatus* anno 1609.
*Ciuitas.* *Fundatrice*, Ciuitate ipſa, cuius piis eleemoſynis ſuſtentatur. Iuxtà Mare, in loco fertiliſſimo & amœniſſimo ſitus.

XIACENSIS. *Acceptatus*, anno 1610.
1610. *Fundatore* Nobili D. Epiphanio Bicheta Xiacen-
*Nobilis.* ſi, Ordinis noſtri Tertiario: qui moriens, omnia bona ſua, pro hoc Conuentu conſtruendo nobis dedit. Eſt in optimo Ciuitatis totius Vico, nec à Mari longè.

1612. SICVLIANVS. *Acceptatus* 1612. *Funda-*
*Ciuitas.* *trice* Ciuitate ipſa. Nobiliſſimi Baronis de Sicu-
*Baro.* liano, expenſis, ad mare ædificatus. De hoc, ſolus Montoya loquitur.

PANORMITANVS III. Monialium. tit.
1532. SS. Septem Angelorum. *Acceptatus* anno 1532.
*Dux.* *Fundatore*, Excellentiſſimo D. Hectore Pinnatello, Duce Monteleonis; Conuentus primi Panormitani, etiam *Fundatore*. De quo ibi. *De hoc Conuentu, fit mentio*, in c. 5. Genu. 22. In eo degunt pluſquam centum Religioſæ. Requieſcunt in illo Religioſæ Virgines, Dorothea la Grutta,

Brigitta

Brigitta Piloni, Nimpha Scolaro, Marina à S. Georgio, Stephana Seraphino, Elisabeth Crispo, Febronia & Euphrasia à Monte-Leone, Reparata à Paula Panormitana, & Hieronyma Gugliazo, vitæ sanctitate conspicuæ; quarum vitas vide l.4. Hist. Gener. Ordinis.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Hispalensis.*

PORTVS S. MARIÆ tit. S. Mariæ de la Victoria Diœcesis Hispalensis, à B.P. *Acceptatus*, anno 1504. *Fundatoribus* Illustrissimis DD. Ioanne de la Cerda, & Mentia Manuele Ducibus de Medinaceli, Comitibus portus Sanctæ Mariæ. Magnificè ædificatus, pro Sexaginta Religiosis, qui in illo morantur. 1504. *Duces.*

TRIANENSIS apud Hispalim, Ciuitatem Archiepiscopalem & celeberrimam: *Acceptatus* anno 1524. *Fundatore* Nobilissimo Francisco Duarte in exercitibus Serenissimi Caroli V. Imperatoris, Generali Prouisore. Est hic Conuentus, cum ipsius Ecclesia, pro septuaginta Religiosis, magnificè ædificatus, & amœnissimus. Requiescit in illo R. P. Antonius de los Rios sanctitate conspicuus: cuius vitam vide apud Montoyam l.4. & in Hist. Gener. Ordin. l.4. Sunt & plurimæ SS. *Reliquiæ*: è ligno S. Crucis, capillis & lacte B. Virgin. Dens B. Ioan. Bapt. pili Barbæ S. Petri Apost. & quinque Virginum Capita. 1524. *Nobiliss.*

XERENSIS. *Acceptatus* anno 1543. Est quadraginta Religiosorum. *In illo requiescit*, corpus 1543.

incorruptum, *B. Memoria* F. Ioannis de Sancta Maria, Oblati. *Ad cuius sepulcrum quotidiana miracula patrantur*. c. 3. Barch. 22. De quo, verbo *Beatificatio*.

1546. Comites. ARAHALENSIS. *Acceptatus* anno 1546. *Fundatoribus* Illustrissimis Comitibus de Vrena, D. Ioanne Teles Giron; Caroli V Imperat. Maiori Camerario, & D. Maria de la Cueua, eius Vxore. Quadraginta circiter Religiosi, degunt in illo.

1555. Iidem. CASALENSIS de la Puebla, tit. Purificationis B. Mariæ V. *Acceptatus* anno 1555. *Fundatoribus* iisdem Illustrissim. Comitibus de Vrena. Perfectè edificatis, à fundamentis, *Ecclesia, Sacristia, Claustro Dormitoriis, Refectorio & cæteris officinis* Conuentus: Ornata *Ecclesia & Sacristia*, Cruce & Calicibus argenteis: Ornamentis variis, aureis, argenteis & sericis; Suppellectili necessaria, posita in *Cameris omnibus, Refectorio & similibus*. Attendentibus omnibus quorumcumque Ordinum Religiosis, vt viderent, quibus tandem daretur hic Conuentus. Dicti Illustrissimi Comites, in illũ Religiosos nostros introduxerunt, prima Februarij anno 1555. in primis Vesperis Purificationis B. MARIÆ V. illos in ipsius mittentes possessionem: ipsisque die illa, in Refectorio, magna cum deuotione, ministrantes. Conuentus est maximæ recollectionis & obseruantiæ, viginti duntaxat Religiosorum. Requiescit in illo R. P. Ludouicus de Spinosa, maximæ obseruantiæ & miræ obedientiæ vir. Cuius vitam vide l. 4. histor. Gener. Ord.

AZALCARENSIS tit. B. Mariæ de la Victoria,

ctoria, Diœcesis Hispalensis. *Acceptatus* 1558. 1558.

VTRERENSIS tit. Dominæ nostræ de Consolatione Diœcesis Hispalensis. *Acceptatus* anno 1561. *Ecclesia* illius est Magnifica & am- 1561.
plissima. In illa, est Sacra B.V. Imago, valdè miraculosa; tanta populi & Nobiliorum Hispaniȩ deuotione frequentata, ratione frequentissimorum miraculorum quæ in ea fiunt, vt singulis ferè annis, currus ad illam accedentes, mille & quingétorum numerum excedant. *Lampadarum argentearum*, non est numerus. *Claustrum* Conuentus est mirabile, sicut & *Dormitoria, omnes Officinæ; & Infirmaria. Situs*, est ferè illimitatus, *Hortus* amœnissimus: eleemosynæ, maximè Illustrissimorum totius Hispaniæ, copiosissimæ. Est septuaginta Religiosorum. De Conuétus huius mirabilibus. Vide Montoyam, in illo.

CONNILENSIS tit. Nostræ Dominæ Virtutum: Diœcesis Gaditanæ. *Acceptatus*. anno 1567.
1567. *Fundatore* Excellentissimo D. Alphonso *Dux.*
Perez de Guzman, Medinæ Sydoniæ Duce. A quo B.V. habemus Imaginem miraculosam, maxima populi deuotione frequentatam; sicut etiam ipsius Conuentus dotem.

ALMONTENSIS Diœcesis Hispalensis.
*Acceptatus*. anno 1568. *Fundatore*, Reuerendo 1568.
D. Petro de Gaona Canonico; qui hunc Con- *Canoni-*
uentum, omnium bonorum suorum fecit hæ- *cus.*
redem.

COMPLVTI GAZVLORVM. *Fundatore* *Dux.*
Excellentissimo D. Ferdinando Henriquez de Ribera, Duce Compluti, Pro viginti Religiosis dotatus.

MEDINÆ SYDONIORVM tit. S. Seba-
1579. ſtiani: *Acceptatus*. anno 1579. *Fundatore*, eodem
Dux. Excellentiſſimo D. Alphonſo Perez de Guſman, Medinæ Sydoniorum Duce. Pro viginti etiam Religioſis dotatus.

XIMENENSIS tit. S. Annæ: Diœceſis
1583. Gaditanæ. *Acceptatus*, anno 1583. Piorum eleemoſynis ſuſtentatur.

MORONENSIS tit. S. Sebaſtiani. *Acce-*
1584. *ptatus* anno 1584. *Fundatore* Excellentiſſimo D.
Dux. Petro Giron, Duce de Oſuna, primo Pro-Rege Neapolitano. In illo, eſt Dormitorium triginta Religioſis ſufficiens.

GVELVALENSIS Diœceſis Hiſpalenſis.
1588. *Acceptatus* anno 1588. ad Mare ædificatus; piorum eleemoſynis ſuſtentatur. In illius *Fundato-*
Plebeius. *rem* acceptatus fuit dilectus Ioſeph Carbombouli. c. Maſſil. 60. Requieſcit in illo R. P. Philippus de Monclaua, Obedientiæ & vitæ quadrageſimalis zelo maximè celebris, cuius corpus ſextum poſt annum à ſepultura, repertum fuit incorruptum. Eius vitam vide apud Montoyam & in Hiſt. Gener. Ord. l. 4.

HISPALENSIS Cõuentus & Collegium, 50. Religioſorum. tit. S. Franciſci de Paula. Ci-
1589. uitatis Archiepiſcopalis. *Acceptatus*. anno 1589.

S. LVCI de Varrameda. *Acceptatus*. c. 5. Va-
1593. lent. 26. *Fundatore*, Excellentiſſimo Duce Al-
Dux. phonſo Perez de Guſman, de quo ſuprà. Situs eſt in ipſo Maris littore.

AIAMONTENSIS, eſt Collegium.

XERENSIS Monialium tit. Ieſu Mariæ.
1524. *Acceptatus*. anno 1524. Eſt 50. Religioſarum.

TRIA

TRIANENSIS Monialium. tit. Dominæ nostræ de consolatione. *Acceptatus* anno 1548. Est Sororum 70. *De eo sit mentio in* c.3. Barch.23. 1548

HISPALENSIS Monialium. *Acceptatus* anno 1593. Est Sororum sexaginta. 1593

## *CONVENTVS PROVINCIAE Lombardiæ.*

BONONIENSIS tit. S. Benedicti. Ciuitatis Archiepiscopalis: & Vniuersitatis celeberrimæ. *Acceptatus* anno 1529. Illius *Ecclesia* est spaciosa, optimè ornata, & admodùm pulchra: in Parrochiam à Pio V. erecta, anno 1565. In ea, quamplurimæ *Sanctorum Reliquiæ*, conseruantur. *Dormitoriũ eius*, est spaciosum satis. Magnifica *Claustri medietas* perfecta. Cætera sufficientia. 1529

FERRARIENSIS tit. S. Crucis. Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*, anno 1535. *Fundatore* Serenissimo Alphonso de Este, Duce Ferrariensi. Inter varias B.P.N. *Reliquias sacras*, quæ religiosè conseruantur in hoc Conuentu, est ipsius *Habitus, Capucium & Cingulum.* 1535 *Dux Ferraræ.*

PARMENSIS tit. S. Ioannis Baptistæ. Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*. c.4. Genu. 6. *Fundatore* Serenissimo D. Octauio Farnesio Duce Parmæ. ibid. *Ecclesia* fuit quondam Equitum S. Ioannis Hierosolimitani. Ab ipsis nobis data: ideóque antiqua valdè, sicut & *Claustrum. Sacristia*, variis ornamentis pretiosis & vasis argenteis, ornatur. Habet partem notabilem *ligni Sanctæ Crucis*, cruce argentea, inclusam, à Fundatore supradicto datam. Item duas sanctas Reli- 1574 *Dux Parmæ.*

quias easque magnas, duarum Beatæ Vrsulæ sociarum: quas generosus Victor Fisci Parmensis, pugnando in Belgio pro Rege Catholico, Coloniæ accepit: & postmodùm nobis dedit: cum authenticis literis.

1584. PLACENTINVS tit. Sanctissimæ Trinitatis. Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*. c. 5. Genu. 14. *Fundatore* eodem Excellentissimo Duce Parmæ: & Illustrissimo Guillelmo Fulgosio. *Sacella* B. Virginis, & B. P. Francisci de Paula, variis sunt ornata Iaspidibus. In Conuentus huius *Sacristia*, multæ sunt *Sanctorum Reliquiæ* Thecis argenteis inclusæ. *Vt & vasa argentea*, & ornamenta preciosa non pauca. Perfectus est iste Conuentus, & optimè ædificatus, pro triginta Religiosis.

*Idem Dux.*

COTIGORICENSIS tit. S. Mariæ à Rosario. Diœcesis Comaclensis. *Acceptatus*, anno

1588. 1588. *Fundatore*, Nobili Camilo Solegate: optimè, est ædificatus.

*Nobilis.*

MVTINENSIS tit. S. Barnabæ. Ciuitatis

1588. Episcopalis. *Acceptatus*, anno 1588. Est Parrochia, ex melioribus Ciuitatis.

BALNEOLENSIS tit. S. Francisci de Paula, Diœcesis Regiensis. *Acceptatus*. c. 7. Genu.

1605. 6. *Fundatore*, Excellentissimo D. Alphonso de Gonzaga, Comite Nouariensi & Balneolensi, ibid.

*Comes.*

## *CONVENTVS PROVINCIÆ Maioricensis.*

SODALITATIS, apud Maioricam, non longè à mari, tit. S. Mariæ Sodalitatis. *Acceptatus.*

*ptatus*. capit. 5.Genuensi 14. 1584.

Maioricensis tit.S.Francisci de Paula. Ciuitatis Episcopalis.*Acceptatus*. c. 2. Auen. 15. *Fundatore* Honorando D.Petro Lebres Insulano Maioricæ : Ex voto, pro præseruanda nauii à Piratis ipsam prosequentibus : Deo, & B. P.Francisco de Paula emisso : *qui pro fabrica Ecclesiæ & Conuentus Maioricensis, & pro Fratrum alimento, dedit summam trecentorum ducatorum annui redditus perpetui*. ibid. Huius etiam Conuentus *Fundatores sunt* D.N.*Vxor eius & liberi:ob insignem eleemosynam trium millium nummorum, quos dederunt pro fabrica dicti Conuentus:aliáque multa beneficia,ab ipsis Ordini collata*. c. 7. Genu. 10. Est in optimo Ciuitatis loco situs. 1599. *Ciuis ex voto.*

Murensis tit. S. Annæ. Diœcesis Maioricensis. *Acceptatus* circà idem tempus.

Campensis tit. S. Francisci de Paula. Diœc.eiusdem.*Acceptatus* circà idem tempus.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Lauretanæ.*

Anconitanvs tit. S. Primiani. Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus* anno 1594. 1594. *Ecclesia* est Parrochialis.In illa requiescit *Corpus S. Primiani*,eiusdem Ciuitatis Episcopi & martyris.Quindecim duntaxat milliaribus,distat ab Ecclesia B.Mariæ Lauretanæ. Est in portu maritimo.

Pisavrensis tit. S. Francisci de Paula. *Acceptatus*. c.5.Valent. 26. 1523.

Fanensis tit. S. Spiritus. Ciuitatis Episcopa

1602. copalis. *Acceptatus*, anno 1602. ad mare. *Fun-*
*Nobilis.* *datrice*, Nobili D. Portia Parceli. c. 2. Barchin. 28.
1603. VASTENSIS. *Acceptatus* anno 1603. *Fun-*
*Mar-* *datore* Illustrissimo D. Marchione Vastensi.
*chio.* VRSONIENSIS. *Acceptatus* circà idem tempus. *Fundatore* Illustrissimo D. Philippo Colona: à quo pro duodecim Religiosis fuit dotatus.

CASTELLONENSIS tit. Sanctissimi Cru-
1611. cifixi: Diœcesis Senogaliensis. *Acceptatus.* c.
*Abbas.* Massil. 30. *Fundatore* Illustriss. D. Iuliano de la
*Ex Vo-* Rouero, Abbate S. Laurentij in Campo boua-
*to.* rio, Pauli V. Referendario. Ex voto pro recuperanda sanitate.

FIRMANVS tit. S. Petri, Ciuitatis Archi-
*Episco-* episcopalis. *Acceptatus*, ibid. *Fundatore*, Reueren-
*pus.* diss. D. Sulpitio, Constantini Firmano, Nocerensi Episcopo, ibid.

ARIMINENSIS tit. S. Antonij de Padua
1610. Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*, anno 1610. in pręcipua platea Ciuitatis, & in portu maritimo.

CHIESENSIS tit. S. Francisci de Paula.
1623. *Acceptatus.* c. 7. Rom. 23. *Fundatore* per-Illustri
*Nobilis.* D. Gaspare Giuanni, & eius successore. ibid.

AQVILÆ. *de hoc fit mentio in* c. 3. Barch. 28.

*Nobilis* RIPALTÆ *Fundatore* Nobili D. Cæsare
*Neapo-* Caraciolo Neapolitano: qui hunc Conuentum
*litanus.* pro 12. Religiosis dotauit. *De hoc fit etiam mentio.* ibid.

SALMONÆ. *De hoc etiam fit mentio.* ibid.

CÆSENNENSIS Ciuitatis Episcopalis. *Ac-*
1629. *ceptatus.* ibid.

CONVEN

# CONVENTVS PROVINCIAE *Arragonensis.*

CÆSARAVGVSTANVS tit. S. Mariæ à Victoria. Ciuitatis Archiepiscopalis, Regni Arragoniæ capitalis. *Acceptatus*. c. 1. Auen. 11. F*undatore* Nobili D. Ioanne de Cornai, (ex præcipuis Ciuibus eiusdem Ciuitatis & Nobili Maria Vertix eius Vxore. c. 5. Valent. 28. Illius *Ecclesia* est magnifica ; & ex præcipuis totius Ordinis. Magnificus est etiam Conuentus, & circiter quinquaginta Religiosorum. In F*undatricem* etiam acceptata est D. Anna de Clauet. c. 6. Rom. 9. Requiescit in illo R. P. Ioannes de la Barreda : Euangelica paupertate & humilitate insignis : paulo antè obitum, visione B. Virginis consolatus, & de obitus hora commonefactus. Eius vitam vide apud Montoyam. 1578. *Nobiles.*

FRENESDENSIS tit. S. Mariæ de Gratia. *Acceptatus*, anno 1580. primò *in montis Antro* spacioso valdè, in quo est Ecclesia ; Conuentus capax 24. Religiosorum; & fons perennis: & in Ecclesia, B. V. Imago miraculosa. Posteà anno 1595. pro Fratrum infirmorum commoditate, ædificatus in Ciuitate ipsa, in qua Religiosi morantur; remanentibus duntaxat quatuor, ex ipsis in Antro supradicto. F*undatoribus* Illustrissimo D. Ioseph de Sesse Regi Catholico à consiliis, Regente Cancellariæ Regiæ Arragonum, ac S. Officij Consultore *& etiam eius Illustriss. filia* D. Maria Sesse; *eo quod, vltrà beneficia Collata Conuentui Cæsaraugustano &* 1580.

 aliis,

*aliis, nuper dederit huic Conuentui annuum redditum ducentorum quinquaginta ducatorum.* cap. 3. Barch. 29.

1585. *Nobilis.* CASCANTENSIS tit. B. Mariæ à Victoria. *Acceptanus*, anno 1585. *Fundatore* Nobili D. Ioanne Firmino. c. 6. Rom. 9. Illius *Ecclesia* est famosissima. *Conuentus* 24. Religiosorum. *Hortus* spaciosissimus, & in illo *Viuarium* plenum piscibus. Requiescit in hoc Conuentu R.P. Simon Garcia vir miræ pietatis, Correctorum, Informatorúmque Nouitiorum exemplar. Cuius vitam vide apud Doctorem Tristan.

1602. *Comites.* DE FVENTES tit. S. Annæ. *Acceptatus.* c. 2. Barchin. 3. *Fundatore* Illustriss. D. Carolo Fernando de Heredia: & D. Catharina Balthazara de Luna, Comitibus de Fuentes: Dominis domus & Baroniæ de Mora, &c. ibid. Est optimè & eleganter ædificatus, cum *Claustro* depicto, & *horto* spacioso & amœno valdè.

1617. *Barones.* ALBALATENSIS tit. S. Mariæ à Victoria. *Acceptatus.* c. 6. Rom. 9. *Fundatoribus* Illustriss. Baronibus Seluæ & Albalatæ de Cinca, D. Alphonso de Espes, & D. Anna de Luna, eius Vxore. c. Massil. 17.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Flandro-Belgicæ.*

1617. *Genuensis Mercator.* ANTVERPIENSIS tit. Iesu Mariæ. Ciuitatis Episcopalis celeberrimæ, *Acceptatus.* c. 6. Rom. 10. *Fundatoribus*, Nobili D. Ioanne Augustino Balbi, Genuensi, & illius filiabus, & Vxore *si nubat: sicut & filij & filiæ procreandæ.* ibid. Est

Est in optimo Ciuitatis loco situs.

ANDERLACENSIS apud Bruxellam, tit. SS. Caroli & Annæ. *Acceptatus.* ibid. *Fundatoribus* Excellentissimo D. Carolo à Lotharingia, Duce D'Aumale: & dilectissima eius filia, D. Anna à Lotharingia, Ducissa D'Aumale (hodie Vxore Illustrissimi Ducis de Nemours) ibid. Situs est, ad prædicti Ducis d'Aumale, Magnificum valdè Palatium, memorabili horto amœnissimum. Eminentissimus Cardinalis Borromæus, nunc Mediolanensis Archiepisc. ad eumdē Excellentissimū Ducem, Manipulum misit; cum quo S. Carolus, ipsius Patruus, pluries celebrauerat: in grati animi signum: eo quod hunc Conuentum titulo S. Caroli condecorasset. Duces.

BRVXELLENSIS tit. SS. Stephani & Catharinæ. *Acceptatus.* ibid.

MONTENSIS. *Acceptatus.* ibid. *Fundatrice* Nobili Domina Druart. c. 3. Barch. 32. *Nobilis.*

LEODIENSIS. *Acceptatus.* c. 6. Rom. 10. 1617.

INSVLANVS. *Acceptatus.* ibid.

GRANDIMONTENSIS. *Acceptatus.* ibid.

DVACENSIS. *Acceptatus.* c. 3. Barchin. 32. 1629.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Lotharingiæ.*

SERRENSIS tit. Sanctissim. Trinitatis. 1593. Diœcesis Tullensis. *Acceptatus.* cap. 5. Valent. 26. *Fundatore* Illustrissimo D. Ioanne de Lenoncourt, Sereniss. Lotharingiæ domus Dispensatore Maximo: qui mortuo vno ex filiis quem vnicè diligebat, bonorum quæ illi para *Præfectus domus Lotharingiæ.*

parauerat, pro æterna salute illi procuranda, B.P.Franciscum de Paula fecit hæredem, hunc Conuentum ædificans. Qui, ipso mortuo, ab Illustrissima D. Barbara de Puisdufaul, & Nobilissimis eius filiis, perfectè consummatus fuit. Est maximæ quietis, à tumultu sæcularium segregatus.

NANCEIANVS tit. S. Ioannis Baptistæ; Diœcesis Tullensis, celeberrimæ Ciuitatis, Serenissimi Lotharingiæ Ducis Curiæ. *Acceptatus* anno 1592. *Fundatore* Illustrissimo D. Christophoro de Bassompierre. Item, Serenissimo Principe Carolo III. Lotharingiæ Duce; *quem, cum filiis, Fundatorum Cathalogo ascripserunt Patres, considerantes eius Zelum, plurimáque beneficia ab eo Ordini collata*. c. 5. Valent. 30. Conuentus huius ædificium; quo non est in tota Religione perfectius, vel elegantius, valdè ampliauit Serenissimus Dux Lotharingiæ Henricus II. dicti Caroli III. filius, verus Minimorum pater, qui se nihil vnquam à B.P.Francisco de Paula petiisse quod non obtinuerit est professus: ex Voto, Deo & eidem B. Francisco emisso pro habenda prole, quam Religionis huius habitu per annum induit, deuotionis causa: interim dans pro Ecclesiæ & Conuentus fabrica, triginta quatuor mille libras. Excellentissimus etiam Franciscus à Lotharingia (Pater Ducis Lotharingiæ nunc regnantis) Marchio Foncastri, Comes de Vaudemont; vnà cum charissima prole, *Fundatorum cathalogo sunt inscripti*. c. Mass. 32. Ecclesiæ Conuentus huius spaciosissimæ & elegantissimæ laquearia, exquisitioribus picturis sunt

*1592. Nobilis. Duces Lotharing. Carol. III.*

*Henricus II. ex Voto.*

*Comes de Vaudemont.*

omnino

omnino depicta. Amœnissimis & spaciosissimis septis gaudet: variis fontibus est irriguus, viuario recreatur: Officinas omnes perfectas habet; maximè Sacristiam quamplurimis vasis,& candelabris argenteis, item variis ornamentis aureis, argenteis & sericis locupletem; & Capitulum, in quo picturis exquisitis admodùm, depicti sunt omnes omnium Ordinum Fundatores. Infirmaria separata, spaciosa est, & valdè commoda.

SANMIHELENSIS tit. S. Theobaldi, cuius Prioratum Ordini nostro vniuit Clemens VIII. ad instantiam Illustrissimi Principis Caroli Cardinalis à Lotharingia. Diœcesis Virdunensis. *Acceptatus*. c. 7. Genu. 8. F*undatore* Illustrissimo Principe Carolo à Lotharingia, Duce du Mayne: *tùm, ob innumera ipsius in Ordinem nostrum collata beneficia: tùm quia huic Conuentui dedit summam, centum sexaginta sex aureorum annui. redditus perpetui.* ibid. *In numerum etiam Fundatricum, acceptatæ fuerunt* Nobilissimæ DD. Anna de Haraucourt; vidua: & Maria Barbara de Haraucourt, sorores, *ad vitam: eo quod huic Conuentui dederint, sex mille francos Barrenses. Item,* D. Dotel & eius soror D. de Ragercourt. c. 3. Barch. 33. — 1605. *Dux.*

SPINALENSIS tit. S. Francisci de Paula. Diœcesis Tullensis. *Acceptatus*. c. Massil. 31. *Fundatrice* D. Claudia de Bassompierre, *Sorore Fundatoris Conuentus Nanceiani Canonicarum Regularium Spinalensium Abbatissa. Et ipsius Coadiutrice* R. D. Claudia de Viange. ibid. Quarum liberalitatibus, optimè est ædificatus & dotatus. — 1611. *Abbatissa.*

*Funda*

DVNENSIS tit. S. Ægidij, Diœcesis Rhemensis. *Fundatore* R.D. Dominico Olrion, *Canonico Tullensi* c. 3. Barchin. 33.

*Canonicus.*

STENACENSIS tit. S. Francisci de Paula, Diœcesis Treuirensis. *Acceptatus.* c. 6. Rom. 8. *Fundatore* Serenissimo Principe Henrico II. Lotharingiæ Duce.

*Dux Lotharingiæ.*

VEZELIZENSIS Diœcesis Tullensis. *Acceptatus* ibid. *Fundatore* Nobili D. Desiderio Virion. ibid.

*Nobilis.*

BESSINGENSIS tit. B. Mariæ V. Diœcesis Metensis. *Acceptatus* ibid. *Fundatore* Nobili D. Hercule de la Forest, & Charissima eius Vxore. ibid.

DIEVZENSIS tit. S. Francisci de Paula: Diœcesis eiusdem.

NOMENIENSIS Diœcesis eiusdem. *Acceptatus.* ibid.

LVNAVILENSIS tit. S. Francisci de Paula: Diœcesis Tullensis. *Acceptatus.* c. 7. Rom. 24.

1623.

BARRENSIS tit. & Diœcesis eiusdem. *Acceptatus.* ibid.

MARCHEVILLENSIS tit. Annunciationis B. Mariæ V. Diœcesis Virdunensis. *Acceptatus.* ibid. *amplissimè fundatus*: *Fundatore* amplissimo D. Henrico de Gournay (ex Prosapia S. Liuier, potêtissimi Domini Austrasiensis, oriundo) sincerissima pietate & Sacramentorum mira frequêtatione claro, Comite de Marcheuile: Christianissimo Regi à Cubiculo & Consiliis: eiusdémque Constantinopoli nunc Oratore. *Fundatrice verò, Nobilissima* D. de Eurrian, *præfati Fundatoris Matre. Nobilissima item eius Coniuge*, Philiberta

*Comes.*

berta de Castillon. ibid. Ipsamet die; qua in Conuentus huius possessionem missi sunt Patres nostri, Diuinum officium celebrare cœperunt; & Capitulum Prouinciale, in proximis Michaëlitiis, in illo fuit celebratum: ab illa námque die, perfectè erat ædificatus.

S. LVCIÆ, *Acceptatus.* c.3.Barchin.33. *Et* 1629.
Excellentiss.D.Ludouicus à Lotharingia, Princeps de Faltzbourg,& Lixim: Comes de Boulay & Asperimontis, D.de Sampigni. Et Excellentiss.D.Henrica è Lotharingia, Coniuges: *eo quod, hunc Conuentum suis expensis, magnificè extrui curarint, necessariáque ornarint supellectili: & redditibus, plus quàm mille ducatorum annuorum, dotarint: magno cum Patrum applausu fuerunt in numerum primariorum Fundatorum adscripti.* ibid. *Dux.*

## CONVENTVS PROVINCIAE *Venetiarum.*

VENETVS, tit.S.Bartholomæi; Ciuitatis Patriarchalis, Serenissimæ Venetiarum Reipublicæ celeberrimi Capitis. *Acceptatus: hac lege, vt immediatè subsit Generali.* cap.5. Rom. 10. 1587.
*Fundatoribus* Reuerendissimo D.Francisco Maximo de Quirinis, Concordiæ Episcopo,& Nobiliss. DD.Ioanne & Aloysio de Quirinis, fratre & nepote: qui Hospitale S. Bartholomæi, cum terris & annuis redditibus ipsius, nobis dederunt: mediantibus beneplacito Summi Pontificis: & Clarissimi, Serenissimíque Senatus, decreto. Prædictus Reuerendiss.Episcopus, Fundator, huic Conuentui dedit, partem notabilem *Episcopus cuſuis.*

bilem *ligni crucis Christi*, theca aurea, intrà aliam argenteam, inclusam: preciosissimóque topazio coopertam: quæ in Sacristia religiosissimè conseruatur. *Ecclesia* valdè magnifica, admodùm frequentatur: maximè diebus Veneris, à mane ad vesperam, ob feruentissimam erga B. Franciscum de Paula deuotionem: vnde tabellis miraculorum ipsius, velut stromatis, ornatur vndique.

BRIXIÆ, tit. S. Ioan. Bapt. Ciuit. Episc. *Acceptatus*. c. 5. Valen. 26. *Fundatore*, Nobili D. Vin-
1593. Nobilis. centio Zumbano Brixiensi. *Est Parrochia.*

VERONÆ, tit. S. Francisci de Paula; Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*. ibid.

MANTVÆ, Ciuitatis Episcopalis, & Ducalis. *Acceptatus* ibid. *Fundatoribus* Serenissimo D.
Duces Mãtua. Vincentio Gonzaga: & D. Leonora de Austria, eius Matre: & D. Leonora de Medicis, eius Vxore; Mantuæ Ducibus. Illustrissimus & Reuer. D. Ferdinandus Cardinalis Gonzaga (qui posteà fuit Dux Mantuæ) huic Conuentui *pretiosissimas Reliquias* dedit, sub duabus Achatis argento inclusas: Filum scilicet, quod ipsa B. Virgo traxit: & Reliquiam B. P. Francisci de Paula, cum osse S. Pauli Apostoli. Quæ in Sacristia deuotissimè conseruantur: & magna populi veneratione frequentantur.

GVBERNOLENSIS tit. S. Francisci de Paula, decem milliaribus procul à Mantua. *Acce-*
1617. *ptatus*. c. 6. Rom. 7. *Fundatoribus*, primò Nobili D.
Nobiles. Petro Scachiquo: posteà Illustrissimo D. Baui Matebono.

SOLFERINVS. *Acceptatus* ibid. *Fundatore*, Illu

Illustrissimo Principe Solferino, & Illustrissima ipsius coniuge. *Dictus enim Princeps, non solùm Conuentum suis sumptibus ædificauit: sed pro annuo redditu, trecentos nummos aureos dedit.* ibid.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Mediolanensis.*

MEDIOLANENSIS tit. S. Mariæ ad Niues; aliàs, de Fonte. Ciuitatis Archiepiscopalis, Ducalis, Celeberrimæ; quondam à S. Ambrosio, nouissimè à S. Carolo Cardinali Borromæo, illius Archiepiscopis inter alios multos, illustratæ. *Acceptatus.* c. 5. Valent. 26. 1593. *Fundatoribus* Nobilibus quibusdam Scholasticis Gallis, qui ex venatione fatigati, & ardenti siti vexati, B. Virginis sacram Imaginem inuenerunt: & ad eius pedes, dulcium & Crystalinarum aquarum *fontem miraculosum*; quibus ardentem sitim extinxerunt: & in gratiarum actionem, Ecclesiam istam construxerunt, intrà terram: ità vt, ad illam per duas scalas marmoreas & perpulcras, quindecim graduum, descendatur. Sex porticus, in modum Claustri, variis columniis marmoreis, & picturis exquisitis ornatæ, hanc circumambiunt. Fons de quo suprà, est sub maiori Altari: cuius aquæ, infirmis ipsas deuotionis causa potantibus, B. Virginis precibus conferunt sanitatem. Ecclesia hæc, Ordini nostro data fuit, ab Excellentissimo D. Ferdinando Gonzaga, Mediolanensi Gubernatore, anno 1547. qui immatura morte præuentus, Conuentum imperfectum reliquit, 1547.

*Galli Scholastici nobiles.*

*Gubernator Mediolanensis.*

quem valdè magnificum construere meditabatur. *Claustrum* tamen habet, *Refectorium*, & *alias Officinas*, *cum dormitorio* pro triginta circiter Religiosis; satis magnifica. *Sacristiam* vasis aureis non paucis, variisque Ecclesiæ præciosis ornamentis, admodùm locupletem. *Nouitiatum*, cum nouem cameris. *Infirmariam* separatam, & *Piscinam* miræ recreationis, piscibus redundantem: sexaginta cubitorum, longitudinis: viginti, latitudinis; quæ mediat inter Conuentum, & Ecclesiam: suprà quam, & ipsius porticus, incœpta est alia magnifica Ecclesia: Cui operi multum profuerunt, insignes liberalitates, Illustrissimæ D. Elizabeth de Capua, Principis de
*Princeps.* Molfeta, prædicti Excellentissimi Fundatoris Viduæ, insignis Castitatis, Pauperum Religiosorum matris, sicut & viduarum & Orphanorum; inter Fundatrices nostras nulli secundæ.

PAPIENSIS tit. S. Marci, Ciuitatis Episcopalis. *Acceptandus*. c. Turon. 29. *Acceptatus* verò
1578. c. 1. Auenion. 11. *Ecclesiæ* perpulcræ, adiacet Conuentus *Claustrum*, quamplurimis columnis marmoreis & Iaspideis adornatum. Amplæ sunt *Officinæ*, spaciosa & *dormitoria*, illis proportionata.

CASTRILEONENSIS tit. S. Mariæ de Stella; Diœcesis Cremonensis. *Acceptatus*. c. 7.
1623. Rom. 23. Hic licet paruulus, benè tamen ædificatus, duodecim sufficit Religiosis.

CREMONENSIS tit. S. Mariæ de Via: Ciuitatis Episcopalis. *Acceptatus*. ibid.

COMENSIS tit. S. Ioannis Baptistæ. Ciuita-
*Nobilis.* tis Episcopalis. *Acceptatus* ibid. *Fundatore* Illustrissimo

ſtriſſimo D. Octauio de Vicecomitibus, *Comenſis Ciuitatis: qui propriis expenſis Conuentum ædificauit, aſsignauitque pro victu duodecim Fratrum, ſingulis, quinquaginta nummos aureos.* ibid.

ALEXANDRINENSIS tit. S. Ioannis Baptiſtæ. Ciuitatis Epiſc. *Acceptatus*, ibid. *Fundatore.* Eminentiſſimo D. Scipione Cardinali Burgheſio: *qui dedit Eccleſiam S. Ioannis Bapt. & Conuentum: aſsignauitque quinquaginta aureos nummos, anni redditus perpetui.* ibid.

VERLEMANVS tit. S. Vrſulæ. *Acceptatus.* ibid.

SVRICENSIS. De hoc, ſolum nomen reperi.

## *CONVENTVS PROVINCIAE Comitatus Burgundiæ.*

ORNACENSIS tit. Purificationis B. Mariæ. V. Diœceſis Veſontionenſis: Ciuitatis Refugij, ad amnẽ truttis & aliis piſcibus abundantem. *Acceptatus.* c. Maſſil. 34. *Fundatrice* D. Laurentia Franciſca d'Orſan. ibid. D. de Voienne: Vidua D. Ioannis de Groſpain, D. de Belmond, Bremondeau, &c. 1611. *Nobilis vidua.*

VESONTIONENSIS tit. B. Mariæ V. Ciuitatis Archiepiſc. Prouinciæ capitis, & celeberrimæ: in qua, ſacrum Sudariũ, in quo in ſepulcro Chriſti Corpus fuit inuolutum, clauorum & plagarum ipſius inſignia præ ſe ferens, religioſiſſimè aſſeruatur: & maxima circumfluentis vndique populi deuotione, frequentatur & colitur. *Acceptatus.* ibid. *Fundatrice* Nobiliſſima

 D. Anna

Baro. D. Anna de Grospain, Ornacensis Conuentus Fundatricis filia: fundationis Conuentus huius tempore, Nobilissimi D. Sansonis Malarme, D. de Lorray; nunc verò, Nobilissimi D. Baronis de Traues, coniuge. *Fundatricibus etiam*, Illu-
Comes. strissima D. Comite à S. Amore: & D. Susanna
Nobiles. Recy, cum D. de l'Isola *insigni nostro benefactore, ipsius viro*. c.6. Rom.8. Magnificè ædificatus est iste Conuentus, Prouinciæ caput: in cuius Ecclesia, S. Claudium Vesontionensem Episcopum sæpissimè celebrasse ferunt: cuius matrem in eadem requiescere, docet etiam traditio. Sacristia, ornamentorum aureorum, argenteorum & sericorum, copiam habet.

RVPTENSIS tit. S. Hyacinthi, Diœcesis eiusdem. *Acceptatus*. c. Massil. 34. *Fundatoribus*
Barones. Illustrissimo D. Iordano de Clermond, Barone S. Georgij, Rupt, &c. & Illustrissima D. Ioanna du Harlay, *eius Vxore*: *prolis Regiæ Henrici Magni, moderatrice*. ibid.

ROMONDENSIS Heluetiorum Pagi Friburgensis; tit. B. Mariæ V. Diœcesis Lausanen-
1623. sis. *Acceptatus*. c.7. Rom. 24.

ARBOSIACENSIS tit. B. Mariæ V. Diœcesis Vesontionensis. *Acceptatus*. ibid. Optimè est ædificatus.

STAIACENSIS Heluetiorum eiusdem Pagi; tit. B. Mariæ V. Diœcesis Lausanensis. *Ac-
Barones. ceptatus* ibid. *Fundatoribus* Nobilissimo D. Barone de Gorgi, & Nobilissima eius Vxore.

DOLANVS tit. Conceptionis B. V. Diœce-
1629. sis Vesontionensis. *Acceptatus*. c. 3. Barchin. 38. *Fundatrice* Nobili D. Benigna Sordet, Vidua

Nobilis

Nobilis D. Chaulfin, *in Curia Dolana quondam Aduocati*.ibid. Magnificè, & pro maxima parte ex lapidibus expolitis & pulcherrimis, ædificatus est iste Conuentus, in Ciuitate Optima, sede Parlamenti Prouinciæ. Vndè, in dies illum meliorem euasurum speramus. *Nobilis vidua.*

MORTVACENSIS tit. S. Michaëlis Archangeli: Diœcesis eiusdem. *Acceptatus.* ibid. Magnificè etiam, & ex expolitis lapidibus, totaliter ædificatur: in loco amœnissimo, prospectu mirabili, ad fluuium piscibus abundantem. Spaciosissimo gaudet *horto, viridario, septo, viuario & fontibus copiosissimis.*

## *CONVENTVS PROVINCIAE Ducatus Burgundiæ.*

CABILONENSIS tit. Assumptionis B.V. Ciuitatis Episcopalis deuotissimæ, ad Ararim, *Acceptatus*.c.6. Genu.14. *Fundatoribus* Nobilibus DD. Iuris vtriusque Doctoribus, fœlicis recdationis D. Philippo Guillaud, piissimo & admodùm erga pauperes charitatiuo, Cathedralis Ecclesiæ Cabilonensis quondam Canonico: & D. Ludouico Guillaud, Aduocato, miræ austeritatis & pietatis viro, fratribus: *eo quod dederint summam duarum millium librarum, & agros quosdam*.ibid. *Fundatrice*, deuotissima D. Francisca de Pontou; *eo quod, à fundamentis templum huius Conuentus pulcherrimum extrui fecerit: & in dies erga nos amplam munificentiam exhibeat.* c.2. Barch.18. 1596. *Canonicus.* *Ciuis.*

SEMVRICENSIS tit. S. Iacobi Diœcesis
1605. Augustodunensis. *Acceptatus*.c. 7. Genu.6. Nobilium Ciuitatis & vicinorum liberalibus eleemosynis, in cliuo montis, magnificè valdè, & perfectè ædificatus.

AVALLONENSIS tit. Assumptionis B.
1611. V. Diœcesis eiusdem. *Acceptatus*. c. Massil. 34.
*Ciuitas.* *Fundatrice*, Ciuitate Auallonensi deuotissima: B. P. Francisco de Paula maximè addicta. Ædificatus est iste Conuentus structura simplici, sed valdè commoda, religiosa, perfecta, viginti Religiosis sufficienti: in loco amœnissimo, ad stagna piscibus redundantia. Idem dicendum, de *Infirmaria* intra clausuram separata.

TORNODORENSIS tit. S. Nicolai: Diœcesis Lingonẽsis. *Acceptatus*, ibid. *Fundatore* No-
*Comes.* bilitate insigni D. Henrico de Clermõt, Comite de Tonnerre, Clermont, &c. ibid. Huic Conuentui, nec amœnitas loci, nec amnis vicinitas; nec aquarum riui ipsum aluentis abundantia, spaciosissima *Viridarium & hortum* irrigans, & maximæ recreationis: nec operis deest magnificẽtia. Neque enim in tota Religione alium vidi, qui huic quo ad formam externam possit æquiparari.

GVICHENSIS tit. Annunciationis B. V.
1617. Diœcesis Augustodunensis. *Acceptatus*. c. 6.
*Pro-Regis vidua.* Rom. 8. F*undatrice* Nobilissima D. Antoinetta de Lude: vidua Nobilissimi D. Philiberti de la Guiche, *quondam in prouincia Lugdunensi Pro-Regis, qua hunc Conuentum honorificè dotauit.* ibid. summa scilicet mille librarum annui redditus perpetui.

DIVIO

DIVIONENSIS tit. Præsentationis B. V. Diœcesis Lingonensis : Ciuitatis Burgundiæ Metropolis , & sedis Parlamenti. *Acceptatus.* ibid. *Fundatore* , primò Nobili D. de Fraxain, Thesauri Regij Scriba,&c. Posteà,Illustrissima D.Anna de Bucil Ducissa à Bellagarda:Illustrissimi D.Rogerij Ducis à Bellagarda, Paris Franciæ,Æquitis Torquati, Burgundiæ,&c.Gubernatoris,cõiuge.*Declaratur Prouinciæ Caput.* ibid. *Nobilis.* *Ducissa.*

MATISCONENSIS tit. B. Mariæ V.Ciuitatis Episcopalis.*Acceptatus*.c.7.Rom.24.*Fundatoribus* Nobilissimo D. Pontio de Chiberaut, D.de Boyer , *Matisconensis tribunalis primario Iudice* : *&* Nobilissima *eius Coniuge*. D. Anna de Caudon.c.3.Barchin.39. 1623. *Iudex primarius.*

BELNENSIS tit. B. Mariæ V. Diœcesis Augustodunensis. *Acceptatus*. c. 3. Barchin.39. votis publicis totius Ciuitatis,quæ maximo deuotionis affectu nos recepit.Perfectè est ædificatus ad amnem piscibus redundantem.*Hortum* habet spaciosum satis & amœnum , licet sit intrà mœnia Ciuitatis : & in illo , *Infirmariam* separatam. 1629.

CLAIETENSIS Diœcesis eiusdem.*Acceptatus*.ibid.*Fundatrice* Nobilissima D. Alix Leonora de Chantemerle & la Claiete : Vidua Generosissimi D.Iacobi de Drechel , *Equitis, D. de Montol,& in Pedemontium partibus Gallorum militum Magistri. Hæc , Conuentui dedit sexcentas libras annui redditus perpetui : & illius partem extruere suis sumptibus parat : & multa alia , ad victum fratrum necessaria.* ibid.

APPENDIX
# DE FVNDATRICIBVS.
## QVÆSTIO VNICA.
### *Quæ summa requiratur, ad Fundatricem constituendam.*

R.D. Laurentius Episcopus Prænestēsis S.R.E. Card. Protector Ordinis, in Bulla quæ incipit. *Conquesti sunt* sub datū Romæ anno 1527. 15. Martij, dicit. *Authoritate Apostolica declaramus, nullas mulieres debere vocari Fundatrices, nisi locum siue fundum situs monasterij concesserint: aut monasterium propriis sumptibus fabricari fecerint: siue redditibus ad victum & vestitum fratrum dotauerint.* Huic declarationi, concordat statutū c. 1. Genu. 11. quod habes verbo *Fundatrices*. Itē hic versus,

*Patronum faciunt; dos, ædificatio, fundus.*

Quia verò prædictum statutum etiam habet, illas quæ dant summam quinquaginta ducatorum annui redditus gaudere posse priuilegiis Fundatricum, quod tamen negant aliqui, ideò quæstionem hanc mouemus.

Videtur enim prædictam summam non sufficere. *Primò*, quia dictum statutum distinguit illam quæ ditat in grandi quantitate, ab illa quæ dat prædictam summam. *Secundò*, quia ibidem prima Fundatrix esse dicitur absolutè: secundam verò, nequidem dici Fundatricem affirmatur. *Tertiò*, quia pro prima in Fundatricē admittenda, non recurrit Capitulum ad Oraculum Papæ: recurrendum tamen pro secunda determinat. Quod an factum sit ignoratur.

Dico I. quamcúmque summam perpetui redditus, non sufficere ad Fundatricem consti-

tuendam. *Primò*, quia aliàs tot essent Fundatrices quod benefactrices quæ redditus aliquos dant : quod maximè absurdum esset, & in Religionis maximum detrimentum vergeret. Quasi enim pro nihilo haberentur priuilegia Fundatricum, tot mulieribus communicata: quæ cum ideò vilescerent, Magnates & quæ possunt Conuentus integros ædificare, non appeterent. *Secundò*, quia tot tantaque Fundatricum priuilegia, non sunt quibuscúmque communicanda absque delectu, pro paruulis eleemosynis : quarum regni cœlorum merces, copiosa nimis est in cœlo.

Dico II. quòd si quinquaginta ducatorum sũma, de qua in prædicto statuto, attingit modo quasi ad trecentorum ducatorum summã, vt existimat Peirinis super Constit. 1. Iulij II. n. 51. quæ dat hanc summam, verè Fundatrix nominatur & est. *Probatur euidentissimè*, quia ex eodem ibidem n. 50. sufficit vt mulier det redditus pro sustentatione octo Fratrũ, vt sit Fundatrix: at dicta summa quæ coincidit in Gallia cũ nongentis libris, est plusquam sufficens ad sustentationem octo fratrum ; cum centum libræ fundationis pro singulis, saltem in Gallia, sufficiant: cũ hac enim summa, millenos Conuentus acceptaremus, millenasque Fundatrices. Ergo.

Dico III. Summã quinquaginta ducatorum seu nummorum: hoc est, vt more Gallicano loquar, cẽtum quinquaginta librarũ annui & perpetui redditus, sufficere ad Fundat. nõ primariã, sed secundariã cõstituendã, id est augmẽtatricẽ. *Probatur 1. pars conclus.* quia iuxtà constitutiones

Clem. VIII. item S. Congreg. de mandato Greg. XV. sub datum Rom. 17. August. 1621. item eiusdem S. Congreg. sub Vrbano VIII. sub datum Romæ 21. Iunij 1625. quarum prima incipit, *Cum aliàs*; altera, *Cum sæpe*; non possumus habere Conuentus, qui non possint alere ad minus duodecim religiosos. At summa quinquaginta nummorum, vel ducatorum annui redditus, ad hoc non sufficit. Ergo cum illa non possumus acceptare Conuentum: ergo nec Conuentus Fundatricem: imò, etiam si fundum det & Conuentum ædificet. Hæc tamen intellige, modò duodecim Religiosi, aliter non possint ali; vel piorum eleemosynis, vel ipsorum industria.

*Probatur secunda pars eiusdem conclusionis, primò*, quia quæ plus dat, non debet priuari priuilegio, quod illi quæ dat minus, datur ratione dati. At quæ dat fundum Conuentus duntaxat; vel quæ in fundo dato Conuentum pro maiori parte ædificat, dicitur & verè est Fundatrix, ex præmissis: & quæ dat summam quinquaginta ducatorum seu nummorum; seu, quod idem est, centum quinquaginta librarum annui redditus perpetui, plus dat quam illa quæ dat solum fundum, vel solùm Conuentum pro maiori parte ædificat. Ergo illa non debet huius, id est Fundatricis priuari priuilegio. Prima pars minoris, patet. Probatur secunda, quia summa centum quinquaginta librarum, seu quinquaginta nummorum annui redditus, supponit fundum ad minus mille nummorum: quo non est dubium multis in locis emi posse fundum suf-

ficien

ficientem, tùm ad Ecclesiam & Conuentum ædificandum, tum ad hortum faciendum, spaciosum vltrà necessitatem. Qua etiam summa, dormitorium, seu Conuentus duodecim camerarum, pro maiori parte, multis item in locis posset construi.

Probatur 2. eadem secunda pars conclusionis, quia vt aduertit Peirinis citato, priuilegia assumendi nouas Conuentuum Fundatrices, concessa sunt specialiter vt Religio augeatur, & amplietur. At acceptatio Fundatricum illarum quæ dant summam quinquaginta nummorum annui redditus, vergit in augmentum & ampliationem Ordinis: cum Conuentus iam acceptatos, meliores reddat; & capaces plures Religiosos sustentandi: ideóque & melius Deo deseruiendi. Ergo quæ huiusmodi summam dant, Fundatricum debent gaudere priuilegiis, & inter illas numerari. Imò, existimo multò esse vtilius Religioni, acquirere in Conuentu aliàs acceptato, prædictam summam; quam fundum, vel Conuentum in fundo ædificatum: in quo fortè, ob penuriam reddituum, vel eleemosynarum, fratres multis afficientur incommodis: ita vt, vix possint cogitare quæ Dei sunt; perpetuæ addicti mendicitati, obseruantiæ parum aut nihil. Quod est Religionis destructio.

*Probatur denique eadem secunda pars*, ex praxi. In capit. enim tertio Barchin. quod est vltimum, n. 40. *D. Hieronyma de Arroio acceptata est in Fundatricem, in Prouincia Granatensi: eo quod, quinquaginta ducatorum summam annui redditus dederit, ad ædificandum Conuentum.* Nec ad Sum.

Pont.

Pont. remittitur. De cuius Capituli confirmationis, effectu, vide Verbo *Statuta*. Cæterùm nec Capitulum 7.Rom.aliquid contra nostram conclusionem statuit, vt aliqui sibi persuadent: In illo enim, quo ad Fundatrices, illa sola cõstitutio reperitur, quæ incipit. *Quæ dant*, quam vide verbo *Fundatrices*. Nec est timendum quod nimias Fundatrices habeamus, & sic vilescant illarum priuilegia. Quia, etiam hac conditione data, raræ sunt, quæ prædictam summam largiantur: nec videmus nos circa hoc nimis vrgeri. Adde, has Fundatrices, quas & augmentatrices dico, primariis semper postponi. Denique, si fauores spirituales Fundatricibus concessos, attendamus: non nobis obest, quod multis communicentur. Si priuilegium Conuentus nostros introeundi; vix minus importuna nobis erit vnica Fundatrix, ac duæ: cum mulieres quæ Conuentum videre volunt, ad Fundatricem recurrere non vereantur.

*Ad primum, resp.* 1. distinctionem illam quam ponit capit.1.Genu.inter illas quæ Conuentũ in grandi quantitate ditant; & illas quæ dant 50. ducatos annui redditus; non arguere, istas Conuentũ non dotare in ita grãdi quantitate, quæ sufficiat ad Fundatricem constituendam, sed solùm aliàs esse, quæ Conuentus in multo maiori quantitate ditãt. *Resp.* 2. Patres illius Capituli, ideò distinxisse illam quæ dat summã 50.ducatorũ annui redditus, ab ea quæ in grandi quantitate ditat: nõ quod etiam illa, non ditet in grãdi, vel saltem sufficienti quantitate: Sed quia dicti Patres, non erant hac de re omnino certi.

Ad

*Ad secundum, resp.* idem Capitulū non dicere, mulieres quæ dant prædictam summam nō esse Fundatrices, sed solum affirmare non dici tales. At, hoc nihil cōcludit cōtra nos. Primò enim, de aliis Fundatricibus, de quibus non est dubium, loquens, non dicit etiam illas esse, vel dici Fundatrices, sed solum tales dici posse. Secundò, idē de aliis quę dant prædictam summā, innuit, cum Fundatricum priuilegia illis cōmunicet. Tertiò, si nō in hoc Capitulo, in c. 3. Gen. 11. vbi statutū c. 1. Gen. de quo hic, cōfirmatur, tales Fundatrices vocantur, vbi dicitur. *Iuxta capit. primi Genuæ habiti sanciones, cōmuni assensu inter Fundatrices ascripta fuerunt, Illustris D. de Martialis & D. Beatrix Quadrā de Neapoli; eo quod, Conuentui de Neapoli annuo & perpetuo redditu, dederūt centū aureos.* Nec explicatur, an singulæ, an ambæ. Sed esto dederint singulæ: insufficiens tamē adhuc est illa sūma, ex mente illorum, qui summam trecentorū circiter ducatorū, sufficere non credūt, vt supra diximus. Denique, idem c. 3. Gen. statim post allata verba, decretum hoc subiungit, in prioris c. 1. Genu. 11. confirmationem. *Articulus super Fundatricū diuersitate conscriptus, suas vires retineat.*

*Ad tertium, respondeo,* c. 1. Gen. ad Oraculū Papæ recurrere, ad maiorem securitatem: & fortè, quia Patres antiqui, qui viuebāt adhuc ferè nascente Religione, parum versati erāt in his difficultatibus. Vndè, Patres, c. 3. Genuensis citati, magis experti, ad hoc Oraculum non recurrerunt. Sic, multa postulantur à Summis Pontificibus vt priuilegia, quæ tamen sunt de iure Cōmuni: & eadem, vt priuilegia conceduntur, ad cedan

cedandas conſcientias ſcrupuloſorum; vt notat Nauarrus de Oratione c.15, n.17. Roderic. tomo 1.q.42.a.2.& alij. Sufficiat nobis, Summum Pont. non irritaſſe ſtatutum c.primi Genuenſis: Per declarationem namque Sacræ congregationis, ſub Gregorio XIII. noſtræ Fundatrices fuerunt exemptæ, ab excommunicationibus latis à Pio V. & eodem Gregorio XIII. contrà mulieres ingredientes Monaſteria Religioſorum, vt notat Peirinis citato n.51.

*Dices*, quare mulieres quæ dant fundum, ſunt primariæ Fundatrices; non autem quæ dant ſummam mille nummorum, quæ reddit annis ſingulis quinquaginta nummos: quæ ſumma, eſt ſæpè duplo maior, illa qua fundus fuit emptus. *Reſpondeo*, hoc ideò eſſe, quia fundus eſt id quod primò in Conuentu ſupponitur: quod etiam non acceptatur, niſi aliundè Conuentus ædificatio, & fratrum victus & alimenta ſperentur: ſine quo denique, ſicut nec ſiue ædificatione & victu, Conuentus eſſe nequit. Vno verbo, tria hæc, ſunt eſſentialia Conuentui. At verò, ſuperueniens fundatio, ipſi eſt accidentalis, tria prædicta ſupponit; nec eſt Conuentui neceſſaria ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, & ad melius eſſe.

***

Omiſſa

*Omissa sub sequenti titulo, ne quid desit, hic esse apponenda iudicaui.*

*Collega, Generalis.*

Oriundi ex Lotharingia: ex Comitatibus Aueniones͞si & Burgundiæ: ex Ducatu Sabaudiæ: ex Heluetia, aliisque partibus extrà Italiam, Galliam & Hispaniam; assumi posse in Collegas Gallos, conclusum est: cum omnes prædictæ Prouinciæ, sint intrà gremium & viscera Galliæ, vel saltem ei finitimæ. *c.7. Rom.*12. *Non Galli in Colleg. Gallos qui possint assumi.*

*1623.*

Collegæ Vicarij Generalis Hispaniarum, in omnibus subditi sunt Correctoribus Localibus: dempto Visitationis tempore. *ibid.* 15. *Colleg. Vic. Gener. Hispan.*

Quando continget fieri aliquam electionem Patrum Collegarum Reuerendissimi P. Generalis: siue causa mortis, siue renunciationis, siue priuationis: mitti debet statutum de noua electione, ad singulas Religionis Prouincias. *ibid.* 16. *Cum in causa mortis, & cæt. eligitur.*

Collegæ Generalis, sunt vocales in iis Conuentibus, in quibus à Prouincialibus assignantur, finito eorum Collegatus Officio: & habent vocem in electionibus Correctorum illorum Conuentuum, in quibus *Vox Capit. finito Collegatu.*

quibus fuerunt assignati;etiam si non sint assignati locales, per tres menses antè dictas electiones:cum fuerint occupati in Religionis negotiis,& nemo debeat absque culpa eligendi iure priuari. *ibid.* 21.